DOCTORIS MEDICI
D. GASP. BRAVO
DE SOBREMONTE
RAMIREZ,

MAGNORUM PHILIPPI IV. ET CAROLI II.
Potentissimorum Hispaniarum, & Indiarum
Regum Archiatri,
SUPREMI SENATUS S. INQUISITIONIS MINISTRI,
ET MEDICI PRIMARII;
OLIM IN ARCHIGYMNASIO VALLISOLETANO
Artium Cathedræ, Chirurgicæ, Methodicæ Vespertinæ, Primariæ Hippocratis,
& Primariæ Avicennæ Moderatoris:

OPERUM MEDICINALIUM
TOMUS QUINTUS,
DE RESOLUTIONIBUS MEDICIS,

Practicis pro curandis Febribus necessariis in Schola Dogmaticorum, in quibus dissentiunt: quibus accessere Disputatio Medica Dogmatica, contra Sectatores qui opponuntur veræ Medicinæ; ac Promptuarium Practicum de morbis humano corpori turpitudinem inducentibus.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.



LUGDUNI,
Sumptibus PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXXIV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOPOLA LECTORI.

N*OTUM est toti Europæ, quantum Opera illustrissimi Doctoris Medici* Gasparis Bravo *de Sobremonte Ramirez, Hispaniarum, necnon Indiarum Regis Archiatri, & Protomedici, diligenter, & studiosè exquisita fuerint, ubi in lucem edita apparuerunt. Tomus primus de Resolutionibus Medicis agit. Secundus continet disputationem Apologeticam pro Dogmaticæ Medicinæ præstantiâ, omnium Scientiarum, & Artium dignitate. Tomus tertius complectitur varios Tractatus de Theoriâ, de Praxi, de Crisibus, de Lotio, de Miscellaneis. Quartus in tres dividitur Disputationes, de Vitâ, & Morte, de Mixtorum proprietatibus, de Coctione, de Fermentatione, Putredine, & Miscellaneis. Hæ Maximi momenti elucubrationes latissimè de illius amplissimis laudibus loquuntur; ac abundè de ejus summa eruditione personant, quin inutili elogio tot edita Volumina exornare nobis persuasum habuerimus; tantam enim ab omnibus eruditis ipsi collegerunt famam, ut à familiaribus, à notis, & ignotis vehementer fuerit impulsus hunc ultimum Tomum, de Resolutionibus Medicis scribere; cùm vix ullum ipsi superesset otium ex assiduis curis, quibus invigilare debebat sanitati Regiæ, ipsi meritò concredita. Tandem tot adductus precibus, se vinci passus est, huicque posthumo Tractatui sua horis succisivis dedit studia, ne minùs adesset Regi, & suo præstantissimo muneri serviret. Et dum ultimam manum huic adhibebat Paralipomeno, lethali decubuit affectu: & quamvis se ad mortis confinia prolabentem, viribus jam resolutis intelligeret, non ab opere cessavit, donec adhuc*

currente calamo fatum suæ vitæ curriculo finem imposuisset. Illius nihilominus libri non absoluti, non perfecti, & ad suum complementum non perducti, ab eruditis impatienter expetiti, & ardenter desiderati, illustrationem Typis nostris publico commendare multùm incubuimus, AMICE LECTOR, *ut quæ tuo palato arrisit admodum eruditio, & summa doctrina, in aliis Operibus suspecta, tibi pariter novam afferat voluptatem, sicque vir ille magnificus, hic thesaurus infiniti pretii, immortali gloriâ circumfluens, nobis quondam ab optimo Deo concessus, nunc cælo restitutus æternùm vivat. Vale.*



ELOIGUM



ELOGIUM FUNEBRE AUTHORIS.



CECIDIT, heu cecidit GASPARVS BRAVO de Sobremonte Ramirez! Magnorum Philippi Quarti, & Caroli Secundi, Hiſpaniarum, & Indiarum Regum Archiater digniſſimus, meritiſſimuſque. Erga illum Parca nimiùm ſurda, ferrea, & miſerationis expers, ſtamen quod in vivis fovebat caput omnibus amantiſſimum, chariſſimum, & eruditiſſimum, diſrupit. Fato igitur functus eſt, proh dolor! vir ille ampliſſimus, nobiliſſimus, omni ſcientiarum genere clariſſimus, Potentiſſimo Hiſpaniarum Regi gratioſiſſimus, & dilectiſſimus: hic primarius inauguratus eſt Medicus, qui ſemper primus extitit, dignuſque ita excelſo munere, antequam gereret. In eo honores mores non mutavere: omnibus amicus erat, & nemini ingratum ſe præbuit, cæteris impar ob pietatem erga Deum, benignitatem, & beneficentiam erga homines, & præſertim pauperes. Nullus mente complecti, & verbis comprehendere poteſt beneficiorum, & eruditionum multitudinem, quibus tot Volumina ad rei Medicæ illuſtrationem exornavit; huic etiam Patroni litterarii nomen acquiſierunt, quia antiquitatis errores emendavit, coævos & poſteros erudivit. Hujus magnifici Doctoris animus, quem tibi depingo, Viator, magnitudine conſilii, tolerantiâ rerum humanarum, contemptu fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus ſeptus, vinci, & expugnari non potuit. Eum amor non impellebat, non abducebat odium, non extollebat audacia, non lætitia efferebat, non mœror conficiebat, non libido cruciabat, non furor inflammabat, non frangebat voluptas, non moleſtiâ tabeſcebat, non facili alacritate geſtiebat: undique ad labores impigrum ſe præſtabat, inter diſſidia negotiator optimus, ad pericula fortiſſimus, & peritiſſimus ad doctrinam. Cernebatur ejus animi magnitudo in capeſſendis rebus arduis, in gerendis acre conſilium, in rimandis ſolertia, in perveſtigandis ſumma ſagacitas, in proſequendis, ex-

plicandiſque intricatiſſimis difficultatibus mira conſtantia ; atque etiam perſpicacia. Non priùs deſiit ſcribere quàm mori ; nam fatum è manibus calamum , ſimul & animum eripuit. Denique mors illius extinxit vitam , non gloriam : mortuus eſt tempori, non illuſtri memoriæ , ultimoque puncto vitam omni laudum genere ornatiſſimam clauſit jam beatus.

ABI VIATOR.

MORS NEC MEDICO, NEC MEDICATO PARCIT.

Honoris , & amoris ergò , piis manibus
mœrens hæc poſuit,

J. B. PANTHOT , Doctor Medicus
Monſpelienſis , & in Collegio Lugdunenſi Aggregatus Profeſſor.

SERIES

SERIES.
SECTIONUM, RESOLUTIONUM, ET PARAGRAPHORUM,
Quæ in hoc Tomo Quinto continentur.

§ j.

SECTIO SECVNDA.

De remediis quæ sumuntur ex corporibus simplicibus pro febrium curatione p. 19

SECTIO TERTIA.

De Remediis quæ pro febribus sumuntur ex rebus non naturalibus. p. 34

iij. *Vini*

SECTIO QUARTA.

De Remediis pro febribus, desumptis ex Diætetica Medicinæ parte. p. 51

Series Sectionum,

§. j. Quid

iij. Pars

SECTIO SEPTIMA.

DISPUTATIO MEDICA DOGMATICA.

Contra Sectatores qui opponuntur vera Medicina.

ij. Sed

PROMPTUARIUM PRACTICUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.



SUMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

SUPREMA Christianissimi Galliarum ac Navarræ Regis authoritate cautum est, ne quis per universa Regni, ditionisve suæ loca librum inscriptum *Doctoris* GASPARIS BRAVO, *Regis Catholici Medici Archiatri Opera omnia Medica*, absque PETRI BORDE, Bibliopolæ Lugdunensis consensu imprimat aut divendat, imprimendumve, aut divendendum curet intra decennium à die finitæ hujus editionis computandum; secus facientibus mulctâ indictâ, aliisque pœnis infligi solitis, prout ampliùs in Diplomate Regio continetur. Dat. Parisiis, 16. Octobris 1671.


De mandato Regis,

Signatum CADET.

Desiit hujus editionis prælum 17. Decembris 1683.



DOCT. MED.
D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,
RESOLUTIONES MEDICÆ,
Practicis pro curandis Febribus, in Schola Dogmaticorum necessariæ.



PROLOGOMENON.



Rationalis, seu Dogmatica Medicina prosequitur Febrium curationes per varia auxilia. Est enim febris, ut inquit Moxius *lib.* 1. *cap.*17. infestissimus, diligens, irrequietus, audax, & temerarius morbus, variis artibus depopulans omnem ætatem, omne calidum: aggreditur temperamentum æquo pede, utrumque invadit sexum, omni tempore gliscit, per universum grassatur orbem, sæviens ferociter, neminem parcit, etiam abdita claustra penetrat, fœtum in uteri ergastulo obsidet. Ideo Isaac Israëlita protulit, nequissimum esse omnium morborum: ob quod, ut tenet Valerius *lib.*2.*cap.*5. terrore coacti Romani ad illam placandam tria illi erexerunt templa Romæ. Prosequitur cujusvis febris sævitiem Zacutus, dicens: Diaria premit lassitudine, putrida fatigat excrementorum fœtore, acuta symptomatum sævitie oppugnat, biliosa ri-
A gore concussivo lancinat, pituitosa horrore ferit, melancholica ossium confractione dilacerat, erratica diversimodè deprimit, clodes superfluo sudore corpus colliquat, horrorifica perpetuo horrore cutem fatigat, maligna meris symptomatibus stipata totum perdit, pestifera illorum pernicie insolescens viscera labefactat, & extinguit labe dira. Nullaque tandem est, quæ à se, vel accersitis aliis, vitæ periculum non minetur. Ideo Schola Dogmaticorum varia pro febrium curatione proponit, & prosequitur remedia; variique opinantes pro eorum usu in varias dilabuntur controversias, quarum
B aliquas sub hoc certamine dirimere conabimur, possibili brevitati adhærentes, Plinii consilio 2. *epistol.* 5. ubi sic: *Ut si opus displiceat, illud commendet brevitas.*



SECTIO PRIMA.

De febrium curatione in communi.

De Febrium Theoria, Prognosi, & Praxi plura proposuimus *tom.*1. *Resolut.Medic. p.*3. *disputatione de febribus.*

De intermittentibus febribus lethalibus egimus *in tom. 3. Resolut. Medicar.* Sub hac prima Sectione Tomi quinti, in quo disputamus de remediis in Schola Dogmaticorum receptis in usu, proponemus quæ apud ipsos sunt magis propria, & ab aliis Sectis relicta.

RESOLUTIO PRIMA.

Utrum pro Febrium curatione eadem sint communia remedia in omni Secta, & tempore?

§. I.

Quàm latissima sit Medicinæ acceptio.

MEdicina à *medendo* dicta, æquivocè dicitur de qualibet arte valente mederi formas quaslibet in quosvis usus fabricatas, quæ recesserunt à debito statu: qualia sunt entia artificialia. Magis propriè medicari dicuntur mixta non viventia, dum perficiuntur ab arte: propriùs mederi dicuntur vegetabilia, & reliqua viventia, dum reducuntur ad amissam sanitatem, ut arbores, & plantæ ab agricolis; & bruta à suis pastoribus, & equi à veterinariis. Sed cùm analogum stet pro famosiori significato, dum Medicina absolutè nominatur, pro ea arte sumitur, quæ versatur circa humanam salutem conservandam, aut instaurandam: & hæc aut est vera Medicina, ut Dogmatica, sive Rationalis; aut est hæresis discedens ab illa, ut secta Empirica, Methodica, Paracelsistica, seu Imaginaria Vanhelmonis. Sub Dogmatica alia est Medicina Architectonica, aliæ sunt artes illi deservientes, ut Chirurgia, Pharmaceutica, & aliæ ministrantes, quæ veræ Medicinæ sunt ministræ.

Præter hos Medicinæ Professores, sunt quidam homines illiterati, & impostores, deperditique, qui per imposturas aliquorum remediorum se ingerunt ad curandas febres. De iis inquit Hippocrates *lib. de Arte*, quod cùm Medici non sint, tanquam Tragœdi, personam Medici repræsentant. Hi sunt fumivenduli, nebulones dicti, seu scurræ, qui uno aut altero febrifugio conficto, aut à dæmone adepto, ad febrium curationem se intromittunt.

Medicina Architectonica Dogmatica, sive Rationalis, est vera Medicina, & scientia à Deo Adamo infusa, cum reliquis scientiis hominibus condonata in subsidium salutis humanæ, & de qua do- A cet sacra Pagina, quod *creavit Deus Medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit illam.* De hac Medicina vera, & de reliquis hæresibus quæ ab illa deviant, inquirimus utrum omnes per eadem remedia intendant febrium curationem.

Videtur quod omnes Medicinæ Professores eisdem debent uti remediis pro febribus curandis. Nam omnes reliquæ Sectæ conveniunt cum Medicina Dogmatica in hoc, quod habeant pro fine acquirere sanitatem, & febres curare, B ægrumque immunem ab illis reddere. Sed una, eademque remedia sunt media quæ conducunt in hunc finem: Ergo omnes ii Sectatores eisdem debent uti remediis pro illo consequendo.

§. II.

Variant Medicinæ Sectatores in febrium remediis assignandis.

C RESolvendum *Primò*, quod Medicinæ sectatores sunt discordes in proponendis remediis pro febribus curandis.

Probatur. Tum *primò* de nebulonibus, qui omnium renuunt Dogmaticorum remedia, dum quilibet eorum suum febrifugium occultum laudat, & extollit. Et licèt plerique horum suadeant febrem non esse morbum; ita tamen infatuant vulgares, ut pro ipsa curanda, sua cogant emere febrifugia. Tum *se-* D *cundò*, Empiricorum secta reliquis vetustior, spretis indicationibus, causis, & accidentibus, & nullâ attentâ methodo, pro febribus curandis nititur remediis, quæ observata sunt profuisse pro aliis febricitantibus, se extendens ad prosequenda etiam inventa ab aliis circulatoribus, sive naturalia, sive dæmoniaca, ut videre est apud Quintum Serenum & alios, ex vetulis, & impostoribus plures amplectentes imposturas pro febrium curationibus. Tum *tertiò*, Methodici, præcipuè pro curandis febribus E humoralibus, quas tenent esse morbos in adstrictione, per suam methodum curandi utuntur remediis laxantibus, ut tenet Alpinus *lib. 5. de Medicina Methodica.* Insistunt in laxanda adstricta cute, in aperiendo meatus, sive à frigore occlusos, sive à sanguinis copia, sive à crassitie, sive à siccitate, sive à lentore, ut patet ex Celso *lib. 3. cap. 6. §. Nam si adstrictum est, ducenda alvus est, removenda urina, eliciendus omnimodè sudor: in hoc*

hoc genere morborum quoque misisse sanguinem, concussisse vehementibus gesticulationibus, corpus in lumine habuisse, imperasse famem, sitim, vigiliam, prodest: utile etiam ducere in balneum, prius demittere in Solem: tum ungere, multa aqua fovere inguina, interim etiam oleum in solio cum aqua miscere, uti cibo rarius, & serius, tenui, simplici, molli, calido, exiguo. Ex quibus patet proponi pro Methodicis usum omnium laxantium. Tum *quartò*: Paracelsistæ febres vocant sulphureos morbos, esseque sulphuris ardores. Paracelsus præcipuè tenet, putridas febres esse morbum generalem, *in Fragmento de Tartaro*, & paroxysmalem ex opilatione totius corporis; & *lib. Paramori*, tenet quod febris est morbus nitri, & sulphuris incensi. Severinus cum illo tenet, quod curatio febris & morborum est, *Morborum, radicum, seminumque impuritatum balsamo humano adhærentium abolitio, & ablatio.* Ii adaptant pro febribus curandis quasdam febriles purgationes, & febrilia diuretica, ac diaphoretica, quæ inveniuntur in consonantia proprietatum nitrosarum, sulphurearumque in mineralibus. Adaptatque Paracelsus tanquam unicum remedium pro omni febre, & tanquam arcanum, præcipitatum diaphoreticum. Tum *quintò*, Vanhelmon, postquam discessit à vera & Rationali Medicina, transfuga in sectam Paracelsisticam, nullibi acquiescens, gradum fecit ad suas chimæricas imaginationes. Morbos constituit in deturpatione Archei, *tract. de Febribus*, *cap.* 13. & supponens quod nulla definitio debet dari per genus, & differentiam, sed per causam materialem, dicit: Quod febris est *pars materialis, indignatione deturpati Archei*; sive, *Archei indignatio.* In qua ponit febris rationem, unam ejus admittit differentiam. Per plura capita impugnat omnia remedia Dogmaticorum, & febris curationem restringit ad suum specificum remedium, cum quo promittit febris curationem. Et cùm post tot promissa illud non invenerit, fumivendulus terminat promissum, dicens: *Quærite, & invenietis; nam si vobis intentio est, misericordia, & charitas obviabit vobis in itinere, veritas, & lux à Patre luminum descendens, cui sit honoris attributio in æternum.* Protegit suas imposturas iste innovator, petens miracula à Dei misericordia, ut subterfugiat chimæricum promissum febrifu-

A gium. Ergo in reliquis hæresibus, & sectis, extra Dogmaticam Medicinam, varia tentantur remedia pro febribus curandis.

§. III.

Dogmatici pro febribus curandis variis remediis usi fuere.

RЕsolvendum *Secundò*, quod Medici Dogmatici plura invenerunt remedia pro febrium curatione, juxta varia
B tempora.

Probatur *primò* de veterum remediis. Erodicus, & Prodicus, referente Celso *lib.9.cap.*3. pro febribus curandis consulebant multam famem, frictiones, cursus, & alios plures labores, & exercitia. Petronius, ut tenet Celsus *lib. 3. cap. 9.* operiebat febricitantes multis vestibus, ut calor, & sitis excitarentur: offerebat aquæ frigidæ copiosum potum, conabaturque excitare sudorem & vomitum. Alii consistebant in corporis commotio-
C ne in alium statum, licet febrem augerent; quia, ut inquit Celsus *lib.3.cap.9.* *Est circumspecti hominis novare interdum morbum, & febres accendere; quia curationem, ubi id quod futurum est, non recipit, potest recipere quod futurum est.* Et Aristoteles *sect.1. problemat.* 2. quærit, *Cur morbi sæpe possunt curari, ubi quis aliud excessit.* Ex quibus patet, variis fuisse veteres usos curandi febres auxiliis.

Probatur *secundò*, præstantiores Dogmaticos pluribus usos fuisse remediis pro febribus curandis. Illa enim solertiori
D curâ quærebant per rationalem experientiam, per ratiocinium, per analogismum, & præcipuè per indicationes.

Primum Dogmaticorum principium est, quod *Contraria contrariis curantur.* Ideo, quia febris est calor naturæ inimicus, refrigerantibus utimur, quia calori sunt contraria: comprobat ratio, demonstrat curatio, comprobat ratiocinium: experientiâ etiam remedia febrium inveniuntur, quia plurima remedia experta demonstrarunt, febres ab illis curatas
E fuisse. Analogismo utimur, in febribus præcipuè, pro indagandâ illarum malignitate, dum communibus remediis non sufficientibus, pertransimus ad cardiaca auxilia, quæ in similibus occultis, aut pestilentibus morbis prodesse experti sumus. Indicatio est insinuatio agendorum, vel comprehensio juvantis, simul cum comprehensione nocentis, sine discursu, & ratiocinio. Per indicationem

Dogmatici majorem partem remediorum consequuntur. Triplex indicatio admittitur, ex Galeno 10. *Methodi, cap.* 1. exemplo febrium putridarum. Alia *conservativa*, quæ sumitur à viribus, à quibus indicatur earum conservatio, per debitum usum rerum non naturalium, à quibus varia in febribus sumuntur remedia. Alia est indicatio *curativa* per se, quæ sumitur à febre, à qua indicatur frigiditas, quæ est suum contrarium. Alia sumitur à causa, quæ in febribus putridis indicatur ab humoribus, à quibus indicatur eorum correctio, & evacuatio ab Arte, sive per sanguinis missionem, sive per purgationem. Et ad hanc consequendam indicationem, per illam consequitur Ars usum plurimorum remediorum. Ergo apud Dogmaticos varia sunt remediorum genera pro febribus curandis, & aliis morbis, per hæc instrumenta consequuta.

§. IV.

Solvitur dubitandi proposita ratio.

Ad rationem dubitandi, Respondetur quod licèt finis sit unus, solet consequi per varia media, ut apparet in Artibus quibuslibet. Præterquam quod cùm in febre sint plures indicationes desumptæ ab illa, à causis, & sæpè ab accidentibus, hæ petunt consequi per plura media, seu instrumenta. Variant etiam remedia in variis Sectis, ob varia principia ex quibus conantur illa deducere: & inter Rationales variant penes eorum diversitatem, in tempore, in modo, in applicatione, in sexu, in ætate, in morbi temporibus, & aliis quæ ratione immutari petunt.

Resolutio Secunda.

Utrum unicum febrifugium, seu remedium specificum, valeat sufficere pro omnibus febribus curandis.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur: Pars affirmativa fulcitur.

Licèt, ut patet ex dictis, pro variis Sectis Medicorum, & in unaquaque varia adaptentur remedia pro febribus curandis: Dubitatur tamen inter illos, an possit dari aliquod specificum febrifugium, quod solum possit pro omnibus febribus esse sufficiens remedium. Ra- A tionales Medici omnes deviant ab iis imposturis. Unus inter Dogmaticos Lazarus Riverius, præclarus licèt Dogmaticus, delapsus fuit in hanc cantilenam nebulonum: libro enim 3. *Observationum, in Appendice de febrifugio*, conscius licèt, quod in Agyrtarum se immiscebat imposturas, & quod nunquam fuerit comprobatum quoddam febrifugium ab ipsó excogitatum; contineri tamen non potuit, quo minus laudibus ornatum illud in lucem protulerit, dicens: *Componitur* B *ergo pretiosum hoc medicamentum ex triplici Hercule, duodecim laboribus ad summam nobilitatem evecto, quibus tandem quartus athleta additur, operis complementum efficiens.* Et cùm nihil dixerit, doses præscribit illius pro omnibus ætatibus. Apud nebulones quælibet impostura extollitur: apud reliquos imminuitur debita æstimatio.

Contendunt Spagyrici Paracelsistici, pro febribus curandis dari duplex genus remediorum: alterum universale, alia C particularia. Tenent, quod universale curat generaliter omnes morbos, & omnes febres, quod Doringius avidè conatur suadere: & omnes hanc imposturam amplectentes gloriantur, tale medicamentum universale fuisse repertum. Sed nec illud comprobant per experientias, nec ab iis per usum fuit expertum: sed simulant quod nolunt illud propalare; sunt enim maximi celatores suarum imposturarum, ne detegatur fallacia, in quarum exaltatione exultant maximè. D Illud universale cùm esset, prædicant efficacissimum fore pro ætate prolonganda, & retrotrahenda ad prægressas ætates, ad vitandam mortem, saltemve retardandam, pro omni morbo curando, præcipuè pro omni febrium genere. Vanhelmon in his figmentis subscribit circulatoribus.

Divisi sunt ii fumivenduli, seu irrisores vulgarium in suadendo hoc figmentum. Alii tenent, hoc universale remedium omnium morborum, & specifi- E cum febrifugium operari, non agendo in morbum, aut ejus causam, sed tantùm confortando naturam, quæ est morborum curatrix, servando quod utile, expellendo quod inutile: ad quod tenent sufficere quintam essentiam, quam vocant Sulphur vitale, & combustibile, Solem, vel Cœlum. Alii tenent suum universale remedium evacuare omnes causas morbificas; & ideo omnes morbos curare. Vanhelmon pro omnibus febribus

bus curandis proponit remedium, quod vocat Præcipitatum diaphoreticum Paracelsi, per quod dissolvitur omnis causa deturpans Archeum, quæ sine alio quovis remedio aufertur, si diaphoresin, sive sudorem moveat. Sic somniavit *lib. de febribus, cap.* 14. Sed miraculum hoc nec apud ipsum, nec apud alios sectatores fuit consequutum, nec expertum. Inter recentiores impostores, aliqui adhærentes Riverio, licèt non consequantur figmentum, ipse tamen consequutus fuit, reliquisse divinatores qui tempus conterunt in exponendo quid sit illud, quod ille voluit fingere. Tanta est innovatorum aviditas in suis contegendis versutiis.

Rationes quibus conantur aliqui probare, dari universale remedium febrifugum pro omnibus curandis febribus, deducit Freytagius, & prosequitur Sennertus. Tum *primò*: In rerum natura sunt plura agentia universalia, quæ per omnes res universales valent agere. Sic ignis valet omnia comburere: antimonium omnia metalla auro commixta consumit. Ergo poterit elyxir vitæ aut naturam roborare pro omnibus vincendis morbis ac febribus, vel agere in omnes causas febrium, easque devincere.

Secundò: Aliqua medicamenta valent curare omnes morbos alicujus partis, ut os de corde cervi omnes morbos cordis. Ergo poterit aliud universale remedium curare omnes febres.

Tertiò: Arsenicum, & venenum canis rabidi, & alia lædunt, & interimunt omnes corporis partes. Ergo aliud medicamentum valet similiter eas curare.

Quartò: Sunt aliqua medicamenta particularia pro omnibus corporis partibus. Ergo ab illis potest abstrahi aliquod universale medicamentum pro omnibus.

Quintò: Pro omnibus febribus curandis proponit Vanhelmon sudorificum universale, quod extinguit omnes causas febrium. Ergo ab illo possunt omnes curari.

§. II.

Negatur universale febrifugium pro omnibus febribus.

RESolvendum, quod nec pro omnibus morbis, nec pro omnibus febribus est possibile unum universale remedium. Sic tenent Dogmatici, & comprobant inter illos Sennertus, & Freytagius.

A Probatur *primò*. Implicat omnes morbos curari unico remedio: Ergo & quod detur remedium universale dictum pro omni morbo. Probatur antecedens: Si omnes curaret morbos, maximè ut contrarii opinantur, quia vires valet roborare pro omnibus vincendis & causis exstirpandis, quæ cùm plures sint, contrariæ, & ex omni contrariorum genere compositæ, nec virtutes possunt omnes ab uno solo alexipharmaco corrigi, nec adhuc viribus vigoratis, illæ supersunt B supra omnes causas morbificas, nisi per alia remedia evacuentur, ut natura superior maneat supra residuum: quod adhuc nec semper sufficit, ut apparet in febribus malignis, in quibus nec plura vires roborantia, nec plura auxilia evacuantia solent sufficere: Ergo multò minùs unum remedium pro viribus, aut pro causa evacuanda applicatum.

Probatur *secundò*: Medicamentum universale debet omnes febres curare, & prosequi omnes indicationes curativas, C quæ desumuntur ab illis; attemperandi, pro calore; humectandi, pro siccitate; sanguinis mittēdi, pro plenitudine; purgandi pro cacochymia; venena extinguendi, pro febribus malignis, & pestilentibus; carnem instaurandi, pro febribus hecticis; somni conciliandi, pro vigiliis, & delirantibus; dolores mitigandi, pro dolorificis affectionibus; & simul prosequendi quascumque alias indicationes, quæ cùm sint diversæ, contrariæ & innumeræ, nequeunt uno prosequi auxilio. D Ergo nec unico medicamento.

Probatur *tertiò*: Medicamentum universale valens pro omnibus morbis, & febribus curandis, aut est divinum, de quo non dubitamus; aut à dæmone promissum, quod est execrabile; vel naturale, & hoc nullibi inventum, nullibi expertum, à nullo recti judicii viro excogitatum, à solis fumivendulis promissum, à solis mulierculis simplicibus creditum, à solis nebulonibus, & agyrtis conclamatum. Ergo frustra propositum.

E Probatur *quartò* à Freytagio. Tum *primò*, quia si unicum esset universale remedium potens omnes morbos curare, vitam prolongare, & mortem vitare, Paracelsus qui hujus imposturæ fuit author, vitasset suam mortem, quam passus fuit ante senectutem. Tum post promissum hoc remedium, ab omnibus investigaretur, observaretur, omni pretio emeretur, nullus ægrotaret, nec perveniret ad mortem, nec ad senectutem, quia retrotraheret

ætates. Tum quia frustra post receptum A hoc remedium Chymici illius inventores quærerent alia remedia chymica, in quibus elaborandis continuò laborant. Tum agyrtæ promittentes hoc remedium, si esset possibile, jam ab aliquo fuisset divulgatum. Ergo cùm nec illud, nec aliud apparens fuerit ab illis pro vulgaribus sophisticatum, nullo modo admittendum est.

§. III.

Solvuntur fundamenta Agyrtarum.

B

AD *primum* respondetur, quod dari inter agentia naturalia, alia quæ sint fortioris activitatis, alia inferioris, nullum præstat argumentum ad probandum, quod sint aliqua medicamenta generica ad curandos omnes morbos, & ad consequendam immortalitatem; alterum enim arguit potentias naturales diversas, alterum arguit divinitatem, quæ in solo Deo experitur.

Ad *secundum*, Respondetur quod licèt detur medicamentum magis appropriatum ad morbos unius partis, quàm alterius; nullum tamen est quod alicujus partis curet omnes morbos: licèt enim alexipharmaca pro corde magis conferant, quàm pro aliis partibus; nequeunt tamen curare illius morbos in soluta unitate, nec in mala conformatione.

C

Ad *tertium*, Respondetur quod arsenicum & alia venena gaudent venenosa qualitate, per quam sunt mala, & lethalia: non tamen datur unum medicamentum, quod vincat omnes morbos, & acquirat sanitatem; quia malum & mors, ex quocumque defectu potest provenire; sanitas verò, quæ est bonum, cui opponuntur omnes morbi, nequit acquiri nisi ex integris causis, quæ opponuntur illis: & hæ nequeunt coadunari, nisi in solo Deo, qui est summum bonum.

D

Ad *quartum*, Respondetur quod ab omnibus medicamentis abstrahitur unum genericum per intellectum; non tamen quod detur à parte rei aptum operari; actiones enim sunt suppositorum.

E

Ad *quintum*, Respondetur quod Vanhelmon pro suo more tempus conterit in exprimendis suis imaginariis conceptibus; nequit tamen illos reducere ad actum: sicut nec potuit Riverius, qui ut nobilis Medicinæ Professor, fatetur non consequutum fuisse sui febrifugii intentum.

RESOLUTIO TERTIA.

Utrum liceat Dogmaticis uti amuletis pro febribus curandis.

§. I.

Quales viri amuletis adhibuerunt fidem.

PLures febres sunt quæ nequeunt à Dogmaticis devinci, quia

Non semper est in manu Medici relevetur ut æger,

Sed quandoque doctâ plus valet Arte malum.

Plures sunt aliæ chronicæ, quæ non nisi post longum tempus curantur. In periculo constituti, petunt à Medico quod potest, & quod non potest; & plures ab ejus impotentia, aut mora recurrunt ad impios veneficos, aut sagas, qui ope dæmonum curationes promittunt per vocata ab illis febrifugia, quæ potiùs sunt periamatica, seu periata; quia collo, aut aliis partibus appenduntur. Horum alia desumunt ab aliquibus simplicibus, quæ minùs horribilia sunt: illis tamen solent quasdam admiscere superstitiones. Alia quæ propriè amuleta vocantur, & fiunt ex solis characteribus, figuris scriptis, aut verbis prolatis. Hæc à Geomantiæ, aut Necromantiæ dimanarunt artibus, & communicata sunt sagis, & aliis hominibus dæmoni mancipatis. Hæc nec virtute aliqua naturali constant, quæ morbo, causæ, aut symptomatibus opponatur; sed imaginariis Geomantiæ, aut dæmonis promissis creduntur agere. Inquit enim Origenes *lib.1. in Iob: Maleficia, auguria, divinationes, idololatria, phylacteria, & incantationes, diaboli sunt seductiones, dæmonum irrisiones, idololatriæ fæx, animarum infatuatio, atque cordium scandalum.*

Magia in vetusta origine, Adamo infusa & in filios communicata, ut verum Dei cultum colerent. Post corruptam naturam dæmon nefarias introduxit artes in impios. Cham secundogenitus ex Noë, maledictus à patre, primus à dæmone instructus illas professus fuit, & primus illius filius Mizraim, Zoroastes appellatus, eas communicavit Persis, & Babyloniis. Has artes D. Hieronymus *in Danielem*, vocat Goëciam, seu Theurgiam, quæ infames sunt, incantationibus, superstitionibus, & dæmonum societati immersæ. Archimagus *lib. de vanit.*

nit. scientiar. in duas partes dividit magiam, in eam scilicet cujus cultores dæmonem adorant, & ei sacrificant; & in aliam, in qua pactum cum dæmone habent.

Hanc magiam falsam dicuntur fuisse professi plures Philosophorum, inter quos annumerantur Pythagoras, Dæmocritus, Socrates, Plato, Xenophon, Heraclitus, Aristoteles, Mercurius, Marcellus, Trallianus, Villanovanus, Quintus Serenus: & Fernelius multùm se immiscuit horum imposturis, characteribus, & amuletis. Hebræi præcipuè in Caballistica Arte immersi sunt in iis vanitatibus, punentes in literarum inscriptionibus magnam vim operandi, quam speculabantur in earum figura, simplicitate, compositione, tortuositate, defectu, abundantia, coronatione, apertione, ordine apicum, ex quibus fiunt revolutiones literarum, & punctorum; & ex iis deducebant vim agendi, vimque febrium, & aliorum morborum curandorum.

§. II.

Proponitur quanta virtus sit agendi in verbis, & characteribus, ex plurium opinione.

ANtiqua impostorum, impiorumque credulitas tenuit, febres, & alios morbos posse curari prolatis aliquibus verbis, & amuletis, præcipuè carminibus modulatis: quud comprobari videtur ab aliquibus variis authoritatibus Authorum, quorum meminit à Reyes *quæst.22.* Renodæus *cap. de amuletis*, Mynderetus *cap.20. sua Threnoch.* Ficinus idem fatetur dicens: *In verbis certis vim esse certam, ac magnam.* Origenes *contra Celsum*, Sinesius, & Alkindus, idem fatentur, de magia disputantes: & Zoroastes idem tenuit, vetans verba mutare. Jamblicus similiter. Pythagoras verbis, cantibus, atque sonis mirabilia faciebat. Tenentque quod quemadmodum ex certa herbarum, vaporumque compositione, confecta per artem, tum quoddam resultat medicamentum, tum ex quadam astronomica forma eruitur armonia quædam syderum: sic ex certis tonis. Tum Quintus Serenus pro curando hemitritæo proponit verba quædam à pluribus recepta.

Inscribis in charta, quod dicitur Abracadabra,
Sæpiùs, & subter repetitis: sed detrahe summam,
Et magis, atque magis desint elementa figuris,
Singula quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.

Tum Vendicanus, seu Marcellus empiricus, similem tribuit verbis virtutem.

Sume igitur Medicos pro tempore, proque labore,
Æstisque habitu summa ratione paratos
Gramine, seu malis agro præstare medelam,
Carmine seu potius: namque est rès certa salutis
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Tandem & invaluit hæc impia credulitas ex Caballistarum imposturis, qui ex verbis varia inscriptione, & modo positis, varias fingunt ineptias pro febrium curationibus. Nec minùs credulus Avicenna orationes, exorcismos, & litanias appropriavit pro febrium curationibus.

§. III.

Non licet Dogmaticis Medicis uti amuletis, nec verbis vanè prolatis pro febribus curandis.

REsolvendum, quod non licet Medicis Dogmaticis Christianis uti amuletis.

Probatur: Medicina Dogmatica debet uti virtutibus rerum naturalium, quæ oppununtur morbis; nam ex sacra Pagina, *creavit Deus Medicinam de terra*; idest, operantem per virtutes rerum naturalium. Sed amuleta quæ sunt verba prolata voce, sive per literas scripta, sive versibus concinnata, nullam habent naturalem vim agendi: Ergo non licet illis uti. Probatur minor ex communi consensu omnium Authorum, Jurisconsultorum, & Medicorum, ut latè probat Torreblanca, & ex Theologis confirmant D. Thomas 2.2. *quæst.96. art.4.* Cajetanus, Tabien. Armill. Sylvester, Vega, Pereyra *lib.1. Magia, cap.4.* Veracruz *lib.2. de anima*, Azor *tom.1. Moral. cap.2.* Ananias *de natura dæmonum, lib.4.* Cirvelo *de superstitione, p.3. cap.3. & 4.* Victoria *in relectione de Magia, num.34.* Martin. Delrio *lib.1. Mag. cap.3. quæst.4. & lib.3. p.2. quæst.4. sect.13.* Suarez *de Religione, lib.2. cap.15. num.26.* Lessius *lib.2 de justitia, cap.43. dub.10.* Sanchez

chez *lib. 2. Decalogi, cap. 40. num. 44.* Stephanus Bubulus *de Angelis, in D. Thom. p. 1. quaest. 50. art. 1. quaest. 2. disp. 2. §. 4.* Sonnius *de Religione, tract. 3. cap. 8.* Bejap. *classe* 24. Sequuntur ex Juris Professoribus Martin. Arles *tract. de superstit. n. 9. in Oceano Iuris, tom. 10. epistol.* Simanchas *de Catholicis Institut. tit.* 63. Grillandus *de sortilegiis, quaest. 6. num.* 18. Navarra *in Manuali, cap.* 11. Graffis *lib. 2. decisionum, cap.* 3. Zerola *in praxi Episcop. tom. 1. quaest.* 20. Llamas *in Methodo, cap.* 3. Majolus *tom. 1. colloquio* 3. & sequuntur ex Medicis Hippocrates *lib. de sacro morbo*, Galenus *lib. 6. & 10. simpl.* Fernelius *lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 26.* Horatius Augenius *lib. 2. cap. 7.* Andreas Laurentius *lib. 1. de virtute Regis Galliae, cap. 5.* Caesalpinus *de investigat. daemonum, cap. 22.* Codronchus *lib. 2. de morb. veneficis, cap.* 5. Forestus *tom. 1. observat. lib.* 15. Vairus *lib. 2. de fascino*, Fragoso *quaest.* 9. Ex quibus convincitur nullam esse vim naturalem agendi in verbis, aut characteribus, versibusve prolatis, aut appensis.

Probatur *secundò*. Tum quia divina lege prohibetur uti pro morbis curandis iis vocum instrumentis, & ne Dei amatores se immisceant harum impietatum professoribus, ut patet *in Deuteronomio, cap. 18. in Levitico, cap. 20. in Paralipom. cap. 33. in Isaia, cap. 2.* Tum prohibitum est ex humanis legibus, ut *in l. Multi, in l. Nemo*, in XII. Tabulis, *§. qui fruges.* Ulpianus Jurisconsultus damnat libros, & incantationes, etiamsi in morborum curationes dirigantur. In Concilio Turonensi inhibentur ligaturae, & inscriptiones, quae fiunt pro morborum curatione. Fragosus, & Renodaeus referunt, Senatusconsulto Atheniensium quandam mulierem, quae in Achaiae provincia verbis solis curabat, sine aliis remediis, lapidibus obrutam fuisse. Imperator Antonius Caracalla eadem poena jussit puniri illos qui tertianas, & quartanas febres amuletis, aut prolatis verbis curabant. De Pericle inquit Plutarchus, quod damnavit amuleta, contemptuque rejecit. Vairus, & Azor *tom. 1. Moral.* Caballistarum damnat irrisorias vocum, & scripturarum prolationes, & appositiones: sed magis illis adhaerens Quintus Serenus, mutans suprà illius relatam opinionem remedii ex ipso decantati pro febribus curandis, veritate coactus cecinit:

Multaque praeterea verborum monstra silebo.
Nam febrem vario depelli carmine posse,
Vana superstitio credidit.

Probatur *tertiò*, ratione. Verba nullam habent vim agendi: Ergo frustra laborant impostores, qui illis solis tentant curare febres. Patet antecedens ex communi consensu eorum, quos nuper citavimus. Tum quia solùm habent vim significandi conceptus ad quos significandos sunt imposita ab hominibus, tanquam signa ad placitum, quae possint ab illis mutari, & alia pro illis imponi.

Dices, quod licèt verba, & amuleta nullam habeant vim agendi naturalem, tamen debent illis uti Dogmatici, quia aegri in illis confidunt, & ille plures sanat, in quo plures confidunt.

Sed contrà stat *primò*, quod Medicus Dogmaticus curat per Medicinam, non per imposturas, sicut circulatores; & cognoscens virtutes medicamentorum, per quae intendit vincere morbos. Tum quia amuletis utentes sunt magi, habentes pactum cum daemone, & ratione pacti conantur uti virtute daemonum: quod est impium & execrabile, quia ut inquit Torreblanca *lib. 11. Iuris spiritualis, cap. 10.* tanquam de fide tenendum, incantationes & carmina ad magicos effectus esse vana, & falsa, nisi ex pacto cum daemone potestatem sortiantur, quia nequit privatus instituere ceremoniam, quae ex vi operis producat effectum, ut tenent Martin. Delrio *lib. 3. Magicar. disquisit. p. 2. quaest. 4. sect. 8.* Suarez *3. p. disp. 15. sect. 3.* Thomas Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 12.* Ergo nullo modo licet Medicis Dogmaticis impiis his uti remediis.

§. IV.

Qualia verba tenetur Dogmaticus admittere pro febrium curatione.

Resolvendum *secundò*, quod licet Medico Dogmatico admittere pro febribus curandis verba quae sine aliqua superstitione, & diaboli commercio proveniunt, à divina pietate expectando auxilium.

Probatur ex Spingerio *in Malleo malefic. p. 2. quaest. 2. cap. 6.* ex D. Thoma, qui docet conditiones per quas distinguuntur verba, & scripta, quae licita sunt, ab illicitis.

Prima est, ut prolata aut scripta non contineant aliquid quod pertineat ad invocandum daemonem tacitè, aut expressè.

presse. *Secunda*, quod verba, aut carmina non contineant aliqua verba ignota, in quibus lateat aliquod superstitiosum. *Tertia*, ne contineatur in verbis aliquid falsitatis. *Quarta*, ne contineantur vana, aut characteres aliqui, præter signum Crucis. *Quinta*, ne spes habeatur in modo scribendi, ligandi, aut dicendi, aut aliquo alio, quod ad divinam reverentiam non pertineat; quia aliàs omnia erunt superstitiosa. *Sexta*, ut in prolatione divinorum verborum respectus solùm habeatur ad divina, aut sacra verba, & ad Dei reverentiam & virtutem divinam, à qua expectetur effectus. *Septima*, ut divinæ voluntati committatur effectus, qui expectatur, qui scit an magis prosit sanitas, aut tribulatio.

§. Ultimus.

Quid dicendum de recepto usu amuletorum.

AD communem usum receptum amuletorum, patet ex supra posita reprobatione illorum, & dicimus cum Rhenodeo *lib.* 1. *cap.* 14. quod vulgaria amuleta, quibus aniculæ & circulatores utuntur, ludicra sunt, ridicula, inania, falsa, & impia, & quod nihil præstant physica virtute, sed tantùm auspiciis, & auxilio dæmonum, quorum versutiis incauti decepti leviter credunt, libenter obsequuntur, & imprudenter magica remedia admittunt.

Resolutio Quarta.

Utrum in longis febribus conferant febrifugia particularia empirica.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & pars negativa.

IN febribus, quibus chronica est duratio, non solùm ægri ad amuleta pertranseunt, sed per omnes Medicinæ divagantur Sectas, præcipuè ad veneficos recurrunt, & inter empiricos varia inveniunt febrifugia particularia, quæ ab illis observata dicuntur specifica pro omni curanda febre. De iis inquirimus remediis, an possint usurpari à Dogmaticis, dum remedia communia illorum nequeunt febres exstirpare. Pars negativa videtur suaderi, quia hujusmodi remedia commixtas habent imposturas, dæmonumque commercium: Ergo debent

A Dogmatici deviare ab illis. Probatur antecedens ex modo componendi, aut applicandi prædicta remedia. Tum Quintus Serenus, qui tenet febres curari per hanc dictionem ABRACADABRA, ponit virtutem in hoc, quod inscribatur in contractis lineis, quod nihil præstat ad agendum. Tum Plinius *lib.* 28. *cap.* 8. tenet febres curari cum canino crocodilli dente thure repleto, febrienti applicato, ita ut per quinque dies qui applicavit non appareat ante ægrum.
B Tum Plinius *lib.* 32. *cap.* 10. proponit pro febre curanda lapillum applicatum ex asello pisce, inventum in capite plenâ lunâ. Tum Xenocrates ramum pulegii applicat febrienti lanâ involutum, ante accessionem olfaciendum, & collocat intra illum ægrum. Tum ex eodem proponit pro tertiana Viviricius herbam quamcunque applicatam, collectam in fluminibus, aut rivis ante ortum solis, ita ut nemo viderit colligentem illam. Tum flagellis curatam fuisse quartanam,
C idem confirmat ex Plinio, & Seneca. Tum plura alia superaddunt agyrtæ specifica febrifugia indigna ut proferantur, quia manifestè sunt superstitiosa. Ergo indignum est Dogmaticis uti illis.

§. II.

Ex Empiricis aliqua à Dogmaticis sumuntur specifica febrifuga.

REsolvendum, quod si febres nullis cedant Rationalibus auxiliis, non erit indignum Dogmaticis recurrere ad
D febrifugia Empiricorum, in quibus nulla sit superstitionis suspicio. Sic deducitur ex variis Dogmaticorum decretis.

Probatur *primò* ex Joanne Philippo Gicsvvein *in Hodego Medico*, *lib.* 2 *p.* 2. *tit.* 1. ubi varia concinnavit febrifugia.

Tum ex simplicibus alligat carpis absinthium, acetosam, arnicam, bursam pastoris, card. bened, chamædryn, hypericum, & alia multa. Carpis etiam apponit cortices musci, aranciorum, echi-
E næchinæ, juglandium, radices, & fibras allii, aristoloch. rotund. asari, centaur. major. chelidon. maj. contrayervæ, dictami, filicis, gentianæ, hellebori nigri, taraxaci, tormentillæ: & ex animalibus proponit telas aranearum, araneas, bufones, putamina cancrorum, testas concharum oblongarum, cuculum, lapidem repertum in felle bovis, cor piscis lucii, & fel millepedis, oculos cancrorum, perdicum jecur, cor ranarum, tal-

pam. Tum uberiori calamo immiscet A empirica cum spagyricis compositis, inter quæ sunt præcipua aqua antipyreton Poteri, antifebricula Timæi, benedicta Rulandi, febrifuga Mynſ. & Scrœderi febrilis ſpecifica, Hartmani formicarum proſilautica, apud Sylvium aqua Ens balſami dicta; Scrœderi arcanum corallinum. Myſine. bezoarticum Joviale, Crollii cataplaſma ex unguento populeonis, cum telis aranearum, decoctum aſari, auriculæ muris, centauræ B minoris, zinziberis, elyxir febrile Amyſinch. emplaſtrum febrifugum Strobeb. febrifugium Kergeri, oleum aranearum, coſtinum, myrrhæ, piperis, ſcorpionum, ſuccini, pulvis antifebriticus Timæi camphoratus, antifebrilis Scrœderi, Cornachinus febrilis Gruling. ſyrup. antifebrilis Timæi, ſpecificum febrile Crollii, & Oſualdi: tinctura antifebrilis Mynſ. Saxoniæ, Poteri, & plura alia.

Probat *ſecundò* Arcyes ex variis fe- C brufugiis Empiricorum, à Dogmaticis receptis, inter quos adhæret Freytagio *in Aurora Medicor. lib. 2. cap. 7.* Laudat pro febrifugio flores centauri minoris & foliorum decoctum, & ſuccum radicum propinatum cum hydromele: præcipuè prodeſt ſi cum decocto addatur oxymel. Laudat cum eodem camædryos decoctum, quod laudant etiam ex eodem Lacuna, & Proſperus Alpinus pro febrifugio: hic exhibet ʒ. j. ejus pulveris cum jure pulli ante acceſſionem. Laudat D cum Zacuto & Sylvatico eupatorii decoctum, cum Mathiolo decoctum aſari in vino paratum cum melle: ſuperaddit Freytagius ſuccum radicis ſambuci ad ℥. j. ante paroxyſmum, in vino aut juſculo: vel cum Lacuna aquam deſtillatam gentianæ, vel ʒ.j. ſucci condenſati gentianæ: ejus aquam aliter compoſitam proponit ex Vvecchero 2. *Syntaxis, cap. de tertiana notha.* Alii utuntur ʒ. j. ex ſucco gentianæ condenſato. Fonſeca ſic parat febrifugium.

℞. Aquæ vitæ ℥. ß. olei ſulphuris E gut.iij. miſce: vel aquam infuſionis abſinth. ebullitam ad conſumptionem medietatis, ad ℥. iiij. per duas horas ante acceſſionem. Vel ex Quercetano ℞. aquam deſtillatam ex floribus camæm. ad ℥. j. per quatuor dies. Vel trochiſcos eorundem flor. ad ʒ. j. in jure pulli: vel decoctum camæmali laudatum à Manardo *lib. 19. epiſtol. 4.*

℞. Flor. camæm. p. ij. comar. abſinth. p. j. coque in ℥. xij. aquæ cichorii ad conſumptionem tertiæ partis, poſt colaturam cum ſaccharo dulcoretur: pro doſi ℥. iiij. calidè, in quartana per horam ante paroxyſmum maximè laudantur. Areyes ſimul ex camæmalo & abſynthio decoctis oxymel componit.

Probatur *tertiò*, ex eodem, longas febres exſtirpari potiùs per medicamenta purgantia & deobſtruentia ſimul, & per ſudorifica communia, ſalſam parillam, ebenum, radicem chinæ, ſaſſafras. Proponit ad purgandum medicamentum Cratonis *lib. 7. conſil. 47.* deſcriptum, & deobſtruentia per uſum chalybis, vel oxyſaccharum vomitivum ex deſcriptione Angeli, ſic.

℞. Vitri antimonii pulverizati ℥. ß. aceti vini albi odorifici ℥. viij. infunde in balneo lento per horas 15. cola, adde ſacchari albiſſimi ℥. iiij. & in patina reduc ad conſiſtentiam oxyſacchari liquidi inſtar julepi: doſis ab ℥. ß. ad ℥. j. exhibe hora una ante acceſſionem: movet vomitum, & ventrem.

Probatur *quartò*, ex dictis à nobis *tom. 2. ſect. 5. reſolut. 3. & tom. 3. tract. de febr. interm. lethal. cap. 2. §. 4.* Propoſuimus cataplaſma in carpis applicandum.

℞. pulver. pirii, pulver. ſalis communis fuſi, ana ʒ. iij. herbar abſinth. burſæ paſtoris, urticæ, rutæ, ana m. ij. telæ aranear. nucis moſchatæ, olibani electi, ana ʒ. ij. cum terebenthina fiat cataplaſma.

Plura ibidem retulimus febrifugia, ſed præſtantius judicavimus præclarum noſtra ætate receptum febrifugium pulverum de Quarango, de chinachina, ſeu quartanarum, de quo latè egimus *tom. 2. ſect. 5. reſol. 4. & tom. 3. cap. 3.* quod primò utile apparuit in morbis frigidis, poſtea in quartana expertum, poſtea in longis quibuſvis febribus, immò & à nobis expertum in acutis, & perniciosis febribus. Communis uſus eſt à ʒ. j. ad ʒ. ij. Pulveres de chinachina infunduntur in vino albo ab ℥. iij. uſque ad ℥. vj. per horas ſex: exhibetur in principio acceſſionis poſt corporis evacuationes & materiæ morbificæ præparationem in morbis longis, in acutis tempore urgentiæ. Doncely *in Theatro Pharmaceutico*, cum Sebaſtiano Bado & aliis affirmat, per hoc febrifugium continuas etiam curari febres, ſicut intermittentes, alioſque latentes morbos. Vinum in quo infunduntur pulveres de chinachina pro illorum vehiculo, præſtantiſſimum ſit.

Sed novatores, ut aliquid videantur superaddere, mutant formulam. Sunt qui miscent pulveres chinæchinæ cum aliis purgantibus, sine fructu, cùm provocent vomitum, & impediant propriam fermentationem. Alii cum vino reducunt in formam extracti liquidi: dosis à 3. j. ad 3. j. ß. Alii reducunt in formam extracti consistentis, & pro dosi exhibent 3. j. in formam pilularum, ut evitetur amaritudo saporis. Præstantior usus est per infusionem in vino.

§. ULTIMUS.

Quid dicendum de proposita dubitandi ratione.

AD rationem dubitandi dicimus, quod sunt aliqua febrifugia, in quibus aliquæ relucent naturales vires, quæ per causæ correctionem aut evacuationem possunt febrem curare: sunt alia in quibus licèt non sint nobis cognitæ vires, sunt tamen ab aliquibus expertæ sine suspicione impietatis; & hæc apud Empiricos reperta possunt à nobis usurpari. Sunt autem alia, ut proposita febrifugia, quæ superstitiosa apparent, & iis uti prohibitum est Christianis, & cunctis Dogmaticis Medicis, qui medicamentis debent uti, quæ propriis viribus valeant curare.

RESOLUTIO QUINTA.

Utrum Anima mundi sit, à qua curantur febres.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & pars affirmativa.

NAtura est morborum medicatrix: Medicus adjutor naturæ. Sic contingit in febribus, quarum causas avertit Medicus, natura sanitatem deducit, animave per suas naturales operationes restituit deperditam sanitatem. Duplex anima admittebatur ab antiquioribus: alii animas tantùm individuorum viventium separatas tenebant, prout & nos fatemur: alii cum Platone tenent totum mundum unum esse vivens per unam animam informatum, & ab illa provenire omnes actiones vitales omnium viventium, ex quibus mundus componitur; & juxta hanc opinionem fateri tenentur, quod anima mundi est una, & quod & sanitas, & om-

A nes actiones viventium proveniunt ab illa.

Probatur quod mundus sit unum vivens per unam formam mundi informatum, & quod in febrientibus, ab illa provenit febrium curatio, & sanitas. Ita ex Platone *in Cratillo*, & ex Epimonide. Tum *primò*, sunt plura viventia in munde, ut plantæ, & animalia, quæ non possunt vivere sine anima informante illa, quia anima ex Aristotele est per quam vivimus, sentimus, ac intelligi-

B mus: Sed eo ipso, quod vivant aliquæ partes universi per animam, necessariò convincitur quod totus mundus vivit per animam mundi informantem totum illum: Ergo fateri tenemur, quod totus mundus vivit per animam totum illum informantem. Probatur minor. Non est admittendum quod aliqua pars sit perfectior, quàm totum, cujus est pars: Sed si partes universi viverent, & non viveret universum per formam informantem totum illud, partes viventes essent

C perfectiores toto universo: Ergo esset aliquod totum cujus partes essent toto illo perfectiores.

Secundò, ex cœnosa materia producuntur animantia sine aliquo semine, ex cujus virtute fiant: Ergo debet assignari causa, à qua generentur: Sed hæc sola est universi anima, seu anima mundi: Ergo mundus debet habere animam producentem illa. Probatur minor: nam viventia nequeunt à non vivente generari: Ergo cùm in mundo fiant sine se-

D mine, & consequenter sine omni alio vivente, necessariò petunt fieri à mundi vivente forma.

Tertiò, Boëtius *lib. 3. de consolatione, metro 9.* tenet quod Deus administrat motus cœli per animam mundi: Ergo idem fatendum de ejus anima ad faciendos motus horum inferiorum, simul & ad febres exstirpandas, & ad sanitatem comparandam.

Probatur *quartò*, ratione magis concludente. Forma mundi est necessaria ut

E exequatur peculiares operationes, quæ sine illa nullo modo possent exerceri: Ergo simul ad conservandam & acquirendam sanitatem in homine, & ad expellendas illius febres. Probatur antecedens: Nam totum artificium conformationis inferiorum, præcipuè hominis membrorum delineatio ad usum, utilitatem, & necessitatem, & præcipuè mortuis parentibus conservatio, non nisi à perfectissima, & intelligente mundi anima

posset perfici. Præterea varia specifica animantium opera, antipathiæ, & sympathiæ rerum, & alia quæ sublunarium excedentes vires superant, nequeunt nisi à superiori hac anima mundi produci. Ergo nec mirandæ febrium curationes, crises & sanitates possunt sine illa fieri in rebus.

§. II.

Nulla mundo tribuitur anima, præter illas quâ vivunt peculiaria viventia.

RESolvendum, quod nulla est anima communis mundo, sed sanitas, & reliquæ operationes in homine, & aliis viventibus fiunt ab illorum individualibus animabus.

Probatur *primò* ex Aristotele *lib. 2. de anima, cap. 1.* ubi definit animam, quod sit *Actus corporis physici & organici.* Sed mundus non est corpus physicum, & organicum: Ergo nulla anima potest esse illius actus. Probatur minor. Tum quia mundus non est unum corpus per se, sed unum aggregatum infinitorum ferè corporum. Tum quia mundus non posset ratione formæ mundi dici unum ens per se, quia anima, seu forma substantialis, quæ dat esse enti per se, debet esse actus primus materiæ: forma verò mundi peteret informare omnia illius individua, quæ per suas formas jam sunt entia per se. Tum si forma mundi informaret omnia entia mundi, omnia quæ sunt in mundo essent una rerum species, vel metallica, vel vegetativa, vel sensitiva; cùm ab eadem forma deberent recipere idem esse. Tum, si forma mundi est vegetabilis, omnia mundi entia sunt insensibilia; si rationalis, omnia sunt rationalia, & apta beatitudini divinæ. Tum, si forma mundi esset rationalis, aut homines omnes informantur per illam solam, aut per alias sibi proprias & particulares. Si per solam illam, solus mundus meretur, aut peccat, & reliqui homines nec damnantur, nec merentur. Si reliqui suas alias habent formas rationales, frustranea est illis forma mundi, cùm à suis formis habeant esse rationale.

Probatur secunda pars. Nam sanitas, quæ ex Galeno, est passio viventis, debet resultare mediâ formâ viventе: Ergo cùm nequeat provenire post febres & alios morbos à forma mundi, quæ non est possibilis, debet provenire ab individuali forma viventis.

§. III.

Ad argumenta pro anima mundi respondetur.

AD *primum* respondetur, quod mundus non est totum compositum ex coadunatione suarum partium, sed tantùm ex illarum congregatione; & ideo non inconvenit, quod aliquæ partes, quas aggregat, sint toto illo perfectiores.

Ad *secundum* respondetur, quod animalia quæ fiunt ex cœnosa materia, & sine semine, ne detur materia sine forma, fiunt directione primæ causæ, & ejus ope, ut alibi latiùs demonstravimus & prosequitur Fortunius Licetus.

Ad *tertium*, respondetur, quod Boëtius proponit animam mundi, non ex sua sententia, sed ex Platonis opinione, vel ut tenet D. Thomas, quod loquitur non de anima informante mundum, aut cœlos, sed de Angelis moventibus illos.

Ad *quartum* respondetur, quod quamplurima quæ difficillima apparent in fœtus formatione, in partu, & in multiplici instinctu rerum rationalium, in sympathia, & antipathia, omnia proveniunt à formis particularibus rerum, quibus Deus præstitit peculiares virtutes, per quas varios illos effectus valeant producere.

RESOLUTIO SEXTA.

Utrum omnes febres petant curari per sua contraria.

§. I.

Amonii & Chymicorum proponitur assensus.

CUm non sit unum universale remedium pro omnibus febribus, sed plura pro pluribus, & variis earum causis; de iis inquirimus, an omnes febres, & morbi petant curari per sua contraria? Curatio, ut tenet Galenus *lib. 9. meth. cap. 15.* est *præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio.* Hanc consequitur Medicina per propria morbi remedia: assequuntur hæc per methodum curativam, quæ apud Dogmaticos est pars Medicinæ, quæ per ratiocinium, analogismum, experientiam, & indicationes propria remedia

dia quæ requiruntur pro morbis curandis, quærit, & invenit. De hac Medicinæ parte inquirimus, an pro febribus curandis, simul & pro aliis morbis, præcipuè quærat per indicationes remedia quæ illis sint similia, an quæ illis sunt contraria, saltem illi à quo sumitur indicatio?

Quod contraria contrariis curentur, axioma est receptum, & communissimum inter Dogmaticos; ideoque illud ut indemonstrabile tenet Galenus hoc commune Medicinæ recipiendum esse B principium. Sed Paracelsus ex Amonio, Severinus ex Paracelso conantur illud evertere, sancireque quod febres & morbi potiùs per sua similia, quàm per sua contraria debeant curari. Sennertus refert *tom.3.* inter eorum placita duplicem admitti similitudinem, aut cum natura, aut cum morbo. Utramque tenent requiri pro morborum curatione. Cum natura, quia ipsa est morborum medicatrix, & ipsâ reluctante, omnia irrita fiunt, ut docuit Hippocrates. De similitudine C cum morbo, comprobant ex medicamentis, quibus utimur pro febrium curatione, præcipuè ex febribus, quæ calidiores curantur usu rhabarbari, quod calidissimum est, & purgat ob similitudinem naturæ. Spagyrici præterea in sua secta contendunt probare, quia morbos ortos ex sale, tenent curari sale: ortos ex sulphure, cum sulphure: & cum Mercurio, ortos ex Mercurio.

Præterea, Dogmatici aliqua proponunt fundamenta contra hoc axioma D tantopere ab illis receptum. Tum primò ex Hippocrate, qui 5. *aphorism.* 21. tetanum, qui est affectus frigidus, docet curari aspersione aquæ frigidæ. Tum secundò, 1.*aphor.*23. docuit, *Quò natura vergit, eò ducere oportet:* idest per similem evacuationem. Tum tertiò, *lib.6. vulgar. sect.2. text.9.* docet, dolorem dolore sedari. Tum quartò, *lib. de loc. in homine*, per vomitum curat vomitum, & fluxum fluxu. Tum quintò, Galenus *lib.6. Epidem. comm.9.* in ventriculi mor- E bis consulit contemperationem. Tum sextò, *lib.5. de rat. victus*, bilem curari docet cum rhabarbaro, quod calidum est. Tum septimò, Avicenna, & Aëtius, & reliqui Medicinæ Dogmaticæ Professores cum similibus pharmacis similes morbos curant, & in plurimis febribus vino utuntur, aliisque calidis remediis in quartana, & quotidiana. Ergo non contrariis, sed simi- A libus petunt sæpe curari febres, & alii morbi.

§. II.

Commune axioma recipiendum à Dogmaticis.

Resolvendum, quod contraria contrariis curari, est primum Dogmaticorum principium pro febribus, & aliis curandis morbis. Sic sancivit Hippocrates, & confirmavit Galenus variis in locis, ut tenet Sitonus. Hippocrates *lib. de loc. in homine, num.5 sect.2. aph.22.* Galenus *in comm. & lib. eodem, sect.3. text.23. & lib. de nat. humana. & in expositione comm.1. sect.6. & comm.2. text.1. & 17.* idem Galenus *1. de arte curat. ad Glauc. cap. 5. & 9. & lib. 7. Methodi, cap.3. lib.8. cap. 3. lib. de humor. comm.1. text.1. & 18. lib.6. epidem. comm.1. textu 1. & 9.* & ibi *in comm.3. text.31. de const. art. Med. cap.12. de natur. & ordine cujuslibet partis corp. cap. 1. de simpl. medic. facult. lib.5. cap.2. de recta ad eos qui introducuntur, cap.3. lib. de aquis, cap.2. p.3. & p.6. cap.3. lib.1. de sanit. tuenda, cap.7. lib.4. cap.3. lib.7. cap.10. de sympt. causis, cap.6. de officina Medici, comm.3. text.32. artis Medicæ, cap.89.*

Per contrarium non solùm intelligimus quòd in rigore, & per se contrarium est, quales sunt plures qualitates, ut frigus, & calor; sed quod opponitur morbo, quocumque modo valens illum curare, sive per se, sive per accidens auferendo causam, licèt tale sit simile morbo, qualiter rhabarbarum calidum purgans bilem opponitur febri, quam oppugnat auferendo causam à qua conservatur, sive quocumque alio modo inducens affectum morbo contrarium, & illius corruptivum, ut aspersio aquæ frigidæ in tetano, quia retinens spiritus, sive calidas fuligines, est causa ut naturalis, sive internus calor intendatur, & ab illo vincatur frigiditas causans tetanum. In hac consideratione hoc principium Dogmaticorum est receptum apud illos, ut tenet Zacutus *tom.1. lib.2.* & admittunt Conciliator *differentia 153.* Vega *in comm. art. medicinal. cap. 83.* Maximè sancivit hoc primum principium Hippocrates *lib.2. de natura humana*, dicens: *Oportet præterea hoc novisse, quod morbos, quicumque ex repletione ortum habent, evacuatio sanat; quos verò parit evacuatio, repletio curat; quos gignunt labores, illis quies re-*

medio est, quos nimium inducit otium, labor tollit. Idem confirmat 2. *aphor.* 22. & 5. *aphor.* 57.

Ratio fundamentalis est, quia conservatio & destructio rerum opponuntur. Sed omnis conservatio fit à simili. Ergo omnis corruptiò fit à contrario per se, aut per accidens corrumpente suum contrarium.

§. III.

Quid dicendum pro argumentis Paracelsi & Severini.

AD Paracelsum, & Severinum: Respondetur quod intendunt probare morbos curari per similia, quia apud Dogmaticos rhabarbarum calidum curat febres; & in sua Secta sal, & sulphur curant morbos ortos ex sale, & sulphure. Sed ineptè probant, quia deberent probare, quod per similes virtutes curant illos: eos enim potiùs curant per contrarias, quas in se habent diversas, etiamsi in aliquo sint similia. Rhabarbarum enim est calidum, sed non curat febres per calorem, sed per facultatem purgativam, per quam expellit febris causam, cui hæc opponitur; & sal, quod sali communi assimilatur, non curat salis morbos, quia sal, sed quia habet diversas virtutes, coagulandi, dissolvendi, & alias; & per virtutes dissolvendi curat coagulandi virtutem, quam fingunt Spagyrici: & ideo non per similitudinem, sed per contrarietatem consequitur effectus ab illis repertos. Sic Paracelsus, ut tenet Freytagius, lapidem qui D fit per salis coagulationem curat salibus penetrantibus, & dissolventibus; quia licèt sales sint similes, contrariæ tamen sunt eorum qualitates, quibus se oppugnant.

§. IV.

Quid dicendum pro Dogmaticorum apparentibus contradictionibus.

AD apparentes contradictiones respondetur. Tum pro *prima*, quod tetanus per accidens curatur à suo contrario in aspersione aquæ frigidæ, quatenus frigiditas aquæ auget calorem internum, qui cùm sit contrarius frigiditati, quæ est causa tetani, suâ contrarietate illam vincit, & à contrario consequitur curatio ejus respectu à quo sumitur curativa indicatio. Tum pro *secunda*, quod vergentia adjuvat pro evacuatione A exsuperantis humoris; humor verò morbum creans evacuatione truditur à medicamento movente illum, & per illam curatur retentio. causæ foventis morbum, tanquam per suum contrarium. Tum pro *tertia*, quod intensior dolor obscurat minorem, non curando illum, quia uterque remanet, manente sua causa; sed avertendo imaginationem in objectum magis dolorosum, intra cujus intensionem remissior manens non curatur, sed obscuratur. Tum pro *quarta*, quod vo- B mitus non curat vomitum, quia vomitus; sed tanquam evacuatio humoris causantis primum vomitum per suam repletionem, cui opponitur vomitus subsequens, tanquam suum contrarium. Tum pro *quinta*, quod Galenus consulit in morbis ventriculi contemperationem factam per contrarium ejus, à quo læditur. Tum pro *sexta*, quod rhabarbarum, ut diximus, non curat febrem, quia calidum, sed quia ut purgans contrariatur replenti humori, à quo fovetur febris. Tum pro reliquis, quod Dogmatici C utuntur in febribus vino, & aliis calidis medicamentis, non sumendo indicationem per se à febre, à qua indicatur frigiditas, sed per accidens à causa frigida, à qua pendet febris, ratione putredinis.

RESOLUTIO SEPTIMA.

Utrum à solo intenso calore indicentur remedia per se pro febrium curatione.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio ex communi opinantium diversitate.

IN omni opinantium sorte, ut vidimus, pro febrium curatione unus est finis; sed consequutio tentatur per varia media. Dogmatici quammaximè illa quærunt per indicationes, quæ sumuntur ab ipsa febre; & ipsa per se tendunt ad febris curatiunem, quæ sumuntur à cau- E sa per accidens. De indicatione per se inquirimus, an sumatur à solo calore, quatenus sit præternaturalis à sua intensione.

Videtur quod nulla per se sumpta indicatio à febre requiratur ad illius curationem. Tum *primò*, quia ut diximus, omnes sectatores Medicinæ in reliquis Sectis intendunt curationem febrium: Sed nulli per indicationem per se sumptam

ptam à febrili calore. Tum *secundò* adhuc inter Dogmaticos, ut diximus *tom.1. Resol. p.3.disp.1.resolut.2.* sunt plures qui febrem non constituunt in præternaturali calore adaucto: Ergo nec ab illo potest sumi indicatio per se curativa. Patet antecedens: Nam Faventinus tenet, febrem esse temperamentum vergens ad caliditatem, cum Galeno, qui docuit febrem esse conversionem nativi caloris ad igneam caliditatem. Abaltomari febrem ponit in actione calefaciente, &, deficcante corpus. Vega tenet esse relationem: Trincavelius, esse calidam substantiam: Sanctacruz, esse privationem. Alii esse tenent simul calorem & siccitatem: alii etiam esse frigiditatem, à quibus nequit sumi indicatio per se ab intenso calore, cùm non judicetur febris.

§. II.

Calor febrilis ex intensione per se indicat contrarium.

Resolvendum *primò*, quod majori ex parte fit febris ex intensione caloris ultra debitam intensionem viventi, & ab illo per se indicatur suum contrarium. Hanc per se indicationem admittunt solam major Dogmaticorum pars, præcipuè citati à nobis *tom.1. p.3.* qui in sola intensione caloris omnem febrem constituunt, inter quos sunt Vallesius *lib.1. de differ.febr.cap.1.* Mercatus *lib.1. de essentia febris*, Carreïrus *fen.4.tract.1. disp.9.* Matamoros *lib.1.tract.1.* & comprobatur ex Hippocrate, Galeno, & Avicenna, qui manifestè de hac sola febre videntur egisse; præcipuè Galenus *lib.6. de morb.vulgar.p.1. comm.29.lib.8. Methodi, cap.1.lib. de caus. morb. cap.2. & lib.1.prorrhet.sect.17.*

§. III.

Calor sine superaddita intensione fit febrilis sola modificatione.

Resolvendum *secundò*, quod calor sine intensione ultra naturam, sola modificatione solet fieri febrilis & indicans per se remedia ut taliter modificatus.

Probatur ex Hippocrate, & Galeno qui admittunt, dari plures febres parvas & malignas infidis signis firmatas, quæ tertio die, aut citiùs interimunt; & in peste, & febribus castrensibus admittunt Juniores, quod sine nova in- A tensione caloris contingunt; sola enim venenosa pestilente qualitate, sine intensione caloris modificatus calor fit febris lethalis, pestilens & causans omnia symptomata, quæ ab intensiori calore valent supervenire. Hoc idem fatentur Hugo, & Gentilis *in extravagantibus, quæst. 4. §. Ad hujus declarationem præmitto duas propositiones. Prima est, calorem naturalem posse distemperari per calorem extraneum dupliciter. Primo modo per calorem extraneum secundùm gra-* B *dum: alio modo per proprietatem malam, quanvis in gradu non excedat.* Ergo sine intensione in gradu potest fieri febris.

§. IV.

Solvuntur modi philosophandi primò adducti.

Ad rationes primò propositas, respondetur. Tum pro *prima*, quod quælibet Medicinæ Secta, sicut & propria, & ab aliis diversa habet principia, C sic & diversis utitur remediis. Nos solùm loquimur de illis, quibus utuntur Dogmatici, & de modo quo per indicationes illa invenire nituntur.

Tum pro *secunda*, quod Dogmatici, qui à morbo sumunt indicationem per se, ad invenienda remedia per se indicata, sicut differunt in cognitione entitatis febris, differunt etiam in inveniendo remedio contrario illi. Sed licèt modo dicto differant in assignanda febre pro formali, conveniunt tamen in eo D quod calor sit febris, quia est qui lædit operationes; sive ratione intensionis, sive ratione modificationis.

Resolutio Octava.

Utrum sit unica generica methodus pro diagnosi, & curatione omnium febrium.

§. I.

E *Qualis Dogmatica methodus demonstret febrem in communi.*

Resolvendum *primò*, quod methodus Dogmatica cognoscendi febrem ortam ex intensiori calore, attenditur ex modo caloris, ex pulsu, ex accidentibus, & ex concomitantibus.

Probatur. Tum ex Cælio Aureliano *lib.1. acutor. cap. 14.* inquit enim: *Cùm febrium fervorem utplurimùm ponant & in mutatione pulsus, & in vehementia,* ex

ex aliqua hac manifesta debent fieri causa. Tum Cornelius Celsus *lib.3. cap.6.* inquit : *At protinus etiam scire licet, non febricitare eum, cuius vena naturaliter ordinata sunt, teporque talis est, qualis esse sanis solet.* Ex quibus patet, ex intensiore calore, & ex pulsu febrem cognosci. Tum firmant Hippocrates, & Galenus varia signa concomitantia febrium, eam significare. Hippocrates *lib. 1. epid. sect.3. text.1.* docet, febrem cognosci ex propria natura, ex natura febris, ex morbo, ex ægroto, ex iis quæ offeruntur, ex particulari constitutione orbis, regionis, ex ætate, moribus, somnis, vigiliis, studiis, vellicationibus, exacerbationibus, excretis, à quibus febris calor apparet.

§. II.

Qualis sit methodus cognoscendi febres ortas ex modificatione.

RESolvendum *secundò*, quod febres ortæ sine superaddito gradu caloris, ex sola modificatione cognoscuntur, quia sine calore superaddito, & sæpe sine immutato pulsu fiunt ex illis lethalia symptomata calorem redolentia.

Probatur ex Galeno, qui agens de iis febribus castrensibus, malignis, & pestilentibus, inquit esse parvas febres, malignas, infidis signis firmatas, & quæ tertio die, aut citiùs interimunt. Et Avicenna de iis tenet, quod interimunt cum bonis lotio, & pulsibus. Ergo ex iis signis possunt cognosci, simul & ex illis, quæ maximè relucent in peste.

§. III.

Aperitur communis methodus curandi febres putridas.

RESolvendum *quartò*, quod febrium putridarum curatio communi quadam methodo prosequitur.

Probatur. Tum *primò*, donec apparet species febris, regimine tantùm utendum; inquit enim Avicenna : *Quod si non cognoveris febrem, subtilia regimen.* Tum in febre putrida attenditur an simul cum febre venarum complicentur cruditates in prima regione; & curatio tentanda primò ex Galeno *lib.de sanguinis missione, & lib. 9. Methodi*, ab earum ablatione. *Quod si præcedat ciborum cruditas, tantopere venæ sectionem differre iubebis, quantum sufficere videbitur tum ad eius coctionem, tum ut excrementa*

A *descendant.* Tum febre permanente, *in principiis*, ut docet Hippocrates, *si quid tibi videtur movendum, move.* Galenus tenet, quod hoc fiat, *sive per sanguinis missionem, sive per purgationem.* Per purgationem, si fit orgasmus; per sanguinis missionem, si ustione, aut putredine alteretur sanguis, vel alii humores sanguini commixti, quod fit communiter: ideo Galenus *lib.9. methodi*, inquit : *In omnibus febribus non continuis modò, verùm & aliis omnibus, quas putrescens* B *citat humor, convenit sanguinis missio.* Tum multitudo materiæ, intensio febris, supervenientia accidentia, præscribunt occasiones mittendi sanguinem, & illarum præscribunt numerum. Galenus *lib. de sang. missione, cap.20.* ait: *Non numero dierum præscribi sanguinis missiones*; sed debere exerceri, *dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium.* Tum, dum per sanguinis missionem minuitur causa morbifica, ut C remanens coquatur, iuvatur coctio syrupis, aut decoctionibus, aliisque attemperantibus, incrassantibus, aut scindentibus humores: inquit enim Hippocrates : *Si quem purgare volueris, oportet corpora fluida facere.* Tum alimenta offeruntur iuxta indicationes desumptas à consuetudine, à viribus, à morbo permittente : inquit enim Hippocrates, *In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocivum est.* Tum à prava putredine provenit plerumque in febri- D bus maligna qualitas, seu malus mos morbi, pro quo vitando, vel corrigendo communiter pro usu veniunt alexipharmaca varia, sive ab Spagyricis celebrata, sive à Dogmaticis ratione inventa, quorum magna est copia usualium apud ipsos. Tum si materia turget, aut urget, ex Hippocrate statim eadem die purganda est materia morbifica, ut inquit Galenus, ne decumbat in partem principem : sed tamen si sine præcipiti periculo, tentantur derivationes, revulsiones per clysteres, frictiones, cucurbitu- E las, scarificationes. Tum si alii morbi cum febre complicantur, adhærent Dogmatici Avicennæ *fen.4. lib.1. cap.31.* dicenti : *Cùm multa contingunt ægritudines, ab ea incipere debemus, in qua una earum trium proprietatum existit : una earum est, quod aliam sanari non oportet antequam ipsa sanetur, sicut apostema & ulcus : secunda earum est, cùm una ægritudo causa fuerit alterius, sicut cùm accidit oppilatio, & febris : tertia, cùm fuerit*

fuerit una earum, de qua maior solicitudo A *sit habenda, ut ab eo quod magis urget.* Et ita tenet Galenus 1. *de art. curat. ad Glauc.cap.14.lib.3. Methodi, cap.9.lib.7. Meth.cap.12.* Tum semper attendendum, *quid, cum quo, quid post quod.* Semperque eum Celso *lib.3.cap.4.* meditandum, quod euratio fiat *tutò, citò, & iucundè.*

Humoribus concoctis, pergit Dogmaticus ad illorum curationem, ex Hippocrate 1.*aphor.22.* ubi ait: *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principiis morborum, nisi materia turgeat.* B Si hæc sit crassior, & heterogenea, expedit paulatim concoquere, & paulatim expurgare per epicrasin. In reliquiis simul cum radicativa expurgatione, quia ex Hippocrate, *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere consuevere.*

Contingit quandoque post peractam coctionem adhuc febres infestare, ut tenet Galenus *lib.3. prognostic.* vel quia ægri delinquunt in diæta, vel quia fovetur febricula ab obstructionibus, vel quia jecur, & viscera ustione laborant. C Prosequuntur Dogmatici curationem, in intemperatis, correctione regiminis: in obstructis, cum deobstruentibus: in phlogosi, corrigendo intemperiem, vel jecorariâ apertâ venâ, vel sanguisugis contentum in visceribus evacuando, vel corrigendo intemperiem cum sero, ptisana, aut lacte in admodum extenuatis, præsertim asinino. Sunt ex usu jura cum herbis refrigerantibus, cum quibus confert sal, aut crystallum Tartari.

§. V.

Pars curatrix febrium, à quibus sumit materiam pro indicatis.

RESolvendum *quintò*, quod materiæ medicæ, seu remedia pro febribus curandis, sumuntur ex parte Diætetica, Chirurgica, & ex Pharmaceutica.

Probatur ex Galeno, qui id docuit *lib. 2. acut. comm. 6.* & Celsus *lib. 1. in proœmio.* Intendit enim Medicus rectà invenire, rectè inventis uti. Rectè in- E venit remedia pro febribus, illis cognitis, & coaptat indicationibus juxta morbi, & causæ indigentiam, attentisque contraindicantibus. Rectus usus remediorum consequitur per debitam quantitatem: hæc sumenda ab activitate remedii, ex Galeno *lib.9.method.cap.14.* ex modo agendi, juxta majorem, aut minorem passionem, ex Galeno *lib.4. Method.cap.7.* ex tempore agendi, ex Gale-

no *ad Trasibulum:* & ubi agendum, aut circa quam partem, ex Galeno *lib. 12. Methodi, cap. ult.* Juxta quæ varia pro febribus adaptantur remedia, varii se offerunt applicandi illa modi. De iis remediis, quæ pro usu curationum in febribus sunt communia Dogmaticis, inquirimus; desumuntur enim ex tribus fontibus, ex Diætetica, Chirurgica, & Pharmaceutica, de quibus Medicinæ partibus prosequimur disputare.

Resolutio Nona.

Utrum possit dari aliqua Methodus pro febribus præcaveudis.

§. I.

Quales febrium causa attendenda pro illis præcavendis.

PRo morbis præcavendis, vitandæ illorum causæ, ut docuit Hippocrates in aphorismis. *Quibus sanguinis missio, aut purgatio convenit, iis vere expedit exercere;* ut morbi, qui timentur in æstate, præcaveantur, scilicet ablatâ causâ. Sed pro præcavendis febribus investigandæ illarum causæ, in quibus determinandis varii fuerunt veteres. Hippocrates febres tenuit oriri ex bile, & pituita, aliàs à flatibus, & ex aliis similibus causis. Diocles, ut refert Galenus *lib.de hist. Philosoph.* omnem febrem asserebat fieri ex inflammatione, abscessu, aut vulnere, sive externis, sive inter- D nis, sive occultis. Erasistratus, ut tenet Galenus *lib. de natura humana, cap. 2.* dixit quod sicut aquæ moventur in mari ventis agitato, sic in corpore humores ex commoto sanguine, à cujus commotione accenduntur, & fiunt febres. Asclepiades, ut tenet Aurelianus 1. *acut. cap.14.* corpus componi tenebat ex atomis semper commotis, ex quorum occursu judicabat febres accendi. Plato, ut refert Galenus *lib. de placitis Hipp. & Platonis*, affirmabat ab excessu ignis in corpore fieri febres. Athenæus omnes febres tenebat causari à putredine: Apollisanes, à cordis magno tumore: Paracelsus ab accensis sulphure, & mercurio: Vanhelmon tenet quod causa febris est Archæus, qui seipsum accendit in noxa, quo intendit expellere materiam occasionalem. Quibus relictis figmentis, gradum faciamus ad inquirendas varias, ac proprias causas febrium, ex quarum præcautione febris præcavenda.

Restat pervenire ad Galenum, qui veras febrium causas docuit. Tenet enim provenire febres ex duabus causis, ex corporis dispositione ad febres, & ex causis potentibus nostri corporis calorem intendere. Quod conferat nostri corporis dispositio, patet ex Aristotele *lib. 2. de animalib. cap. 2.* & ex Galeno *lib. 1. de different. febrium, cap. 4.* Assentitur communis doctrina, *quod actus activorum sunt circa passum bene dispositum.* Confirmat Avicenna *lib. 1. sufficientiæ*, dicens: *Agens debile potentius operatur circa passum dispositum, quàm agens fortius circa passum indispositum.*

Qualia sunt corpora disposita ad febres, docet Galenus *lib. 8. Methodi, cap. 8.* Sunt *primò* calida, & sicca: *secundò* calida, & humida: *tertiò* calida tantùm: *quartò* sicca tantùm: *quintò* temperata: *sextò* frigida, & sicca: *septimò* frigida tantùm: *octavò* humida tantùm: *nonò*, frigida, & humida. Argenterius opponit Galeno ordinem hunc ab Avicenna immutatum. Carmenius pugnat pro illo, intendens illos componere. Sennertus sic proponit corpora parata ad febres, dicens ad febres ephemeras, & hecticas, & biliosas magis esse parata corpora calida, & sicca; ad melancholicas frigida, & sicca, ad pituitosas frigida, & humida; ad sanguineas calida, & humida.

Pro causis efficientibus febrium proponit Galenus *lib. de caus. morbor. cap. 2. lib. 1. de differ. febr. cap. 3.* omnes causas morbi calidi, in quibus complectitur motum, putredinem, contactum rei calidæ, corporis constitutionem, seu retentionem calidi effluvii, calidæque evaporationis, & admixtionem rei calidæ.

§. II.

Ex parte dispositionis ad febres, aliquo modo possunt febres præcaveri.

Resolvendum *primò*, quod febres aliquo modo possunt præcaveri, mutatâ dispositione conducente ad illas.

Probatur. Tum ex Hippocrate, qui similes febres in Asia grassantes docuit præcaveri à Græcis, accensis ignibus cum rebus aromaticis versus illam partem, à qua movebatur contagium. Tum constat ex variis remediis, quæ proponuntur à Practicis pro adimplendis indicationibus desumptis ex temperie, & habitudine febricitantium. Tum ex variis cubiculis diverso modo temperatis,

A quæ eliguntur in domibus, juxta intemperies quæ in febrientibus coadjuvant ad febres conservandas.

§. III.

Aliqualis traditur præcautio pro febribus ortis ex causis morbi calidi.

Resolvendum *secundò*, quod aliqua præcautio potest consequi pro febribus ortis ex causis morbi calidi.

Probatur. Tum *primò* ex motu, à quo B solet causari febris, si sit localis, commoti spiritus, aut aggregati in aliqua parte; cùm nequeant ab aëre contemperari, accenduntur, & ultra in reliquas partes & in cor perveniunt, & ab excedente calore fit febris ab spiritibus commotione accensis, vel ab aliquo humore in corpore nimis calefacto, nimisque apto, ut incalescat. Hæc autem causa præcaveri potest quiete, permutatione corporis in locum frigidum, & usu frigidi potus, aut alimentorum frigidorum. Hoc idem si contingat in passioni- C bus animæ ab spiritibus similiter commotis, similiter confert eadem præcautio: sed præcipuè possibilis commutatio causæ passionis pro materiali.

Tum *secundò*, patet de putredine, quæ cùm sit causa caloris febrilis, modo quo diximus *tom. 4. Resol. Medic. disp. de putredine*, ascendit putredinalis calor in cor, & præcaveri petit per remedia putredinem cohibentia, qualia sunt quæ jam supervenientem putredinem corrigunt, & curant, & quæ valent juvare D coctionem, quæ ex Galeno facit cessare putredinem. Prosunt maximè remedia quibus utimur pro febribus putridis.

Tum *tertiò* patet de vicinia rei calidæ, ut est adhæsio ad ignem, ad calida balnea, ad moram sub sole æstuante nimis: quæ causæ cùm sint tam manifestæ, satis ex illis indicatur per quæ possunt imminui, aut vitari.

Tum *quartò*, retentio calidi effluvii potest esse causa febris, quia ab occlusis poris retinentur fuligines, vel impedi- E tur ingressus aëris ad spiritus attemperandos; & illorum calor ideo accensus in ipsis, aut humoribus causat febrem. Hæc caloris communicatio, superveniensque febris possunt præcaveri, poris arraratis, & apertis per frictiones, applicatione rerum calidarum ad cutem, & aversione frigidarum.

Tum *quintò*, si humoribus superaddantur cibus aut potus calidus, calidusque

que accedat inspiratus aër, illorum intensior calor corrigitur per cibum, & potum frigidum, frigidúmque inspiratum aërem: Ergo suo quovis modo possunt corrigi causæ febrium.

SECTIO II.

De remediis quæ sumuntur ex corporibus simplicibus pro febrium curatione.

EORUM, quæ homini superveniunt pro constitutione, sunt res naturales, quarum semper indicatur conservatio; & res nonnaturales, à quibus desumuntur remedia pro exequendis curationibus, de quibus in sacra Pagina docetur, quod *Deus creavit Medicinam de terra*, seu medicamenta supra terram posita, seu sub concavo lunæ. Horum alia sunt incorporea, ut cœlorum influxus; alia C corporea simplicia, ut quatuor elementa, ignis, aër, aqua, & terra: alia sunt corporea mixta, & hæc sunt mineralia, vegetabilia, & animalia. Medici sex res nonnaturales annumerant, aërem, cibum, & potum, inanitionem & repletionem, somnum & vigiliam, laborem & quietem, & animi pathemata, tanquam frequentiores causas, quæ nos valent immutare: sed reliqua quæcumque sublunaria simplicia & mixta, quæ nos valent alterare, inter res nobis nonnaturales possunt poni; ideo de iis omnibus D disputabimus, qualiter aliquem usum præstant pro febrium curatione; sed præcipuè sub hac sectione agemus de simplicioribus, quibus solemus alterari.

RESOLUTIO PRIMA.

Utrum aliqui influxus cœlorum, aut astrorum possint esse ex usu pro febrium curatione.

§. I.

Proponitur opinio firmans, non dari influxus cœlestes in hac inferiora.

VIdetur quod à cœlo, & astris nulli sint influxus in hæc inferiora, & consequenter, quod nullum præstent auxilium pro febrium curatione.

Tum *primò* de astris patet, quia sunt quædam configurationes confictæ ab A Astrologis, & quibusdam nominibus illis impositis denominatæ, & sic confictæ nullam acquirere valent vim agendi, nec operandi in nobis.

Tum *secundò*, Aristoteles Philosophorum Princeps, qui de cœlis, & cœlestibus influxibus nunquam egit, si essent, de illis ageret, sicut & egit de cœlis, syderibus, aliisque in cœlo apparentibus.

Tum *tertiò*, cœlum empireum nullum in hæc inferiora habere influxum, fatentur omnes: ergo nec reliqui infe- B riores, qui sunt imperfectiores.

Tum *quartò*, Aristoteles *lib. 1. de ortu, & interitu, cap. 7.* docet, agens quodlibet agere, ut per suam actionem reddat passum sibi simile; quod cùm per influxus nequeant cœli consequi, frustra illis concederetur talis actio.

Tum *quintò*: Agens debet habere passum intra sphæram suæ activitatis: Sed hæc inferiora sunt extra sphæram activitatis cœlorum: Ergo nullos effectus valent producere in illis.

Tum *sextò*: Inferiorum eventus sunt incerti & variabiles: si autem penderent ab influxu cœlorum, essent necessarii, quia ut docet Aristoteles *6. Metaphys.* si ab astris penderent inferiorum actiones, essent immutabiles, sicut & cœli: Ergo nulli illis communicantur influxus ad aliquas operationes.

§. II.

Cæli vires, & influxus in hæc inferiora admittuntur.

RESolvendum *primò*, quod cœlorum in hæc inferiora & influxus, & actiones satis cognitæ, & demonstratæ sunt ab omnibus sapientibus. Sic tenet Alexander de Angelis *lib. 1. in Astrologos, cap. 1.* & tenent etiam citati ab illo, qui hanc demonstrarunt veritatem. S. Thomas *1. p. quæst. 113. art. 5. lib. 3. contra gentes, cap. 82. & 86.* & *in 2. distinct. 15. q. 1. art. 2. & de potentia, q. 5. art. 8.* Harveus *in 2. dist. 15. q. 1.* Gabr. *in 2. dist. 14. q. ult. dubio ultimo*, Scotus *in 2. dist. 14. quæst. 3.* E Capreolus *ibidem, quæst. 1. art. 2. concl. 2.* Ferrara *lib. 3. contra gentes, cap. 84. & 86.* S. Bonaventura *in 2. dist. 14. q. 6. 7. 8. & 14.* Ægidius *in 2. dist. 14. q. 3. art. 2. Argent. in 2. dist. 114. q. 1. art. 4.* Soncinas *lib. 12. Metaph. quæst. 13.* Jandunus *lib. 1. de cælo, quæst. 1. & lib. 2. de cælo, quæst. 12. lib. 8. Phys. quæst. 6.* Pavis. *disp. 4. meteor. cap. 9. & 10.* Achil. *quodlib. 4. de ordinibus, dubio ult.* Averroës *lib. 2. de cælo, comm. 42.*

lib. 2. *de gener. comm.* 55. 56. *lib.* 1. *meteor. cap.* 2. Paulus Venetus *de composit. mundi*, *cap.* 21. 22. 23. Themon. *lib.* 1. *meteor. quæst.* 3. *cap.* 9. Amadæus *lib.* 2. *de cœlo*, *quæst.* 1. *art.* 3. Marsilius *lib.* 1. *de generat. quæst.* 9. Philop. *lib.* 1. *meteor. cap.* 4. Augustinus Nymphus *lib.* 2. *de cœlo*, *quæst. de hac re*, *& tract. de caus. calamit. nostri temporis.* Albertus de Saxonia *lib.* 2. *cœli*, *quæst.* 21. Albertus Magnus *lib.* 1. *meteor. tract.* 1. *cap.* 12. *de quatuor. causis*, *q.* 4. *cap.* 23. Thienens. *lib.* 1. *meteor. cap.* 4. Scaliger *exercit.* 18. 75. Bucaferro *lib.* 2. *de generat. text.* 56. Philascus *lib.* 1. *cœli*, *q.* 27. Picus Mirandulanus *de eversione singularis certaminis*, *lib.* 22. 23. 24. Sextus Empiricus *lib. contra Mathematicos*, *cap.* 21. Tenent Trismegistus *in Asclepio*, Plato *in Theeteto*, Plotinus *enneade* 2. *lib.* 3. Author libri de mundo, *cap.* 6. Macrobius *in somnium Scipionis*, *cap.* 9. ex quorum auhoritate manet confirmari hæc doctrina.

C Probatur *primò* ex Aristotele *lib.* 4. *meteor. cap.* 2. docente quod *oportet mundum hunc contiguum esse lationibus superioribus, ut omnis illius virtus regatur, & gubernetur*; quia unde motus principium, illa causa putanda prima.

Probatur *secundò* ex D. Thoma *in* 2. *distinct.* 19. *quæst.* 1. ubi probat, quod cuilibet speciei rerum sublunarium correspondent in mundo cœlesti cœlestes, quibus foveantur: *&* 1. *p. quæst.* 110. *art.* 1. comprobat cum Aristotele, quod fuit ordini naturæ consentaneum, quod inferiora regerentur per virtutes & influxus orbium cœlestium: *&* 1. *p. quæst.* 115. *art.* 3. probat, quod pro motu inferiorum habent rationem causæ orbes superiores per suos influxus, & quod reliquæ actiones ab illis pendent, sicut generationes, & corruptiones, quæ ex Aristotele opus sunt influxuum cœlestium.

E Probatur *tertiò*, ex manifestis effectibus, qui experiuntur provenire à cœlo, plantis, & Astris. Tum quia cœli media luce vim habent alterandi hæc inferiora per omnes qualitates: lux per se producit calorem, quem sentimus, dum mediâ illâ alteramur: frigefacit sol, dum recedimus ab illo, ex Aristotele *lib.* 2. *de generat. text.* 56. exsiccat segregando per calorem heterogenea, congregando homogenea, humidasque resolvendo partes, quas valet extenuare: humectat extrahendo humidiores vapores à terra, simul & illos uniendo. Tum luna, & reliqua Astra mediâ luce, easdem habent

A alterandi vires. De luna id docet Aristoteles *lib.* 4. *de partibus animalium*, *cap.* 5. *lib.* 2. *de cœlo*, *text.* 20. & idem fatetur de reliquis Astris *lib.* 4. *meteor. cap.* 2. Tum suos habere influxus, suasque nos alterandi vires per primas qualitates, reliqua sydera, & astra, patet: quia videmus quod Sol, & Luna per proprias stationes & motus non semper sint apta communicare eosdem remporum influxus, nec temperies caloris, fri-

B giditatis, siccitatis, & humiditatis; sed variæ in illis immutantur temperies, quæ non nisi ab aliis astris provenire possunt: contingit enim quod sint frigus, & nives in æstate, nimii calores in hieme, in serena Solis temperie repentè fit tempestas, fiunt grandines, imbres, nives, venti: ergo cœlos, Solem, Lunam, astra, & sydera debet admitti influere hos effectus in hæc inferiora.

Probatur *quartò*: Si quid obstat ad admittendos cœlestes influxus, maximè vana, & impia Ethnicorum opinio, qui hos influxus admittunt, ut per illos cœli sint causæ omnium generationum, rerum conservationis, immò & omnium actionum sublunarium, sive naturalium in reliquis, sive liberarum in homine. Sed influxus, & operationes cœlorum, syderum, & astrorum, per quos agunt in hæc inferiora, solùm proveniunt media luce, quæ primas, & secundas causat qualitates, per quas tantùm habent virtutes alterationes immutandi in sub-

D lunaribus, non autem efficiendi proprias eorum actiones, quæ per se à propriis illorum facultatibus eliciuntur. Ergo virtutes agendi superiorum, quæ solùm instrumentaliter, aut dispositivè prosunt pro inferiorum actionibus, non sunt causæ per se operationum inferiorum, sed propriæ illorum facultates.

§. III.

Admittimus in astris aliquam vim pro febrium curatione.

Resolvendum *secundò*, quod à cœlo, & astris aliquæ possunt communicari virtutes, seu qualitates utiles pro febrium curatione.

Probatur *primò* ex Galeno, qui *lib.* 3. *de dieb. decret.* astrorum, & Lunæ congressiones, & aspectus tenet attendendos ad morborum, & febrium curationes, non communes in omni cœlo, sed in aliquibus partibus, & congressibus astrorum, dum coaptata temperies commu

communicatur ab illis. Ergo communicata apta temperies ab illis pro febrium curatione erit apta.

Probatur *secundò*. Hippocrates *lib.3. de aliment.* annum dividit in quatuor partes, hiemem, ver, æstatem, & autumnum. Hiems incipit, à Pleiadum occasu usque ad æquinoctium vernum. Ver est ab æquinoctio usque ad Pleiadum exortum. Æstas à Pleiadum ortu usque ad Arcturi exortum. Autumnus ab Arcturi exortu usque ad Pleiadum occasum. Sed constat ex Hippocrate, varias esse in iis temporibus temperierum compositiones, similiter juxta illas varios subsequi morbos proprios unicuique temporum anni, quos refert *lib.3. aphor.* Ergo cùm contrariorum eadem sit ratio, sicut pro febribus & aliis morbis in aliis temporibus conferunt variæ astrorum temperies, similiter in aliis contrariæ proderunt.

Probatur *tertiò*. Sicut cibus, & potus frigidus, & humidus febricitantibus omnibus sunt remedia, ex Hippocratis doctrina: sic aër inspiratus frigidus, & humidus, erit remedium pro curandis febribus, quia contrarius illis. Sed per varios ortus, & occasus aër alteratur, & fit frigidus, & humidus ab illis. Ergo medio illo præstant remedium pro febrium curatione. Probatur minor ex dictis à nobis *tom.1. Resol. Medicar.* Tum ex Ægineta *§. Verùm ambiens nos aër temperamenta mutat, atque prævertit, dum aut modicè calidior, aut frigidior, aut siccior, aut humidior evadit.* Et paulò infrà: *Necesse igitur, ut ad mutationes eius iuxta temperamentum ipsius coaffi ciamur.* Actuarius idem docet dicens: *Porro iampridem, tum animalium, tum plantarum marcore tacuisset, nisi admirandas has anni tempestatum mutationes Sol esset molitus. Nunc verò eùm alia aliis præparet, & dispenset, rerum ortus, & interitus opifici ceu instrumentum est. Terra enim, mare, omniaque eius facultate referta sunt; adeo Sol in omnibus quæ mutantur corporibus, notandum est opifici instrumentum. Ad hæc luna suis incrementis, decrementisque tempestatum vicissitudines imitatur.* Tum syderum mutationes, & temperierum varietates ex illis provenientes proposuimus cum Quercetano *tom. 1. Resolut. Medic.* die enim 21. aut 22. Martii magnæ incipiunt mutationes, & perturbationes: Pegasus exoritur equus, & vernale æquinoctium fit: maria turgent, vina conturbantur, & nostri corporis humores. Die 18. 19. & 20. Aprilis, Pleiades oriuntur cum Sole, Hyades oriuntur circa primum diem Maii, unde tempestates fiunt, & pluviæ. Die 7. Maii oriuntur Plejades, aër incipit temperari. Die 6. Junii occidit Arcturus, nona die Delphinus: die 29. Orion incipit oriri. Accedit solstitium æstivum; aër nimis alteratur. Die 3. Julii totus Orion apparet. Die 14. Procion mane exoritur, Canicula major die 19. Sol Leonem ingreditur, aër acriùs accenditur, fiunt temporis insignes perturbationes. Die 17. Septembris perturbatur aër, Sol paulò post Libram ingreditur, fit æquinoctium autumnale, & accidunt aëris perturbationes, & pluviæ: oritur Arcturus excitans magnas perturbationes. Die 23. octobris Pleiades occidunt cum aëris perturbatione: in fine Octobris apparet Orion & cum illo tempestates, turbidines, & procellæ exagitantur. Soli, qui annuo suo curriculo anni tempora constituit, harum mutationum tribuitur causa, ut protulit Quercetanus. Si enim recedit à nobis, conglaciatur aër, rigescunt omnia, frigore constringuntur meatus, calor vitalis suffocatur, languescunt arbores, plantæ arescunt, suo virore spoliantur, cunctis ferè rebus incumbit interitus, quæ frigore exsiccatæ, virtute radicali exhauriuntur. Sole ad nos redeunte, frigus mitescit, aër, & terra recreantur: hæc recalescens, & sinum suum reserans, humorem radicalem in omnes spargit, quo virescunt, & repullulant, fructus ad maturitatem perducuntur, prout illa à magno illo luminari irradiata promovetur, & excitatur ad operandum, cujus ignes ut diversa anni tempora variantur. Nec tantùm istius luminaris effectus, & vires in plantis conspicuæ sunt, sed etiam in omnibus animalibus, præcipuéque in homine elucescunt. Ex quibus Solis, astrorum, & syderum variis revolutionibus, ortu, interitu, & effectibus, satis concluditur, quantum valeat pro febribus etiam curandis communicari auxilium.

§. IV.

Pro primò positis fundamentis quid dicendum.

AD rationes dubitandi Respondetur. Tum pro *prima*, quod licèt ab Astrologis sint astris quædam imposita nomina, quibus significantur, ipsa ta-

men entitates sunt physicæ, & reales, stellæque coadunatæ, quæ media luce suos promunt effectus, præcipuè in ortu, & interitu, per quos nos valent alterare pro febrium curatione.

Tum pro *secunda*, quod Aristoteles non admittit confictos influxus Genethliacorum, per quos intendunt cœlos causare omnes actiones rerum sublunarium: admittit tamen virtutes, & influxus, per quos Sol, Luna, astra, & sydera valent agere in hæc inferiora, variasque inducere alterationes per primas, & secundas qualitates, de quibus egit *lib. 4. meteor. cap. 2. text. 15. lib. 2. cœli, text. 20. 2. Physicor. text. 26.*

Tum pro *tertia*, quod cœlum empireum habet agere in hæc inferiora: licèt enim D. Thomas *2. distinct. 2. quæst. 2. art. 3.* id negaverit, re tamen meliùs inspecta, mutavit sententiam, & in hac sequuntur illum Albertus Magnus, Durandus, Richardus, & reliqui sui discipuli.

Tum pro *quarta*, quod Aristoteles loquitur de agente univoco, non de æquivoco, quales sunt cœli.

Tum pro *quinta*, quod ut docuit Aristoteles, cœli sunt contigui iis inferioribus, & ideo in instanti valent lucem communicare ad illa, & media luce reliquas alterationes, modo quo diximus.

Tum pro *sexta*, quod licèt firmi sint effectus cœlestium corporum, non tamen æqualiter in inferioribus operantur; quia in illis modificantur, aut non æqualiter recipiuntur, aut impediuntur à causis secundis, ut docet D. Thomas *in 2. distinct. 15. quæst. 1. art. 3.*

RESOLUTIO SECVNDA.

Utrum ab elemento ignis sumatur aliquod medicamentum pro febrium curatione.

§. I.

Quid ignis, & de illius partibus medicamentosis, & an prosit in febribus.

IGnis pro universi complemento vicem gerit elementi, & est calidus in summo, siccus prope summum, cum aliquali humiditate, ut probavimus *tom. 1. Resolut. disput. de element.* Trahitur in usum Medicinæ, quatenus ab illo aliqua sumuntur medicamenta, vel ab ipso igne, vel à flamma, vel in lignis excitata, vel in sebo, oleo, aut butyro, vel

A in ignitis carbonibus, metallis, aut lapidibus ignitis, vel ab igneis recrementis, fuligine, cinere, aut calce, pro variis confert morbis: unde inquirimus, an simul pro curandis febribus possit adaptari.

Pars negativa suadetur, quia ignis calidus, & siccus à prædominio, nec per se, nec per accidens indicatur à febre. Ergo nullum valet præstare usum pro febre curanda. Probatur antecedens. Tum *primò*: Nam febris per se est calor præ-
B ter naturam indicans suum contrarium, scilicet frigiditatem. Tum *secundò*, nec per accidens ratione causæ indicatur ignis in febribus, cùm suo calore febres valeat accendere, & fovere intemperiem. Tum *tertiò*: Nec indicatur ignis à causa habitualiter conservante febrilem calorem, sive sint spiritus vitales, sive humores usti, aut putrefacti, sive partes nostri corporis habitualiter calidæ. Ergo nunquam ignis indicatur in febribus.

C

§. II.

Ab igne pro febribus curandis sumitur aliquod remedium.

REsolvendum, quod aliqua remedia possunt ex igne adaptari pro febrium curatione.

Probatur: Licet enim non indicetur ab aliqua febre per se, cùm ab illo potiùs intendi valeat, quàm remitti; potest tamen esse ex usu indicatus ab ali-
D quibus causis foventibus febres, tanquam illarum remedium. Ergo pro illis erit ex usu pro febrium curatione. Probatur antecedens. Tum ex Hippocrate, qui in empiematicis urere jubet, sumpta indicatione à causa fovente febrem. Tum in tumoribus, in quibus dum pus conficitur, ex Hippocrate febres fiunt, igne in causticis, aut metallis applicato, fit febrium curatio. Tum febres quæ foventur à bubonibus Gallicis, & in fe-
E bribus malignis, sumpta indicatione à causa fovente, perficitur curatio febris igneis applicatis præsidiis. Tum febres, in quibus humor vergit in partem principem, curantur derivatione, aut revulsione cauteriis tentatis, per cauteria, aut fonticulis igneis præsidiis factis. Tum omni ferè generi febrium putridarum sunt præsidium cucurbitulæ igne appositæ. Tum, ut tenet Zacutus *lib. 1. observat. 19.* in pestiferis, malignisque febribus, sunt præsidium cauteria variis

in

in partibus nostri corporis, quorum beneficio exhalat putridus, pestilens, & calidus vapor, & venenosa qualitas avocatur, à qua cor infestatur: quod confirmant Tyrillus, Octavianus, Rombertus, Salius, Mercurialis, Saxonia. Tum caustica in febribus pituitosis, & oris ex serosis humoribus magnas serosi humoris concitant evacuationes, per quas ablatâ causâ febris curatur: inquit enim Claudinus *lib. 2. de ingres. ad infirmos, cap. 7.* cauteria, & vessicantia B utraque icorem ferè semper evacuare. Ergo ab igne utcumque contraindicato per se à febre, si sumatur per accidens indicatio à causa, plures possunt sumi indicationes pro febrium curationibus.

§. III.

Respondetur fundamentis in contrarium traditis.

AD rationes dubitandi respondetur, quod licèt à febribus non indicetur per se ignis ut remedium curativum; Indicatur tamen per accidens ab illarum causis eas foventibus, aut conservantibus, ut probavimus.

RESOLUTIO TERTIA.

Utrum aër præstet remedium pro febrium curatione.

§. I.

Proponitur aëris necessitas, & pars negativa pro febribus.

AEr est elementum sub concavo lunæ positum, inter ignem, & aquam, cui debetur humiditas summa, caliditas prope summum cum aliquali frigiditate. Inter res non naturales est prima, & reliquis præstantior, & nobis simpliciter necessaria; præstat enim continuò materiam pro generandis spiritibus in homine, sine quibus vita subsistere nequit, illosque attemperandi continuum usum: sua mobilitate varias temperies recipit, E per quas nos continuò alterare valet, ut docent Aëtius, & Ægineta, per hæc verba: *Verùm ambiens nos aër temperamenta mutat, atque pravertit, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut siccior, aut humidior evadit. Nam reliquis causis non omnibus simul obnoxii sumus, nec per totum diem occursamur. Aer autem nos ambiens, forinsecus omnibus nobis circumfusus est, & per inspirationem* A *trahitur. Necesse igitur, ut ad mutationes illius juxta temperamentum ipsius conficiantur etiam animalium corpora.* Ex hac immutandi, & alterandi necessitate inquirimus an aër præstet usum pro febribus curandis.

Pars negativa potest suaderi. *Primò*, quia nullum est in aëre, quod vicem remedii gerat, nec caliditas, nec humiditas, nec aëris substantia pro generandis spiritibus. Ergo aër nihil præstat pro febrium curatione. Probatur antecedens. Tum quod non indicetur pro febre tanquam præstans materiam pro spiritibus, patet; quia hoc in sanitate, & aliis morbis est commune. Ergo non ut remedium febrium hoc indicatur in illis. Tum *secundò* patet, quod aër non indicetur pro febrium causa, quia hæc potiùs indicat sui ablationem, quàm aëris oblationem. Tum *tertiò*: Nec aër per se indicatur à febre, quia ut calidus potiùs intendit, quàm remittit illam. Tum C *quartò*, aër ex sua natura est humidus, & calidus, & ab iis qualitatibus provenit putredo, à qua utplurimùm proveniunt febres; & ideo nequit esse illarum remedium. Tum *quintò*: Aër nunquam servat determinatam temperiem; ab extrinseco enim fit modò calidus, modò frigidus, modò siccus, modò humidus, & variis astrorum mutationibus, ventorum, regionum, climatum, temporum anni subest, & à nobis variis modis fit calidus, aut frigidus: fit calidus D ignibus accensis in carbonibus, in rebus odoratis, cupresso, junipero, roremarino, aut per suffitus odoratos: fit frigidus in cubiculis versùs Septentrionem, in parte inferiori domus, si irroretur aquâ frigidâ, si inspergatur, per simplicia frigida, aut per ramos arborum frigidorum, aut ventilatione: fit siccior aër, aut humidior in locis siccioribus, aut humidioribus, præcipuè à ventis subitò immutatur aëris temperies; ideo Galenus *lib. 1. de sanit. tuend. cap. 3.* & sanitatis, & mortis tenet esse causam juxta has temperies varias, quas recipit ex varietate climatum, & situ terræ, ex fluminibus, ex anni temporibus, ex syderum ortu & occasu, ex campis, & montibus, ex fluminibus & locis maritimis, præcipuè ex situ Septentrionali fit frigidus, ab Austro calidus. Ex decubitu variat etiam aër temperiem. In subterraneis fit crassior, præcipuè nocturnus, & diurnus; ideo & noxiori confert tamen pro indigentibus majori

attem

attemperatione; pro reliquis salubrior situs magis elevatus, ventilatus in illis aër caput levat: fit aër morbosus in partibus illinitis calce, aut gypso: fit frigidior à parietibus lapideis. Tegumenta, & vestes juvant pro aëris temperiei mutatione, vestes nec nimis onerosæ sint, nec calidiores; quia rarefaciendo minuunt vires, aut attrahendo partes gravant. Ergo cùm tam variæ sint aëris temperies, nulla certa potest esse indicatio, quæ sumitur pro aëris usu in febrium curatione.

§. II.

Sancitur aëris necessitas tanquam remedium pro febribus.

Resolvendum, quod necessitas aëris pro febrium curatione est inevitabilis.

Probatur *primò*. Aëris inspiratio omni tempore est homini inevitabilis; quia *animal vivere, & non respirare, ex Aristotele, est impossibile.* Deservit enim pro spirituum generatione, & caloris attemperatione. Ergo multò magis in febribus, in quibus magis petunt resarciri spiritus & vires, aërque attemperari. Docetur antecedens ab Hippocrate *lib. de flatibus, num.6. §. Mortalibus autem vitæ, & morborum ægrotis solus aer author, tantaque omnibus corporibus spiritus necessitas extat, ut quidem omnibus aliis rebus abstineat homo, ita ut nec cibum sumat, nec potum; possit tamen dies duos, vel tres, & plures vivere: si cui verò spiritus vis intercipiatur, in brevi parte unius diei intereat, ut vel hinc quanto usui spiritus corpori sit, liceat exstimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines: verùm ab hoc opere nulla omnibus mortalibus requies contingit, ut cessaret spiritum ducere, atque rursus exhalare.* Tum Aristoteles *lib. de vita, & morte,* idem docuit docens: *Animal vivere, & non respirare, esse impossibile.* Galenus *de sanit. tuenda,* idem confirmat sic asserens: *Quamobrem senescimus & perimus propterea quod aer variè immutat sanitatis nostræ statum, modò quidem siccans, modò humectans, & similiter in activis efficiens, & ob varias temperies.* Et *lib. de aere,* tenet Hippocrates quod *aer mortalibus est vita, & mortis author.* Galenus *lib. 9. Meth. cap. 4.* ait: *Aër est sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest.* Ex quibus manifestè constat

A utraque aëris necessitas in febribus pro viribus conservandis, & pro febribus curandis.

Probatur *secundò*, contra Argenterium, qui nullam ab aëre tenet sumi indicationem, nec utilitatem pro febribus curandis. Nam ob aërem duplex potest sumi indicatio in febribus: altera per se à febre, prout petit attemperari ab illo: altera tanquam à causa sine qua non, fovente febrem. Ergo pro utraque potest
B aër habere vicem remedii.

Probatur *tertiò*: Aër ut in plurimum est frigidus & humidus, vel à naturali mutatione causarum alterantium, vel ab arte. Sed ut talis, sicut judicatur ex Hippocrate victus frigidus, & humidus in omnibus febribus, similiter & aër frigidus, & humidus gerit vicem remedii.

§. III.

C *Respondetur pro rationibus oppugnantibus.*

Ad *primam* respondetur, quod aër in omni sanitate, & morbo est indicatus pro materia necessaria ad spirituum generationem, sine quibus nequit vita subsistere, & ratione qualitatum, per quas nos valet alterare, ob quas ponitur inter res nonnaturales: & licèt quandoque, licèt rarò, nos calefacit, & spiritus resoluit, & subitam mortem causat; sed tamen continuò aër licèt calidus, ab extrinsecis causis fit frigidior,
D & aptus, nos continuò attemperans, & maximè refrigerans, ut patet in capitis vulneribus, quibus obest adhuc in æstuosissimis temporibus aëris frigiditas; & præcipuè comparativè ad cordis calorem, aër semper attemperat.

Præcipuè eligitur pro febribus curandis, qui frigidus, & humidus est, qui purior, lucidus, clarus, exquisitè sincerus, mundus, non vaporosus, aut nebulosus. Si frigidior requiratur, eligitur qui in cubiculis est versùs Sep-
E tentrionem sitis, in inferioribus locis domus, vel ventilatione fit frigidior, vel irrigationibus aquarum frigidarum, aceti, aut commixtione aliorum refrigerantium, aut herbarum, aut ramorum arborum frigidorum, vitium, limonum, arantiorum.

Reprobant aliqui quæcumque odorantia in febribus, quia calida: sed Avicenna *2. canon. tract. 1. cap. 3.* nenuphar admittit frigidum, & alia quorum usus non reprobandus.

Dices

Dices quod non omnis frigida intemperies admittenda est. Respondetur, quod Galenus *lib.10. Meth. cap. 8.* modum docet, quo petit applicari, inquit enim: *Qui verò aer frigidissimus est, utique quatenus, qui respirando trahitur, admittendus est, ut qui calorem, qui est in corde, admodum refrigeret; non tamen quatenus extrinsecus ægrum contingit, quippe is densat, cogitque cutem: atque eorum, quæ comburuntur ex putrido, nostrorum humorum effluvium, conspurcari prohibet; siquidem per pulmonem, quod rarum & viscosum est, difficile non est, ut tum qualitas ipsius, tum etiam substantia ad cor facilè perveniat. At per cutem fieri nequit, ut vel qualitas, vel substantia eius ad cor perveniat, utpote priùs densatam.* Et superaddit: *Scire tamen licet, melius fore ex frigida inspiratione commodum, quàm ex cute condensanda incommodum, præsertim cùm operimentis hanc calefacere licet.*

RESOLUTIO QUARTA.

Utrum aër possit febres causare.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

Febris alia fit ustione, alia putredine, alia corruptione venenata, maligna, aut pestilente: de quibus potest dubitari, an possint causari ab aëre.

Pars negativa suadetur. Tum *primò*, quia aër est præstantissimum remedium pro omni febre curanda. Tum *secundò*, quia aër, ex Galeno *lib. 9. Methodi, cap.14.* est sine quo nec potest teneri sanitas, nec morbus auferri. Tum *tertiò*, ex Hippocrate *lib. de flatibus*, aër est sanitatis author. Tum *quartò*, ut nuper diximus, licèt aër sit calidus, semper tamen retinet frigiditatem, per quam valet attemperare cordis calorem. Ergo nunquam potest esse caloris febrilis causa.

§. II.

Aër potest esse causa pro omni febre.

Resolvendum, quod calidus aër omnem febrem valet causare, & infectus malignas, & pestilentes.

Probatur *primò*. Tum de febribus diariis, quæ ex insolatione, ex adhæsu rei calidæ, ex balneo calido, ex aëre nimis calefacto solent supervenire, ut docet

A Avicenna proponens causas febris diariæ. Tum patet de febribus humoralibus, quæ dum humores sunt apti ustioni, aut putredini, si patiens Soli, aut rei nimis calefacienti adhæreat, ob aërem adurentem protinus superveniunt. Tum ex Galeno *lib. de marasmo*, in sicca & calida constitutione, corporis partibus resolutis & alteratis ab aëris calida constitutione, facilè supervenit hectica. Tum Galenus *de causis febrium*, aërem calidum ponit inter causas febrium. B Tum contrariorum contrariæ sunt operationes: Sed frigidus aër remittit & curat febres: Ergo calidus causat, & intendit illas.

Probatur *secundò* ex Hippocrate, qui *lib. de flatibus*, inquit: *Atque hactenus quidem quantum aer aliis commodet, diximus. Mortalibus autem visa, & morborum ægrotis solus est author, à quo, non aliunde unquam, verisimile est morbos evenire, si it aut plus, aut minùs, aut cumulatior in corpus se ingerat, aut morbidis sordibus leshalibus inquinetur.* C Galenus *lib.2. de sanit. tuenda*, manifestè docet qualis aër utilis pro sanitate eligendus, qualis ut noxior, aut inutilis fugiendus; inquit enim: *Optimum aërem in pulmones attrahere, omnibus iuxta salubre esse, scriptum reliquit, talemque fore, si nec stagni, neque paludis halitu sit perturbatus, neque ex profundo specu pestilentem auram exspirante infectus, & qui nec ex cloacis, quæ magnam aliquam urbem, aut numerosum exercitum purgent, vitium contraxit; nec qui* D *propter stagnum, aut flumen vicinum nebulosus est, nec vicinis undique montibus in cavo loco inclusus, nullum recipit perflatum; suffocant enim, putrisque est, similis ei qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus propter putredinem, aut difflatus defectum, plurimùm acerbatur situs; eiusmodi enim aër omni planè ætati noxius est. Sic qui purus omninò est, nulli non ætati est utilis.* Ergo aër ab impuritate redditur morbosus.

Probatur *tertiò* ex Avicenna *fen. 2. 1.* E *cap.9.* qui non solùm docet aërem in nimio calore humores accendere, & prout simplex est elementum; sed quatenus putredinis solet esse causa nos valens inficere pestilente contagio.

Probatur *quartò* ex Galeno *lib.10. Methodi, cap.8.* qui providens ne nimio aëris calore accendatur febris, docet modum attemperandi illum, dicens: *Aër igitur, si admodum calidus est, aut admo-*

dum frigidus, pro calore inducendus arte contrarius est subterraneus, inventis domibus, quæ & frigida sint, & maximè perflata, & ad Septentrionem versa: tum quibusdam, quæ ipsis sint suaves, operâ nostrâ paratis, aliàs ex Europæis, in quibus se deliciant multi aquarum fontes, aliàs aquâ frigidâ de vasis in vasa transmutatâ. Iam hoc statim etiam somniferum est, propterea assiduè aquâ eâ, quæ prorsus frigida sit, aspersâ, atque rosis plurimis humi fusis, aut vitium capreolis. Ergo aër nos alterandi versus contrarias qualitates vim recipit, febresque inducendi.

Probatur *quintò*, quod aër corruptione infectus febres pestilentes inferat ex quamplurimis pestilentibus constitutionibus, in quibus ab aëre communicatæ febres varias devastarunt provincias; nec solùm nostris ætatibus, sed per antecedentes, sua vi febrili ac venefica, non solùm homines, sed reliqua devastarunt viventia. Ergo ab infecto aëre lethalissimæ procreari possunt febres.

§. III.

Solvuntur dubitandi rationes primò posita.

Ad rationes primò propositas respondetur, quod aër ponitur inter res non naturales, quia ob varias mutationes, quas recipit, quandoque se habet ex parte morbi, quandoque se habet ex parte naturæ, & est salutis author: si ex parte morbi, fit mortis author & causa; & in hac consideratione asserimus, quod potest esse febrium causa: & licèt semper sit cum aliqua frigiditate valente internum nostrum calorem alterare; potest tamen aliquando ita fervidus reddi, ut propter dispositiones partium nostri corporis accendantur febres diariæ humorales, aut hecticæ, quia ut inquit Avicenna *lib. 1. sufficientiæ: Et scias quod agens debile potentiùs operatur circa passum dispositum, quàm potentissimum circa indispositum.*

Resolutio Quinta.

Utrum aqua sit utilis pro febribus curandis.

§. I.

Quid aqua, & de variis eius differentiis.

Naturalis aquæ locus est inter aërem, & terram: debetur illi frigiditas in summo, humiditas prope summum, cum A aliquali siccitate, ut probavimus *tom. 1. Resolut. disp. de element.* Variæ sunt aquæ differentiæ, ut tradidimus nos *tom. 3. prompt. 32.* quæ optima, petit esse pura, limpida, omnis saporis expers, gustui jucunda, clara, pellucida, tenuis, levis, & quæ igni admota citò calefit, & remota ocyssimè frigescit, & in qua carnes, & legumina citissimè coquuntur, quæ æstate frigida, hyeme verò calida scaturit, seu tepida, quæ celeriter pertransit præcordia, & sine ulla molestia ventri- B culi labitur. Aquarum variæ sumuntur differentiæ, à modo quo generantur; nam aut aqua est pluvialis, aut scaturiens ex terra: à modo quo defluunt, aut est pluvialis, fontana, putealis, fluvialis, lacustris, seu palustris: quarum aliæ utiles, aliæ ineptiores pro potu, qui & potio dicitur, estque liquor qui bibitur levandæ sitis causâ. Consideratur aqua multipliciter, ut elementum, ut instillatitia, ut naturalis potus, ut thermalis, sive mineralis: de quibus C dubitatur, an utiles pro febrium curatione.

§. II.

Proponitur dissensus opinantium, & renuentium frigidam aquam.

Vanhelmon *lib. de febrib. cap. 12.* nulla ductus ratione, sed prurigine se opponendi Dogmaticis, tenet quod nihil interest, an in febribus offeratur aqua pro potu frigida, an calida. Sed D cùm febris ustio sit, ustivusque calor; & experientia demonstret, quod potu aquæ frigidæ extinguatur, & bruta naturali instinctu dum algent, hoc utantur remedio, frustra Vanhelmon contra rationem, & experientiam contendit sensus infamare, & aperto fronte leviter credentibus nugas suas divendere.

Sennertus refert placita aliquorum opinantium, quorum alii in omni febre, ut *tom. 2. lib. 2. cap. 9.* asserit, commen- E dant potum aquæ frigidæ, & in quolibet illius tempore. Alii potum aquæ non frigidæ; alii in aliquibus febribus, & variis eorum temporibus potum frigidum aquæ admittunt. Pro negantibus in omni febre potum frigidum, stat *primò*, quia aqua frigida impedit coctionem humorum, diu permanet in ventriculo, difficulter distribuitur, non abstergit, impedit descensum in alvum, prohibet urinam cieri, ex Hippocrate 3. *acutor.*

acutor. 40. Ergo in nullo febris tempore potus frigidus convenit.

Secundò: Post nimium exercitium, & intra calidum balneum, & post magnam incalescentiam, ex potu aquæ frigidæ subsequuntur gravissima incommoda, & sæpe mortes repentinæ. Ergo multò magis hæc debent timeri in febribus, in quibus intensior est calor, & vires debiliores.

Probatur antecedens ex Avicenna *lib. de nocumentis sanitatis, tract. 3. cap. 9. & cap. 11.* dicente: *Potare in balneo rem aliquam frigidam, sicut aqua frigida, & cerevisia est, timorosum valde. Quoniam res frigida quando pervenit ad stomachum in balneo, in quo jam porositates sunt apertæ, & meatus sunt rarefacti & aperti, subitò trahitur ad hepar, & cor: quare infrigidantur cum infrigidatione vehementi, aut debilitatur caliditas naturalis, & debilitantur omnia viscera, & disponuntur ad hydropen*, &c.

Tertiò, ex intempestivo potu aquæ frigidæ, adhuc in sanis corporibus solent supervenire mortes repentinæ: Ergo potiùs in febribus sunt timendæ ex potu aquæ frigidæ. Probatur antecedens à nobis *tom. 4.* ex variis observationibus: refert enim multa Zacutus *tom. 1. lib. 1. hist. 98.* ex Lacuna *in comment. ad caput 34. lib. 6.* ex Scaligero *exercit. 32. num. 2.* ex Cardano *in observat. Messoris*, ex Benivenio *lib. de abdit. rerum caus. cap. 16.* ex Nicolo *serm. 7. tract. 4. cap. 35.* ex Amato *cent. 2. curat. 62.* ex Hippocr. *6. epid. sect. 3. text. 39.* ubi inquit: *In Abderis Palæstris custos qui Sthenaus vocabatur, multum luctatus cum alio fortiori, in caput decidit, deinde abiens, aquam frigidam copiosè bibebat, tertio die mortuus est.* Galenus tribuit mortem potui aquæ frigidæ.

Quartò, potus aquæ frigidæ prohibetur in corporibus sanis: Ergo potiori jure in febrientibus. Probatur antecedens ex Galeno *lib. de cibis boni, & mali succi, cap. 13.* ubi damnat usum potus frigidi in sanis, dicens: *Nam etsi ipsa statim nix noxam sensibilem non videtur juvenum corporibus afferre; increscente tamen temporis progressu occultè, paulatim noxâ vigente, nempe ætate, articuli morbis, ac viscera corripiuntur, vix aut nunquam sanandis.* Ergo ex frigido potu adhuc in sanis varii procreantur morbi.

Quintò: Nulla reperitur aqua, quæ reperiatur cum conditionibus supra positis pro ejus omnimoda bonitate; quia variis coinquinamentis viciatur, variisque terræ commotionibus, & commixtionibus: Ergo nequit esse utilis pro febrientibus.

§. III.

Aquæ instillatitiæ frigidæ fiunt utiles pro febribus curandis.

Resolvendum *primò*, quod aqua instillatitia ex frigidis rebus distillata, confert pro febribus curandis.

Probatur. Aqua enim dicitur quævis liquida substantia à sordibus depurata: & licèt stillatitia non sit aqua naturalis, aqua tamen vocatur propter similitudinem naturalis aquæ, de qua agimus, & quia illius vices gerit. Inter aquas instillatitias aliæ instillantur ex carnibus, & dicuntur alimentosæ; aliæ ex carnibus simul cum herbis medicamentosis, & alimentosæ medicamentosæ fiunt. Aliæ ex solis rebus medicamentosis, quarum aliæ sunt calidæ, aliæ frigidæ. De iis peculiariter asserimus, quod prosunt pro febrium curatione; quia per se indicantur à febre, quia refrigerandi vim habent.

§. IV.

Potus aquæ frigidæ intra sanitatem quibus conferat.

Resolvendum *secundò*, quod potus aquæ frigidæ intra sanitatem pro aliis utilis, aliis nocet.

Probatur ex Galeno, qui hanc doctrinam docuit *lib. de cibis boni, & mali succi, cap. ult. §. At hæc illis præcepta traduntur, qui in eo vitæ genere versantur, quo assiduis occupationibus detinentur; qui in regendis populis, & administratione reipublicæ præsunt: horumque præcipuè satellites, & ministri, itidem qui se ita habent, quos bellicus labor exercet, tum quos viarum longitudo fatigat. Qui verò ejusmodi negotiis vacui, solutique sunt, si exercitatione uti soleant, quàm rarissimè uti frigido potu indigent: qui minimè exercentur, æstate cùm vehementi calore urgentur, fontis aquam bibant, nivisque usum vitent. Hæ enim quanvis protinus nullam corporibus juvenum sensibilem læsionem inferant, sensim tamen, occultè crescente vitio, cùm jam ætas progressu temporis inclinaverit, articulos, nervosque, ac viscera iis omnibus vexat, &c.* Ergo potus frigidus in sanitate pro

pro aliis est aptus prodesse, pro aliis nocere.

§. V.

Potus frigidæ aquæ confert in aliquibus morbis.

Resolvendum *tertiò*, quod potus aquæ frigidæ indicatur pro morbis ex bilis, aut sanguinis ustione ortis; per se verò à febrili omni calore.

Probatur prima pars ex Aëtio *lib.3. serm.1.cap.24.* qui aquam frigidam offert pro deturbandis ventriculi ustionibus, & cruditatibus: & ex Mesue *lib.1. theoria*, qui eam offert ad promovendam vim pharmaci calore urentis. Dioscorides consulit ad reprimendos vapores. Hippocrates 3.*de rat.vict.* ad ventriculi, & viscerum ardores. Galenus *lib.7. Method. cap.1.* ad febres ardentes, & synochos.

Probatur *secunda* pars. Omnis febris consistens in præternaturali & excedente calore, indicat per se sui contrarium, ut patet ex suprà dictis. Sed omnis potio aquæ frigidæ ob suam frigiditatem excedentem per se contrariatur excedenti, & præternaturali calori: Ergo in omni febre ab excedente calore orta, indicatur per se potus aquæ frigidæ.

§. VI.

De cura regulari potus aquæ frigidæ in febribus, quando utilis.

Resolvendum *quartò*, quod potus aquæ frigidæ in febribus humoralibus est utile remedium & securissimum, dum apparent signa coctionis, de cura regulari.

Probatur ex Galeno, qui *lib. 9. Method.cap.5.* sancivit, potum aquæ frigidæ esse utilem in febribus, dum est virium robur, & nullum internum membrum est insigniter læsum, aut phlegmone obsessum; inquit enim: *Cum ergo coctionis humorum in iis notas videris, audacter frigidam dabit; quippe solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatos iam humores aggreditur, ut qui utiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat: inutiles verò vel per ventrem, vel per cutem evacuet. Quod si etiam frigidæ assuetus æger fuerit, magna cum fiducia frigidam exhibebis, ipsâ videlicet experientiâ jam doctus omnia viscera ejus occursum familiariter tolerare.* Tum *lib.9.Meth. cap.16.* inquit: *Siquidem cùm sæpe jam viderimus, non paucos ex iis, qui febribus ardentibus præmerentur, cùm jam mediocriter cocti humores essent, statim ex frigida potione febre liberatos, quanvis ei potioni parum assueti fuerint.*

Probatur *secundò* ex Galeno, qui *lib.4.acutorum, comm.12.* idem admittit, dicens: *Præmissa itaque videbitur præcipua causonis sanatio, frigidæ scilicet potus: quos causos perpetuò curavimus, nullo ex iis moriente, quibus frigidam propinavimus in tempore opportuno.* Tum Avicenna *fen.3. lib.3. tract.2. cap.4.* inquit: *Quandoque est sanitas ejus in potando ipsum potatione frigida.* Et infrà, *cap. 41. §. Et sic considerare in potatione aquæ frigidæ, secundùm quod diximus, illud quod si non fuerit, quod prohibeat, detur in potu de ea usque ad frigidationem vehementer, vel usque ad extinctionem.*

Dices: Si potus aquæ frigidæ ita utilis esset, ut affirmant Galenus, & Avicenna, omnes febrientes curarentur cum illo.

Respondetur quod Galenus inquit: *Nullo ex iis moriente, quibus frigidam propinavimus tempore opportuno*; unde id non tollit quod ii moriantur, quibus offertur non opportuno tempore. Opportunum tempus dixit esse tempus, in quo vires sunt validæ, & apparent signa coctionis, & non est interna inflammatio, & si potus detur in declinatione particulari; tunc enim opportunum est remedium, quia ut inquit Paulus *lib.2. cap.30. Ex duobus alterum fieri necesse est, si ardens febris perfectè solvi debet, aut ut biliosi humores excernantur, aut extinguantur. Excernuntur igitur per sudorem, aut per infernam alvum: extinguuntur per frigidæ potum, per quem nos omnes ardentes febres curavimus.*

§. VII.

Potus aquæ frigidæ in tempore non opportuno valet nocere.

Resolvendum *quintò*, quod potus aquæ frigidæ non semper utilis est.

Probatur. Tum ex nuper traditis. Tum ex Hippocrate *lib.3. acut. text.42.* dicente: *In quibus autem maximè aqua utendum sit, & quando valde multa, & quando modica, & quando calida, partim antea dictum est, partim suo tempore dicetur.* Ergo aqua frigida non semper est utilis. Tum Galenus *lib.11. Methodi, cap.9.* inquit: *Ergo si vires cunctæ valen-*

tes

tes sint, & febres ardentissimæ, & coctionis signa & notæ planè evidentes, frigidam homini dare audacter debebis. Tum Galenus *lib.9. Methodi, cap.5.* proponit prohibentia, *§. Porrò incommoda quæ frigidam potionem intempestivè, immodicéque exhibitam sequuntur, in iis consistunt, quod lentos, crassos, multosque humores, sive obstructiones, sive putredinem, sive phlegmonem, sive qualis est erysipelas, aut scirrhus, aut ædema, affectum creaverint, tenuari, & digerere prohibent.* Tum repugnat victui frigido frigida intemperies totius corporis, aut alicujus partis principis, ætasque puerilis, vel senilis, habitus gracilis, extenuatus, hiems, constitutio temporum, & cœli regio frigida, crassa materia, & lenta, & omnes intemperies corpus debilitantes, viscerum obstructio, tumor inflammatorius, vel quivis alter in visceribus. Ergo potus aquæ frigidæ non semper admittendus ut utilis pro omni febre, de cura regulari.

§. VIII.

De cura coacta, non expectanda est coctio pro frigida potione in febribus.

Resolvendum *sextò*, quod de cura coacta tanta potest esse ustio, ut non expectata coctione cogatur Medicus ad exhibendum potum aquæ frigidissimæ ad satietatem. Sic decrevimus *tom.3.*

Probatur. Tum ex Hippocrate *lib.5. de morb. popular. in historia uxoris Anthimarci*, quæ mortua fuit causone; & visum fuit Hippocrati, quod potuisset vivere, si potus aquæ frigidæ fuisset illi datus adhuc ante coctionem, ratione urgentiæ. Tum Galenus *lib. 10. Meth. cap.6.* inquit: *Tutius esse ratus phlegmonem in præsens augere, quàm sinere hominem in hecticam febrem incurrere.* Ubi tradit rationem urgentiæ pro exhibendo potu frigido. Tum Avicenna *fen.1.4. tract.2. cap.3.* inquit: *Febris quandoque est tantæ vehementiæ, & acutiei, ut non liceat uti regimine causæ, immò necesse est uti infrigidatione.* Tum Averroës *lib.7. collig. cap.8.* ait: *Quandoque febris est valde arsiva, & non est expectanda digestio, quia æger ante digestionem consumetur.* Et ibidem: *Si æger vehementi siti cruciatur, non est exspectanda coctio, cùm vires antea deficiant. Quare satius est in principio exhibere aquam frigidam, cùm materia febris non est cruda, ob crassum, & viscidum humorem, & ob acrem, & mordacem: quare frigida potu acrimonia extinguitur, & citiùs curabitur, licèt in aliam febrem degeneret.* Tum Aëtius *sermone 1. tetrabil.2. cap.72.* confirmat exemplo mulieris ferè mortuæ, quam restituit ad vitam potu aquæ frigidæ ante coctionem.

Probatur ratione ex Galeno & Celso. Dum unica via salutis est, etiamsi desperata, hæc tentanda est: Sed in vehementissimo causone, in quo sine aquæ frigidæ attemperatione nequit febris extingui, hæc unica via salutis est. Ergo necessariò tentanda.

§. IX.

Solvuntur argumenta primò posita.

Ad *primum* respondetur, quod potus aquæ frigidæ, si sumatur pro potu, & indebito modo, procreat omnia incommoda proposita: si verò illo utimur ut medicamentum est, & debito modo illo utamur, remedium est, & aptum pro febrium curatione, ut diximus.

Ad *secundum* respondetur, quod dum ex nimio exercitio, aut balneo calido resolvuntur spiritus, extincto calore, qui remanet debilis, nequit resistere aquæ frigiditati, & omninò illo deficiente, perit animal. Non ita in febre ardente, in qua ardentissimus calor remittitur à potu frigido, & remanet naturalis conservans vires.

Ad *tertium* respondetur, ex intempestivo aquæ frigidæ potu, ob nuper dicta, contingunt mortes; non ex tempestivo in febribus ardentibus, viribus permittentibus, naturalique manente calore, & præternaturali resistente.

Ad *quartum* respondetur, quod potus aquæ frigidæ prohibetur in corporibus sanis, in quibus potest devincere calorem naturalem, & relata incommoda causare, sine omnimoda ejus necessitate: non autem in febribus ardentibus, in quibus indicatur, tanquam remedium omninò necessarium pro illarum curatione.

Ad *quintum* respondetur, quod est multiplex differentia aquæ potabilis; aut enim est fluvialis, aut pluvialis, aut fontana, in quibus sunt conditiones requisitæ pro bonitate aquæ potabilis; aut acquirit commixtionem, & vitia, ob quæ redditur impura, & deviat à requisita bonitate, quæ ut aptior reddatur pro naturali usu, suis indiget præparatio-

nibus, de quibus latè egimus *tom.* 3. *promptuario* 32. sex enim retulimus modos correctionis vitiorum, quæ superveniunt in aqua potabili, & hi sunt decoctio, defluxus, residentia, percolatio, calefactio, infrigidatio; qui latiùs loco citato videri possunt.

RESOLVTIO SEXTA.

Utrum Balneum aquæ dulcis, seu potabilis conferat pro febrium curatione.

§. I.

Balneum describitur, & illius differentia.

Balneorum usum apud Hippocratem parum fuisse frequentem constat: apud Galenum, & circa proxima illius tempora in consuetudinem pervenerat, & adeo increvit, ut in delicias abierit; illius enim erat assiduus usus pro deliciis, pro munditie, & pro sanitate. Erant in civitatibus sumptuosa ædificia pro balneis, in quibus, ut tenet Galenus 10. *Methodi, cap.* 10. quatuor erant partes, præter abditorium, quod erat locus in quo nudabantur. Prima pars, seu cubiculum, dicebatur calidarium, seu sudatorium, hypocaustum, laconicumve, quod constabat ex aëre calido. Secunda pars domus, dicebatur tepidarium, in quo erat piscina, seu quoddam vas magnum, plenum aquâ tepidâ. Tertia pars domus dicebatur frigidarium, in quo erat vas aquæ frigidæ. Quarta pars dicebatur unctuarium, in quo ungebantur. Nostri minori apparatu, præcipuè pro sanitate conservanda, balneo utuntur, sive calido, sive frigido, sive tepido. Est balneum, ut tenet Blanchelius *cap.* 2. *tract. de balneis*, corpus subtile, vel liquidum, corpori circumferentialiter occurrens, ipsius immutativum, arte conscriptum. Aliud est aëreum, seu curatorium, ut stupha: aliud liquidum, dictum lavacrum. Apud Celtiberos, inquit Rhenodæus, quod fuit in usu balneum sordidum, quod fiebat ex urina diu reservata: invaluit apud reliquas gentes hæc sordities. Communissimum erat apud reliquos balneum ex aquis thermalibus, de quo infrà agemus. Pro sanitate, & pro deliciis balnea aquæ dulcis prævalebant. Pro morbis & aliis, etiam erant in usu ex solis, aut commixtis medica-

A mentis: erant in usu ex solo oleo, aut aquæ commixto, aut aquæ commiscebatur etiam lac, vel ex illo, præcipuè asinino, fiebant balnea pro decoratione, quæ maximè fuerunt in usu pro febribus hecticis in admodum extenuatis: pro sputo sanguinis, & pulmonum ulceribus, ex vinaceis & musto conferebant balnea. Præter commixtos liquores cum aqua, fiunt decoctiones in illa, quæ pro variis morbis prosunt, prout sunt varia ingredientia, quorum alia sunt adstringentia, alia detergentia, alia emollientia, alia aperientia, alia aliter alterantia. Ex sola aqua communi communiora sunt balnea, quorum alia sunt frigida, alia calida, alia tepida, de quibus inquirimus, an prosint pro febribus curandis.

B

§. II.

Proponitur pars negans usum balneorum pro febribus.

C Balneum aquæ potabilis, seu dulcis, non prodesse pro febribus curandis, præcipuè humoralibus, suadetur. Tum *primò*, quia Avicenna *fen.* 2. 1. proponit balnei nocumenta, inter quæ tenet, quod facit descendere phlegma indigestum, & permiscet malum cum putrido, laxat vires, & præparat humores ad putredinem. Tum *secundò*, Galenus *lib.* 10. *Method.*, *cap.* 10. adhuc in febre hectica renuit balneum, si sit complicata cum febre putrida; quia hæc illud contraindicat. Tum *tertiò*, quia balneum nostris

D temporibus recessit ab usu, & à nullis Dogmaticis admittitur. Ergo quia nullam utilitatem habet pro febrium curatione.

Secundò: Balneum si prodesset pro curandis febribus, vel ut frigidum, vel ut nimis calidum, vel ut tepidum. Sed nullo ex iis modis confert, ob in commoda quæ secum affert: ergo nequit prodesse pro febrium curatione. Probatur minor. Tum *primò* de balneo frigido patet. Nam sive fiat natatione in lacubus,

E fluviis, mari, aut in loco frigido balneorum, pueris, & senibus nocet, ex Galeno 3. *de sanit. tuenda*: nocet in frigidis naturis, & in habentibus carnes molles, in non assuetis, in debilibus, in materiis nondum coctis, in viscerum debilitate, in iis in quibus ossa, dentes, nervi, cerebrum, spinalis medulla, aut pectus malè habent. Tum patet de balneo calido valdè, quod facit inhorrescere, corpus siccat,

ficcat, rarefacit, cogit corpus, densat meatus, impedit extrinsecam humectationem, & expurgationem fuliginosorum excrementorum. Tum *tertio*, patet de balneo tepido, Galenus proponit prohibentia *lib.10.method.cap.10.lib.11.methodi*, *cap.9*. In febribus attrahit superfluitates primæ regionis in venas, auget horrorem in corpore, corpus constringendo, & ad cutem attrahendo, præcipuè ante debitas corporis evacuationes, obstat illi partium debilitas, ut in cerebri destillationibus, & ventriculi cruditatibus, in obstructionibus, in articulorum doloribus, in facilè paratis ad resolutionem, in quibus caput facilè repletur. Ergo ob varia contraindicantia in nullis febribus possunt esse ex usu balnea aquæ dulcis, seu potabilis.

§. III.

Balneum aquæ dulcis cum præmeditatione, quando utile.

Resolvendum, quod balneum aquæ dulcis, præcipuè tepidum, quanvis ab usu rejectum, cum aliquibus cautionibus possit recipi pro febrium curatione, adhuc in febribus putridis.

Probatur *primò* ex Galeno. Tum *lib.9. Meth. cap.3.* de omni febre inquit, non quovis tempore, sed febricitantes lavandos esse in accessionis remissione. Tum *lib.12. Method. cap.10.* docet in hecticis balneum esse utile, & quando, & quomodo. Tum *lib. 1. ad Glauconem*, *cap. 3.* docet diarias febres curari balneis. Tum ardentissimas febres balneis curandas docet *lib.11. Method. cap.9.* dicens: *Ergo si viret cuncta valentes sint, & febris ardentissima, & coctionis nota planè sint evidentes, balneum prodest.*

Probatur *secundò* ratione ex Galeno *lib.1. ad Glauc. cap.9.* ubi agens de tertianis, inquit: *Balnea verò calida ex aqua potabili prosunt, tum etiam quia suâ qualitate plurimùm juvant; nam ejusmodi balnea humectant, & potentiâ refrigerant.*

Probatur *tertiò*, quia balneum non solùm indicatur dum tepidum est, à febre ad attemperandum, ac humectandum; sed etiam à causa ejus ad illius evacuationem. Galenus enim *lib. 4. Methodi*, *cap.6. & lib.4. aphor.1.* plethoram tenet curari sanguinis missione, & balneo: & cum Hippocrate *3. acutor.* balneum tenet præparare humores, ut evacuentur. Et *1. ad Glauc. cap. 9.* balnei referens operationes, tenet quod balneum aquæ temperatæ, humectat, actu calefacit, potentiâ infrigidat, emollit, laxat cutem, sordes detergit, meatus aperit, evocat ad cutem, & partes externas, evacuat superflua, ut prosequitur Claudinus. Ergo est utile in febribus ad calorem attemperandum, & causam evacuandam, ut deducitur ex Galeno *3. de sanit. tuend. cap. 4.* ex Aëtio *lib. 3. cap. 168.* Oribasio *lib. 10. Collect. cap. 6. & 7.*

Probatur *quartò* secunda pars, quod scilicet balneum aquæ potabilis, seu dulcis, sit in usum trahendum; sed sunt observandæ quædam cautiones ex antiquis deductæ à Claudino, & Zacuto. Quod scilicet febris, pro qua illo utendum, sit mediocris, quod sit in declinatione, quod corpus sit satis evacuatum, quod appareant signa coctionis, quod fiat sine horrore, quod corpus pro balneo non habeat alicujus visceris imbecillitatem, quod careat cruditatibus & excrementis in prima regione. Ergo si balneum tentandum pro febrium curatione, id concedendum præmissis iis cautionibus.

§. IV.

Solvuntur rationes dubitandi primò posita.

Respondetur ad *primam*, quod Avicenna loquitur de nocumentis balnei, quod in febribus putridis adhibetur ante coctionem, & permiscet, conturbatque coctionem: vel de illo, quod quia valde calidum, aut ob nimiam moram, valet vires resolvere. Tum pro *secunda*, quod Galenus renuit balneum aquæ dulcis, si complicetur hectica febris cum putrida; quia in principio putridæ, & ante coctionem humores sunt incocti, renuentes alterationem balnei. Tum pro *tertia*, quod balneum nostra ætate recessit ab usu, quia sunt necessariæ plures cautiones pro illo, & quia securiora alia remedia possunt prodesse: quod non tollit, quin & illud prodesse possit.

Pro secundo fundamento respondetur, quod balneum aquæ dulcis pro febrium curatione, nec petit esse nimis frigidum, nec valde calidum, propter incommoda quæ adduximus; sed debet esse tepidum, quod est indicatum à febre, quia ut de illo protulimus ex Galeno, actu humectat, potentiâ attemperat,

rat, juxta indicationes quæ sumuntur à febre.

RESOLVTIO SEPTIMA.

Utrum balnea aquarum thermalium calidarum sint ex usu pro febribus curandis.

§. I.

Aquæ thermales quæ sint, & variæ earum differentiæ.

VArii Authores agunt de aquis thermalibus, præcipuè Baccius latè de omnibus egit, sed Vveckerus omnia Laconicè conjungit. Sunt aquæ thermales, seu medicinales, mineralesve, quæ per se sponte, vel naturaliter scaturiunt, vimque habent calefaciendi, suntque aut salsæ, aut nitrosæ, aluminosæ, sulphureæ, bituminosæ, ferreæ, æneæ, cupreæ, vel ex iis commixtæ; & juxta mineralia, à quibus immutantur, varias acquirunt agendi vires, per quas solent prodesse pro variis curandis morbis. De iis inquirimus, an etiam pro febribus curandis possint esse utiles.

§. II.

Proponitur opinio affirmantium, & fulcitur.

SUnt aliqui opinantes, ut tenet Andreas Baccius *lib.3. de Thermis, cap.3.* & tenentes febres posse curari cum aquis calidis thermalibus in earum balneis; his fulciti rationibus. Tum *primò*, quia licèt non indicetur balneum aquæ thermalis per se à febri, ut est calor præternaturalis; indicatur tamen ab illius causa, quatenus quia balneum est calidum, discutit humores acres, & mordaces per universam cutem luxuriantes, à quibus febris fovetur. Tum *secundò*, idem patet de febribus pituitosis, quas Galenus *lib.1.ad Glauc.* tenet ratione causæ indicare calida auxilia; ideò in illis, & vino, & calidis utimur alimentis. Tum *tertiò*, constat experientiâ, quod variæ febres solent balneis curari in variis fontibus aquarum thermalium, sicut tertianæ in Gallia in fonte ad Tugrin: sic & aliæ febres in aquis Puteolanis, Trirolæ, Petræ, & Plagæ, & in Helvetiis: immò & prodesse pro febre hecticа calidas aquas Paganeli, sub Vitterbio. Tum *quartò*, suadet ratio, licèt balnea calida aquarum thermalium non indicentur per se à febre ut tali, indicantur tamen à causa febrium, prout sunt remedium evacuatorium illius. Ergo ut tale petit exerceri. Probatur consequentia à paritate in rhabarbaro, quod licèt quia calidum, non indicatur à febribus biliosis; exercetur tamen in illis, quia est remedium, ut evacuatorium indicatum à causa febris.

§. III.

Sumpta indicatione à febribus, repugnant balnea aquarum thermalium pro earum curatione.

REsolvendum *primò*, quod sumptâ indicatione à febre, seu præternaturali calore, repugnant balnea aquarum thermalium pro illius curatione.

Probatur, sumpta indicatione à febre, quæ calor est præter naturam, per se indicatur ejus contrarium, quod est frigiditas, & contraindicatur excedens caliditas, à qua febris intenditur. Ergo repugnat illi caliditas excedens, & præternaturalis balneorum aquarum thermalium.

§. IV.

Ab indicatione per accidens sumpta à causa febris non datur sufficiens ratio cogens ad balnei aquarum thermalium usum.

REsolvendum *secundò*, quòd indicatio per accidens sumpta à causa febris, non cogit ad usum aquarum thermalium.

Probatur *primò*: Si aliqua indicatio cogeret in febribus uti balneis thermalibus, maximè quia evacuant causam morbificam: Sed hæc ratio non convincit: Ergo nullo modo sunt ex usu. Probatur minor. Tum quia causa à qua dependet febris, non sunt acres succi, qui in ambitu corporis redundant; sed humores putridi, aut usti, qui in partibus internis, & intra venas majores continentur, qui cùm nequeant balneo aquarum thermalium evacuari, per illud non fit curatio. Tum quia adhuc si tota febris penderet ab iis succis, acribusve humoribus circa cutem, febris non curaretur balneo aquæ thermalis, quia ab illo cutis densatur ob siccitatem, & calorem, & impeditur illorum evacuatio & corporis transpiratio.

Probatur *secundò*: Per balnea aquarum thermalium calidarum & siccarum,

non

non curatur febris hectica, quæ cùm pendeat ex partibus viventis calidis & siccis habitualiter, ob præversionem substantifici temperamenti, si ulteriùs calefiat, & exsiccetur per hæc balnea, nequit æger restitui, sed eum perire citiùs est necesse: quod docet Galenus *1. ad Glauc.* & confirmat exemplo hectici corrupti judicii, qui ex usu horum balneorum tabe consumptus interiit. Tum nec sunt ex usu hæc balnea pro febribus biliosis curandis, cùm bilis calore, & siccitate balnei necessariò debeat augeri, & accendi. Tum nec febris sanguinis potest curari aquis sulphureis, quia nequit talis humor evacuari per cutem, nec pars ignea potest vitari, quominus in bilem abeat; nec totus sanguis, quo minus ustione, aut putredine alteretur. Tum nec febris pituitosa potest curari balneo aquarum thermalium, quia nequit ejus causa evacuari per cutem, præcipuè cùm pendeat ex crassis humoribus; & idem contingit in quartana, quæ ex terreis pendet; & ideo petunt aut per ventrem, aut per urinam evacuari: ideo potiùs petunt disponi per coctionem, quàm ustione incrassari.

Probatur *tertiò* ex Galeno, qui *lib.1. de differ.febr. & lib.de causis morb.cap.2.* inter causas morborum calidorum & febrium ponit adhæsum rei calidæ, & retentionem calidi effluvii: Sed utraque harum causarum concurrit violenter in usu balnei aquarum thermalium, ob intensum illarum calorem, & ob intensam quam communicat siccitatem, & cutis adstrictionem. Ergo à balneo harum aquarum potiùs febres debent causari, quàm curari.

§. V.

Solvuntur fundamenta primò posita.

AD fundamenta contrariè opinantium respondetur. Tum pro *primo*, quod licèt discuterentur cutanei acres humores, non tamen curaretur febris, quæ pendet & fovetur ab humoribus intra internas partes contentis, qui non possent balneo evacuari; quia ab illo potiùs constipantur porositates, & impeditur exspiratio, & transpiratio. Tum pro *secundo*, quod Galenus consulit calorem concoquentem pituitam intra corpus; non violentum, adhærentem externis partibus, & adhæsione foventem febres. Tum pro *tertio*, quod experientiâ constat, quod febres solent curari in aliquorum fontium aquis in declinationibus, dum sunt calore temperatæ, & aptæ ad confortandum ventriculum, & ad roborandas partes internas, vel dum bibuntur, propter obstructiones foventes febres relictas post longas febres; non tamen per thermales potentiores aquas. Tum pro *quarto*, quod remedia quæ evacuant causam internam foventem febrem, etsi calida, indicantur à causa febris, & sunt ex usu pro illius curatione. Balnea verò sulphurea, & calida non evacuant causam, sed impediunt ventilationem, constringunt poros, augent febrem, & inevitabilem pariunt mortem, & hecticas febres, ut docuit Galenus.

RESOLUTIO OCTAVA.

Utrum terræ elementum præstet aliquod remedium pro febrium curatione.

§. I.

Quid sit terra, & aliqua ejus differentia.

TErra elementum est reliquorum infimum, siccum in summo, frigidum prope summum, cum aliquali caliditate. Aqueo humore perfusa terra, materiam præstat pro mixtorum corpulentia, causamque soliditatis, & constantiæ. Summa sua siccitate non tam prævalet activitate, quàm resistentia; potentiùs agit in igne siccitas, quàm in terra frigiditati conjuncta. In mixtis siccitas terrena comitatur duritiem, quam causat bibendo humiditatem: unde mixta fiunt densa, quia exiguis constant meatibus, vel quia fiunt compacta.

Terra dupliciter consideratur, vel ut elementum est, suis prædita qualitatibus, vel ut alias consequitur qualitates medicinales, per quas variis insignitur nominibus. Alia venena reprimit, ut Armenia, & Lemnia. Alia adstringit, ut terra ocra, rubrica, terra Samia, terra Chia, terra Selinaria. Alia discutit, ut terra Cimolea, terra impelitis, terræ fornaceæ. Alia abstergit, ut terra mollis. Terra præter has medicinales virtutes maximas nobis utilitates confert, ut protulit Plinius *lib. 2. natural. historiæ, cap.65.* ait enim: *Terra nos nascentes excipit, natos alit, novissimè complexa gremio, tandem ut mater operiens, semper placida, mitis, indulgens. Rarò homini irascitur, perpetuò ad omnes illius commodita*

moditates sese affigit; visceribus enim A *suis omnium rerum nobis copiam procreat, & stirpium, atque herbarum ad animantium sustentationem magnam largitatem fundit.* Post tot nostrorum commoda, inquirimus an simul pro febribus curandis aliqua præstet auxilia.

Videtur quod non, quia si aliquod præstaret, vel ut nobis ad extra applicata ad modum linimenti, vel intus sumpta ad instar potionis. Sed ad extra nequit applicari, ob suam aridam siccitatem: nec ad intus sumpta, ob varias ob- B structiones, & morbos quos valet procreare. Ergo nullo modo est utilis.

§. II.

Terra pro curandis febribus suas præstat vires.

Resolvendum, quod terra præstat subsidium pro febrium curationibus.

Probatur. Tum *primò* de terra, prout elementum est; ob suam enim frigidita- C tem in æstivis temporibus, in cubiculis subterraneis ob suam frigiditatem habitantes sanos præservat à febribus, febricitantes attemperat, & reducit ad sanitatem; ideo tales habitationes eligimus pro febrium curationibus. Tum per suas medicinales virtutes valet terra febres curare pestilentes, & malignas, ex Galeni decretis. Terra seu bolus Armenus, sive sigillum Lemnium, sive terra sigillata, quæ nostris temporibus in communi usu habetur, vim habet alexi- D pharmacam. Tum terræ medicinales dictæ, quæ discutiunt, & abstergunt, sumpta indicatione à causa in febribus humoralibus utiles sunt: terræ etiam discutientes, & abstergentes, & pro sudoribus diaphoreticis in febribus prosunt terræ adstringentes. Tum ex Hippocrate *lib. 6. epidem. sect. 5. text. 20.* in febribus longis confert pro curatione mutare solum, in terram scilicet, quæ salubriorem præstet habitationem: & expedit mutari à terra in qua ægri febricitarunt, E si permittat intensio febris, aut symptomata. Ergo quia terra aliquas præstat utilitates pro febrium curatione.

§. III.

Proponitur solutio pro ratione dubitandi.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod frigiditas terræ pro febrium curatione applicatur aëri, eique communicatur, & per illum etiam corporibus nostris, ad extra circa totum corpus, & ad intra inspiratione, & respiratione. Medicinalis terræ facultates in potu sumuntur cum aliquo liquore in dosi, cum qua nequeat nocere.

SECTIO III.

De remediis, quæ pro febribus sumuntur ex rebus non naturalibus.

Medicina ex Hippocrate *lib. de locis in homine*, est *Adjectio, & detractio.* Hæ perficiuntur remediis. Dogmatici illa exhauriunt ex rebus non naturalibus. Sunt res non naturales aër, cibus & potus, inanitio & repletio, somnus & vigilia, labor & quies, & animi pathemata. Praxis Dogmatica consequitur per tria instrumenta, per Diæteticam, Chirurgicam, & Pharmaceuticam. Pars Diætetica prima se offert in usu rerum non naturalium.

Resolutio Prima.

Utrum vini potus sit utilis in febribus.

§. I.

Quid vinum, ejus differentiæ, & variæ opiniones.

Sub rebus non naturalibus primò se offerunt cibus & potus. De cibo agemus sequente sectione: de aquæ potu, qui cunctis animalibus naturalis est, egimus sectione antecedente. Sub hac agemus de potu vini, & aliis artefactis, prout conferunt in febribus. Est vinum potus valens inebriare. Fit ex variis rebus. Palmarum vinum fit ex palmis; aliud fit ex piris; cidra fit ex pomis: pollenta fit ex caseo, vino, & oleo: dodra fit ex novem rebus: zythus, seu cerveza, fit ex hordeo & tritico cum lupulorum floribus. Apud Indos etiam varia sunt vina ex variis fructibus. Vinum propriè dictum, & communissimum, est quod fit ex uvis, estque uvarum succus coctus, & depuratus à suis recrementis per fermentationem à proprio calore. De hoc inquirimus, an possit esse utile remedium pro febribus curandis. Hujus sunt variæ differentiæ, quæ sumuntur à

à calore, à quo est album, rubrum, nigrum, flavescens, rubellum, pallidum. A sapore, à quo est dulce, aut austerum, acerbum, acre, aut insipidum. A substantia, aut est crassum, tenue, aut fæculentum. Ab odore, aut est suave, fragrans, aut inodoratum. A virtute, aut est vinosum, aquosum, polygophorum, aut olygophorum. A loco, aut est Falernum, Albanum, aut Hispanum. Ab ætate, aut est recens, aut vetus, aut debile, aut potens. Ex hac vini diversitate dubitatur, an aliqua in febribus differentia sit utilis in omni febre, aut in omnibus illius temporibus.

Variant Authores, ex quibus aliquorum antiquorum fuit opinio varia. Themison vinum admittit pro febribus curandis, ut refert Cælius *lib.* 1. *acutor. cap.*16. Praxagoras ante declinationem negat illius usum in omni febre. Galenus *lib.* 7. *Methodi*, *cap.*7. inquit: *Iam vini tum qualitatem, tum quantitatem memoremur, utpote quam maximam ad talia vim habeant, quando uno hoc utendum censeo omnibus quibus refici corpus opus est, modò non febricitent.* Et *lib.*8. *Meth. cap.* 4. inquit: *Verum hæc omnia justo sunt calidiora, ideoque febres accendunt, ita utique ut vinum.* Ex quibus apparet, in omni febre denegare vinum. Celsus *lib.* 3. *cap.* 1. dicit, quod ex sola abstinentia vini curantur omnes febres. Cicero *lib. de natura Deorum*, inquit: *Quoniam ægrotis vinum rarò prodest, nocet verò sæpissimè, propterea melius est ipsum non exhibere, quàm spe dubia salutis, in apertam perniciem incurrere.* Tum favet ratio: Omnis febris, ex Hippocrate petit curari frigidis, & humidis auxiliis: Sed vinum est calidum, & valens desiccare: Ergo est contrarium in curatione febris.

Secundum assertum est Vanhelmonis *tract. de febribus*, *cap.* 12. qui insaniens pro more contra Medicos Rationales, nebulonum facetiis se immiscet, notans illos de ebrietate, quia vinum negant febrientibus, non attendens, quod non absolutè illud prohibent, sed docent quos, quibus, & quando sit utilis vini usus pro febricitantibus. Ipse tamen vino adhæret, & probat: Tum *primò*, quia febris & calor sunt radicaliter diversa, nec alterum valet alterum augere. Tum *secundò*, quia vinum, etsi intendat calorem, auget vires, per quas febris curatur. Tum *tertiò*, quia febres lethales, & reliquæ circa mortem, sunt frigidæ, & ut sic indicant vini calorem. Tum *quartò*, quia vini calor est remedium, quo augetur Archæi calor, à quo vincitur febris. Ergo vinum est remedium pro omni febre.

Tertia opinio est communior inter Dogmaticos, ut admittit Sennertus, qui tenet, quod nec absolutè est verum, quod vinum sit remedium pro omni febre, nec quod in nulla possit prodesse; quia febres multùm inter se differunt, sicut & vinorum vires.

§. II.

Ratione virium in omni febre accidit, posse indicari vinum.

Resolvendum *primò*, quod sumpta indicatione à virium resolutione, nulla est febris in qua vinum non possit esse præstantissimum remedium.

Probatur *primò* ex Tralliano: Tum *lib.* 12. *cap.* 4. ubi ad vires instaurandas adhuc in marasmo vinum concedit, *§. Qui verò cum febre marcescunt, præsertim cùm macie torrentur, iis vinum dare cautio est.* Tum *capite de syncope*, inquit: *Cupimus enim ut quamprimùm in venas, totumque corpus distribuatur, præsertim cùm vires lapsas, & in periculo constitutas recreare festinamus. Quin etiam si ab igneis inflammationibus deliquia animæ suscitentur, vita quippe periculum subesse cognovimus, vinum mox exhibebis.* Ubi in inflammationibus offert vinum ad instaurandas vires. Tum *lib.* 7. *cap.* 14. inquit: *Sin autem vires urgeant, extremorum perfrictiones, convulsionesque, & animi defectiones originantur, salutare est etiam vinum decocto admiscere. Nam vinum omnium maximè subitò, & celeriter vires collapsas refocillare potest: ac multoties novi, ex sola illius potione, præter spem mortis periculum evasisse.* Quod & in febribus erit utile. Tum tradit rationem Celsus: *Collapsis enim viribus, omnis Medicorum curatio desperata erit. Quare convenit metiri noxam, quæ ex vino expectatur, & commodum: atque si plura fuerint, quæ permittant, propinare debes, majorem offensionem anteponendo: fieri enim non potest, ut quod juvat, aliqua ex parte non noceat.*

Probatur *secundò*: Si vinum in febribus non indicaretur, ut necessarium pro virium instauratione plerumque, maximè quia, ut inquit Mercurialis, non est alimentum valens nutrire, nec vires reparare.

parare. Sed est alimentum validum vires reparare: Ergo ob vires in febribus debet offerri. Probatur minor. Tum ex Hippocrate *lib. de alimentis*, dicente: *Quibusdam vinum est alimentum, quibusdam non est*; idest eis, qui malo cibo utuntur. Tum Galenus *lib.3.de aliment. facult.* inquit: *Vinum verò & similiter mutationem desiderat minimam; quo fit, ut tum nutriat, tum roboret cerebrum.* Tum Celsus *lib.11. cap. 18.* inquit: *Vinum, aut dulce, aut vehemens est; aut mustum, aut magnæ virtutis, vehementissimi generis*: idest, ad nutriendum.

Probatur *tertiò*: Vinum non solùm ut alimentum præstat materiam pro spiritibus generandis per nutritionem, sed tribuendo vapores aptos, ut ex illis procreentur spiritus. Ergo pro instaurandis viribus semper est utile. Probatur antecedens ex Galeno *lib.de aliment. facult. cap.29.* ubi inquit, quod vinum ex eorum est numero, quæ corpus nostrum alunt: & ex Democrito constat, quod per tres dies vitam prolongavit odoratu vini.

§. III.

Vini exhibitionem contraindicat febris ardens, & nimia vini caliditas.

Resolvendum *secundò*, quod vini potionem in febribus contraindicant ardentissima febris, & quod vinum sit nimis generosum, ut fatetur Sylvaticus cum Galeno *controversia* 12.

Probatur. Tum ex Tralliano *lib. 1. cap.16.* qui in viribus invincibilibus pro febribus vinum concedit, nisi febres habeant multam vehementiam, & ardorem. Tum Hippocrates *lib. 3. de rat. victus*, varias proponit differentias vini, ut ex illorum facultatibus ostendat, quale possit permitti in febribus. Tum Galenus *lib.11. Methodi, cap. 9.* in magnis febribus prohibet vinum generosum. Tum patet. Nam in febrium curatione cavendum ne febris intendatur, & fiat lethalior, aut causa morbi augeatur, & illius putredo intendatur, & accidentia fiant intensiora. Sed exhibito fortiori vino, præcipuè in febre intensissima, hæc omnia superveniunt, ex generoso exhibito vino præcipuè: Ergo illius exhibitio vitanda.

§. IV.

Pro debiliori quovis vino, seu olygophoro, non impeditur usus in debiliori febre.

Resolvendum *tertiò*, quod in mitioribus febribus, præcipuè pro assuetis, vinum olygophorum, seu aquâ dilutum, permittendum pro potu communi.

Probatur *primò*: Tot sunt facultates in vino utiles pro febrium curatione, ut nulla sit febris, à qua non indicentur, & pro qua non requirantur ad curationem, nisi ab ejus vehementia, aut vini potentia omninò prohibeantur: Ergo in nulla febre vinum debile non erit remedium. Probatur antecedens à nobis *tom.3.* ex Rhenodæo, qui vini præscribit dotes, dicens: *Vinum lætificat cor hominis, mentem exhilarat, ætatem floridam facit, mæstitiam aufert, calorem nativum fovet, viscera calefacit, coctionem juvat, sthomachum roborat, obstructiones tollit, viam abigendis excrementis parat, urinas movet, somnum conciliat, venena frigida obtundit, spiritus resarcit, flatus dissipat, crassos humores attenuat, coquit, discutit; est enim sanguis terræ, lac senum, vita quasi vita prodiens, elyxir vitæ.* Tum Hippocrates *lib. 3. de rat. victus*, vini differentias proponit, ut juxta illas eligatur utilius. Galenus *in comment.* prosequitur illas, dicens: *Quod quidem verò plurimas in vino differentias reperimus, distinguendum est de ipsis, quambrevissimè id fieri potest. Rubra itaque, & crassa, omnium ad generandum sanguinem commodissima sunt, ut quæ parva egeant in sanguinem transmutatione: deinde nigra, simulque dulcia, & crassa: deinde colore quidem rufa, aut nigra, compage verò crassa, & habentia simul adstrictionem. Minimè verò omnium alunt colore alba, compage tenuia, & quandoque aquæ similia. Coquuntur autem in ventriculo, & magis distribuuntur, quàm austera, utpote calidiori vi prædita; sed ventrem magis subducunt. Cæterùm valde crassa, & tardiùs coquuntur, & tardiùs in corpus distribuuntur: ubi autem ventriculum robustum nacta sunt, ut probiùs concoquantur, amplius nutrimentum corpori præstant. Manifestum est autem, quod alvum sistunt, in quibusdam crassissimum succum generant: quædam ex ipsis etiam jecur, & lienem, & renes obturant, atque inde aliqui in aquam intercutem incidunt,*

ciduat, aliqui laborant calculo ex nimio ipsorum usu, & præsertim feces. Optimum vinum est, & sanis, & ex morbis se recolligentibus commodissimum, quod colore rufum, compaginae tenue, & leviter adstringens existit. Ex quibus constat qualis sit vinorum differentia, & quæ utiliora vina in sanitate, & morbis.

Probatur *secundò* ex Principum Medicinæ doctrinis, qui olygophoris vinis utuntur in omni febre. Tum Galenus *lib.1.de arte curat.ad Glaucon.cap.*14. pro omni febre consulit vinum, tanquam illius remedium. Tum *lib.8.Method.cap.*3. utitur illo pro febre diaria, & aliis febribus, & inquit: *Consulimus omnibus ejusmodi naturis concedere; sed quod tum effectu, tum viribus sit aquosum: id enim est utilius quàm aqua est, utpote & quod coctionem juvat, & urinas movet.* Sed præsertim Hippocrates 3. *acut.* inquit: *Quibus autem vinum dulce, vinosumque, & album, & nigrum, melioratumque, & ex aqua, & melle insignatur, in morbis distinguere oportet.* Ubi juxta vinorum distinctionem eorum usum adaptat pro febribus. Præcipuè 1. *de rat. victus, cap.* 11. de vinis inquit: *Alba, simul & tenuia humores crassos incidunt, & sanguinem per renes purgant.* Avicenna *fen.*1.4. *tract.*1. *cap.*39. pro febribus inquit: *Et sumat in potu vinum album, subtile, commixtum; & est melius eis, quàm aqua, propter id quod est in eo de sudatione, & provocatione, scilicet urinæ.*

Dices, quod vina quæcumque calefaciunt & possunt esse causa, ut intendatur febris.

Respondet Galenus *lib.* 2. *aphor.* 11. sic: *Nam aquosa, sic enim nominant alba, & tenuia, sicut aqua similem formam habent, ita etiam vim: quare urinam cient, & minutim nutriunt.* Et *lib.*12. *Methodi, cap.*4. inquit: *Non enim invenies ex albo vinorum genere calidum ullum, & si quid calefaciet, est major utilitas in motione urinæ, quàm damnum in calefactione.* Hoc testatur etiam Averroës *lib.*7.*collig. cap.*6. §. *Et vina aquosa alba aromatica, omnibus morbis utilia sunt, si bibere assueti sunt. Itaque post digestionem bibantur; nam plura habent juvamenta, quàm aqua: nam vinum natationem, quando est in stomacho, vetat, ventositatem resolvit, urinam provocat, animam lætificat, & adjuvat naturam ad expellendas superfluitates, quando patientes hanc febrem, debilitatem incurrunt digestionis.* Tum Galenus *lib.* 11. *Methodi, cap.*9. vinum offert in febribus putridis, febre mediocri existente, viribus invalidis, & notis coctionis apparentibus; & etiamsi febris sit continua; indeque vini potus est ex usu in febribus intermittentibus, pendentibus ex crassis humoribus, ut tertiana notha, & quotidiana, in quibus à causa febris indicatur vinum, ob tardam causæ coctionem: præcipuè si, ut tenet Galenus *lib.*3.*de rat.victus*, sit vinum album, pauciferum, tenue, inodorum, olygophorum. Tum hujusmodi vinum solet hecticis concedi ad vires instaurandas, aut saltem aquæ commixtum: inquit enim Avicenna *fen.*1.4. *tract.*3.*cap.*7. *Et fortasse oportet, ut eis detur in potum aliquid vini subtilis, permixtum aquâ multâ.*

§. V.

Solvuntur rationes contradicentium.

AD Authores negantes usum vini in febribus, respondetur quod ut latè probavimus, in vino sunt variæ differentiæ, & in illis variæ virtutes, quæ possunt esse ex usu pro febrium curatione: unde licèt vinum quà calidum, non indicetur à febre, quæ est calor extraneus, in quo conveniunt Authores sanæ mentis. Tamen sumpta indicatione à viribus, in febribus delapsis, à causa, aut variis accidentibus supervenientibus ratione febris, in febrium curatione indicatur vinum, ob varias rationes, & virtutes, quibus pollet, & per quas potest auxiliari pro febribus vincendis.

Ad *secundum* respondetur, quod Vanhelmon, cùm non constet in ratione, sed in imaginaria & tumultuosa volitione, & in conatu contradicendi Rationalibus Medicis, non attentis eorum doctrinis, fingit hostem, ut pugnet contra illum. Tum *primò*, delirat contra experientiam, quæ convincit, quod febricitantes calore uruntur; & contra accidentia febrium, quæ attestantur ustivum calorem, à quo proveniunt. Tum *secundò*, quod solo conatu contradicendi pugnat in asserendo, quod vinum auget vires, quod nullus negavit; sed proponunt Dogmatici occasiones in quibus vinum debet exhiberi, quas ipse ignoravit. Tum pro *tertio*, quod licèt aliqua accidat frigiditas in aliquibus febribus, ratio tamen febris non stat in illa frigiditate, sed in præternaturali calore, à

quo illa provenit: & si quandoque ab A illa cogimur vinum exhibere, est sumpta indicatione à viribus sub illo symptomate consumptis. Tum pro *quarto*, quod vini calor moderatus potest juvare pro conservando Archæi calore, si vinum sit generosum, & febris ustiva, superaddito calore vini, Archæus resolvitur, & sua imaginaria febris extinguit febrientem, vel potiùs ustivus febrilis calor.

B

RESOLVTIO SECVNDA.

Utrum bira, seu cervisia, sit potus utilis pro febrium curatione.

§. I.

Variæ potuum differentiæ, quid bira, & suadetur pars negativa.

PRo potu aquam communiter præstitit natura cunctis animalibus: hominibus specialiter condonavit vinum: superaddiderunt homines aquas artifi- C ciales, de quibus egimus *tom.3.prompt.32.* Aqua artificialis, aut tantùm est medicinalis, qualis est quæ instillatur ex variis floribus, radicibus, & foliis: aut est alterans qualitate manifesta, aut occulta: aut est purgans. Alterans, aut pro toto corpore, aut pro determinata parte. De aqua artificiali potabili præcipuè agimus, quæ fit coctione, infusione, extractione, aliisque modis. Harum aquarum usus adaptatur ab authoribus pro affectuum varietate, & indicationibus. D De usu vini propriè sumpti in febribus nuper egimus. Vino assimilatur bira in Septentrionalibus regionibus in communi usu recepta pro nostro vino: à Latinis, & Arabibus vocatur cervisia, zythum, curmi, camum: à Dioscoride focha. Hæc potus est apud Ægyptios inventus à Dionysio Ammonis filio, seu Osiris. Componitur ex tritico, hordeo, & floribus lupulorum, ut tenet Sitonus ex Plinio *lib.14.cap.22.* ex Galeno *lib.4. de ratione victus, text.71.* ex Mercuriali E *lib.5.variar.cap.1.* ex Valverda *de sanit. tuend.cap. de potu*, ex Sylvatico *Pandect. lib.3.cap.9.* ex Mathiolo *in comm. lib. 2. Dioscorid.cap.81.& lib.4.cap.130.* ex Monardo *lib.5. epist.1. & lib. 17. epist.5.* & ex Vveckero *lib.5. Syntaxis, p.2.*

Videtur, quod bira nequeat esse utilis in febrium curatione, ob plurimas rationes adductas à Sitono. Præcipuè, quia est potus calidus: Ergo potiùs auget febrem, quàm sit utilis pro ejus curatione. Probatur antecedens. Tum *primò*, quia cervisia inebriat sicut vinum uvarum: Ergo sicut illud est calida. Antecedens probat experientia, & confirmat Plinius *lib.4. cap.12.* Schola Salernitana *cap.18.* Trincavellius *lib. 1. consil.60.* Tum Mathiolus *lib.2. cap.81.* docet ex cervisia educi aquam vitæ, sicut ex vino. Unde constat, esse calidam à prædominio. Tum *tertiò*, cervisia fervet in dolio, sicut vinum: Ergo à proprio interno calore. Tum *quartò*, in Septentrionalibus bibitur cervisia loco vini contra frigidam regionis temperiem. Ergo quia est calida à prædominio, sicut vinum.

Secundò patet, quod bira sit calida ex ejus duratione; valet enim per plures annos perdurare, quod non contingit in potibus frigidis, ptisana, lacte, & similibus: & Aristoteles *in lib. meteor.* docuit mixtorum durationem pendere ab eorum calore.

Tertiò: Pro cervisia triticum, & hordeum eam componentia, ut fiat ex illis, putrescunt. Ergo fit calida, quia quæ putrescunt, ex Aristotele, fiunt calidiora: quod apparet in humoribus putrescentibus intra nostrum corpus, & in eis quæ extra illud putrescunt.

§. II.

Præfertur pars affirmativa.

REsolvendum, quod bira, seu cervisia simplex, & non vetusta, est potus aptus ut exhibeatur in febribus.

Probatur ex biræ ingredientibus; fit enim ex tritico, quod est calidum in primo ordine, & in passivis temperatum, ex Galeno *lib.8.simplic.facult.* & tenent Avicenna *lib.2.tract.2.cap.250.* Rhasis *ad Almansorem, cap.2.* Mathiolus *in Dioscoridem, lib.2.cap.7.* Fit etiam ex hordeo, quod in primo ordine refrigerat, & siccat, ut docet Galenus *7.simpl. facult.lib. de ptisana, cap.3.lib.1.de aliment. facult. cap.9.* tenent Mathiolus *in Dioscoridem, lib.2. cap.79.* Vveckerus *in Antidotario speciali, lib.1.sect.11.* Præterea bira fit ex floribus, seu caliculis lupulorum, qui in secundo ordine sunt calidi, & sicci, ut tenent Mathiolus *lib.4. in Dioscoridem, cap.140.* Fuchsius, & Manardus. Pisanellus autem, & Grataroltus lupulos temperatos judicant. Mesue *lib.2.cap.72.* tenet esse frigidos. Sed quidquid sit de illis, cùm hordeum sit

potentius

potentius in refrigerando, & in majori copia recipiatur in compositione, & cum tanta aquæ quantitate, major resultat in bira vis refrigerandi, & consequenter nt possit esse utilis in febribus, præcipuè quæ simplex, & recens.

§. III.

Solvuntur fundamenta contrariè opinantium.

AD *primum* respondetur, quod bira est potus frigidus, & humidus: nec obstant argumenta proposita. Patet. Tum *primò*, quia mustum inebriat, non per calidos vapores, sed per crassos obturantes posteriores cerebri partes; & alii potus frigidi, ut cidra, & herbæ frigidæ, ut mandragora, valent inebriare potiùs inducendo torporem quàm calefaciendo. Similiter & cervisia. Tum pro *secundo*, quod cervisia est mixtum; constat ideo & frigidis, & calidis partibus, igneis, & aëreis, ex quibus extrahitur aqua vitæ, licèt non ita propria, sicut quæ extrahitur ex vino, in quo illæ partes materiales sunt à prædominio. Tùm pro *tertio*, quod mixta, licèt frigida, alterata putredine, aut fermentatione fiunt calidiora. Sic pituita, licèt frigida, causat febrem; & fructus frigidi putrescentes, fiunt calidi. Simili modo vinum, & cervisia, & alii succi fermentatione alterantur, & calefiunt, & fervent. Transacta autem fermentatione acquirunt à propria forma temperiem debitam juxta prædominantes partes mixtas materiales calidas in vino, frigidas in bira. Tum pro *quarto*, quod etiam bibitur aqua à Septentrionalibus, quæ actuata à calore fit instrumentum coctionis in eorum ventriculo: nec ex hoc infertur, quod aqua sit calida, sed quod comparatione ad aquam, cervisia quæ mixtum est, est magis calida, vel quod cùm ex Hippocrate ventres hieme sint calidiores, in frigidis regionibus ventres sunt magis calidi; ideo cervisia, licèt frigida, potest esse utilis pro illorum salute.

Ad *secundum* respondetur, quod duratio mixtorum non pendet à solo calore; ignis enim minùs durat: sed à tali commixtione elementorum, ob quam lapides, & ferrum frigida magis durant, quàm reliqua calidiora.

Ad *tertium* respondetur, quod cervisia fit ex tritico, & hordeo, non quia putrefiant, licèt apta sint putrefieri; sed

A quia fermentantur, & mutantur in aliud mixtum perfectius per fermentationem, quâ peractâ, sicut ex musto frigidiori fit vinum calidius, ob prædominium partium calidarum, sic ex fermentatione tritici & hordei fit mutatio in biram, quæ evadit frigida ob prædominantes partes materiales frigidas ingredientium, ex quibus coalescit.

Resolutio Tertia.

B Utrum potus ptisanæ sit remedium pro febrium curatione.

§. I.

Quid ptisana, quotuplex, modus faciendi.

PTisana est succus hordei extractus in aqua per coctionem. Huic juxta varias indicationes alia superadduntur. Alii saccharum miscent aut mel ad abstergendum, vel ut fiat diuretica; aut semina melonum, aut semina majora frigida, ad magis attemperandum; aut syrupum de acido citri, aut agrestæ, aut de succo limonum, aut acetosæ succum. Dosis ad ℔. j. mane, aut vesperi in declinatione accessionis: refrigeretur nive. C

Ex hordeo fit decoctum pro communi potu in febribus: fit ptisana pro majori attemperatione. Pro potu ℞. partem hordei integri, aquæ partes viginti: fricetur hordeum panno linteo humectato: fiat maceratio per horas duas: fiat decoctio ad ebullitionem, & eò usque D intumescat. Prodest pro communi potu in febribus cum morbosa siti.

Ptisana alia est colata, alia non colata. Colata minùs nutrit: magis non colata. Utraque est succus hordei in aqua extractus, cui veteres admiscebant acetum, aut porrum, postea salis parum, aut anethum: alii sapam. Sed hæc recesserunt ab usu. Communior usus recepit, quod fiat ptisana ex hordeo, & seminibus melonum & cucurbitæ, cum saccharo, & E aliquibus amygdalis. Bruyerus *lib. 5. de re cibaria, cap.* 10. damnat errorem eorum, qui ptisanæ nomen transferunt ad potum à Gallis usitatum, quod fit ex hordeo, radice dulci, passulis, prunis, & dactylis, atque zizaphis. Claudinus *in Appendice de ingressu ad infirmos, cap.* 4. veram ponit methodum parandi ptisanam, sic:

℞. Hordeum optimum sine cortice, injice in ea quantitate aquæ, ut ptisana ex

ex eo parata, pro ratione anni servari possit; æstate enim tantùm pro una die paratur. Hoc hordeum in aqua tepida optima infundatnr per horas duas, ut tenet Avenzoar: Averroës per horas quatuor, *5.collig.cap.31*. Post infusionem hordeum manibus fricetur, ut docet Galenus *de aliment.facult.cap.19*. donec tenuis, & extima ejus superficies separetur: deinde validiùs, aut manibus, aut panno aspero rursus confricetur, quousque totum quod paleatum est, auferatur: nisi ptisanam velis abstergentem reddere pro tollendis obstructionibus contumacibus, movendisque sudoribus; tunc enim melius est hordeum cum ipso cortice coquere, & eo modo pro ciendis sudoribus decretoriis paratur. Affundendæ sunt, ex Paulo, & Avicenna, (nam Galenus hoc subticuit) unicuique libræ hordei, ℔. xv. aut xx. aquæ, cùm hordeum non nisi longo tempore perfectè possit concoqui, & pro longa coctione, aquæ copia requiritur. Dum verò coquitur hordeum, curandum ut primò igne vehementi ebulliat, ut tumescat & flatus amittat: deinde lento igne ebulliat, ut detumescat, & ne potus alimentalis dissipetur, ferveat ad consistentiam cremoris, ita ut grana invicem hæreant, & in massam unam conglobentur, non ulteriùs, ne ex superflua coctione hordeum acquirat viscíditatem; & etiam, ut tumefacto hordeo, nulla superaddatur aqua. Sic Claudinus.

§. II.

Pars negativa à junioribus proponitur, & fulcitur.

PTisanâ nullum remedium magis in usu fuit Hippocrati, ut constat *ex lib. de rat. vict.* Junioribus non ita fuit accepta. Cardanus hos libros non admittit genuinos Hippocratis. Galenus reprehenditur, quia modum parandi ptisanam non tradidit, omisitque aquam hordei, quam consulit pro febribus Avicenna, & reliqui Arabes; licèt reprobent alii, quia ventriculum inflat, ac vexat. Manardus Ferrariensis *lib.5.epist.* contendit impugnare ptisanæ usum in febribus. Zacutus *tom.1. lib. 2. histor.23. dubio 16.* levibus convictus rationibus apparet illi adhærere. Mercatus *lib.2. indicat.* non extra discedit ab eis: quibus favet

Primò ex Manardo. Tum quod Hippocrates *lib. 2. aphor.* laudat consueta, A etsi deteriora: ptisanæ autem nullus assuetus est. Tum *secundò*, ex Hippocrate *2. aphor.* cibus, & potus debent eligi, qui suaviores; inquit enim, *Parum deterior cibus, aut potus, verùm suavior, præferendus.* Et *lib.5.epidem.* tenet, *ægris congratulandum.* Ergo non offerendus inassuetus, & ingratus potus. Tum *tertiò*, ægri cùm habent inappetentiam, invitandi sunt ad plures cibos: Ergo non cogendi ad solam ptisanam. Tum *quartò*, ptisana tenuissimus est cibus; ideo inu- B tilis pro febribus. Galenus enim *1. ad Glauconem*, in tertiana mutat victus rationem, & admittit ova, & carnes: & Paulus tenet antiquos, quia minùs se exercebant, tenuiori victu usos fuisse, & è contrario nostri crassiori. Tum *quintò*, quia nostris temporibus nondum optimum datur hordeum, ex quo fiat ptisana. Tum *sextò*, quia apud nos hordeum non est alimentum pro hominibus, sed pro brutis: Ergo rejiciendum ab usu pro curatione febrium.

C

§. III.

Admittitur Ptisanæ usus pro curandis febribus.

REsolvendum, quod ptisana est præstantissimum remedium in febribus, præcipuè acutis, & quæ foventur præcipuè ex interna viscerum inflammatione. Communis est hæc doctrina: illam sancivit Hippocrates *lib. de rat. victus in acutis*, Galenus *in comment. lib. de ptisana, lib. de aliment. facult. cap. de hor-* D *deo, in lib. Methodi*, & aliis in locis. Sequitur Avicenna *lib. 2. cap. 538. fen.1.4. tract.2.cap.9.* Plinius *lib.22.cap.7.* & inter Principes Medicinæ Paulus *lib. 1. cap.78.* Aëtius *tetrabibli 1. summa 2. cap. de hordeo*, Oribasius *lib.1. collect.11.* Inter Arabes Rhasis *3. continent. tract. 6. c.2.* Hally *5. theorem.15.* Averroës *5. collig.31.* Mesuë *cap. de pleuritide, de aqua hordei.* Præcipuè contra Manardum tenent Cortesius *de cura febris maligna.* Cardanus *lib. 1. contradict.* Castellus E *tract.5. de affect. thoracis*, Horatius Augenius *tom.1. epist.* Massarias *lib.1. de febribus, cap.15.* Zacutus *tom.1. hist.23. dubio 17.* & plures alii.

Probatur *primò*. Ptisana est medicamentum, & alimentum aptum pro febrium curationee; est enim cremor hordei moderatè refrigerans & humectans, abluens, detergens, aperiens, alvum lubricans, sitim sedans, facilis coctu, flatus expers,

expers, si benè paratur, aptaque est pro debita nutritione, sine naturæ distractione. Sed hæc ferè omnia indicantur in febribus, præcipuè acutis, ab ipsa febre, & ab ejus causa & accidentibus. Ergo tanquam præstantissimum remedium pro febribus admittenda ptisana. Probatur minor ex Hippocrate *lib. 1. de rat. victus, text.* 18. dicente: *Ptisana igitur frumentaceis gustamentis rectè præferri mihi videtur in acutis morbis; eosque qui praetulerunt, laudo: nempe viscositas ejus levis, continua, jucunda, lubrica, & medioeriter humectans, sitim minimè infert; & si quid ablui eget, probè abluit: non adstringit, non malè turbat, nec in ventre tumescit; nempe inter coquendum, quod maximè potuit, intumuit.* Plinius *loco citato* laudat ex eodem ptisanam, dicens: *Ptisana inde usus validissimus, saluberrimusque tantopere probatur: unum laudibus ejus volumen dicavit Hippocrates, ex clarissimis Medicinæ scientiâ.* Ergo ob præclaras dotes præferenda.

Probatur *secundò*. Ptisana pro febribus acutis est omni ex parte indicata. A viribus, ob quas optimum præstat alimentum. A febre, quia sua frigiditate illi opponitur, & sua humiditate ejus prohibet exsiccationem. A causa, quatenus illius calori, siccitati, acrimoniæ, & putredini in causone opponitur. Ab accidentibus, quatenus asperitati obstat, sitim extinguit, & coërcet: Ergo tanquam omni ex parte indicatum remedium pro febribus est necessaria ptisana.

Probatur *tertiò*. Si inutilis esset usus ptisanæ pro febribus curandis, maximè quia hordeum, ex quo petit fieri, nobis esset impossibile, aut incognitus modus præparationis. Sed neutrum obstat, quia hordeum à quo petit fieri, est communissimum in his regionibus, & gaudet omnibus conditionibus quibus debet præpollere, juxta Galeni doctrinam *lib. de ptisana, cap.* 3. est enim candidum, densum, ponderosum, nec nimis recens, nec nimis vetustum, quod communissimum. Tum est cognitus modus extrahendi ptisanam, ut proposuimus cum Claudino.

§. IV.

Solvuntur fundamenta posita ex Manardo.

Ad fundamenta Manardi respondetur. Tum pro *primo*, quod non solùm apud veteres, sed apud nostros ptisana est commune remedium & alimentosum, seu potus usitatus, præcipuè in æstate, quo præ deliciis plerique utuntur sub nomine orchiatæ. Et licèt esset inusitatus potus, prodesset indicatus, sicut & potiones purgativæ, & alia medicamenta, quibus utimur in morbis tantùm. Tum pro *secundo*, quod ptisana, si pro cibo illâ utamur, est cibus gratus, præcipuè commixto saccharo, & suavis potus, maximè pro sitientibus in febribus: & licèt esset ingrata, id contingeret in illius usu, quod est commune in omnibus ferè remediis. Tum pro *tertio*, quod plerumque sola ptisana sufficit pro alimento, præcipuè in acutis febribus: nec æger est invitandus ad plura alimenta, si solo tenui indiget victu, ex Hippocratis doctrina. Tum pro *quarto*, quod licèt ptisana sit victus tenuis, sola sufficit pro morbis exactè peracutis, si detur ut medicamentum: pro alendo superadduntur & alia alimenta in longiori febre. Tum pro *quinto*, quod apud nostros sunt coqui, & pharmacopœi cognoscentes hordei bonitatem, & callentes modum extrahendi ptisanam. Tum pro *sexto*, quod hordeum pro brutis est alimentum, quod non obstat, quin possit esse pro hominibus medicamentum, quod commune est pluribus aliis medicamentis, quæ pro salute hominum solùm ut medicamenta prosunt.

Constat ex dictis quod potus sunt varii: alter est hominibus, & animalibus naturalis, & communis, quale est elementum aquæ: alter est potus solis hominibus naturalis, quale est uvarum vinum. Alii sunt potus artificiales, inter quos bira, & ptisana sunt communiores; ideo de illorum usu disputavimus. Alii sunt propriores aliquibus nationibus, nobis verò minùs usitati, de quibus ideo non disputavimus, licèt de illis egimus *tom. 3. prompt.* 33. quales sunt quæ fiunt ex succis variis, aut decoctionibus fructuum, aut mellis in aqua, vinum palmarum, cidra, vinum cytoneorum, pentaploa, zithus, & apud Indos vinum caozo, & vinum aspii, caricaracu, vinum panchi, vinum de milia, vinum zetici, janipaba, becuntingu, tipiaci, & alia, de quibus non agimus, quia nobis non sunt ex usu, nec usque in sequentem sectionem disputabimus de cibis, quia ampliorem exigunt disputationem.

Resolutio Quarta.

Utrum repletio sit pro febrium curatione utilis.

§. I.

Quid repletio, & variæ ejus differentiæ.

Repletio à Græcis plethora, à Latinis dicitur plenitudo, seu multitudo. Ponitur inter res non naturales, & de illa inquirimus, an possit esse ex usu pro febrium curatione. Est enim redundantia succorum in corporis cavitatibus, proveniens ex alimenti superfluitate confluente in illas. Hæ sunt ventriculus, seu venter, intestina, venæ, arteriæ, quæ illis implentur, & sæpe rumpuntur, ut deducit Quercetanus ex Ægineta *lib.1. de re Medica, cap.32.* dicente: *In cibis maximè delinquitur circa repletionem. Nam etiamsi ventriculus probè concoquat; venæ tamen nimium repletæ affliguntur, distenduntur, rumpuntur, obturantur, plenæ fiunt, & valde gravantur. Pessimum autem est in morbis venarum repletio. At verò ventris repletio, quandoque sursum evacuat id, quod redundat; quandoque deorsum per secessum; & tamen nec hæc admittenda est, verùm si quis plura ingesserit, statim vomere oportet.* A natura prævisa repletio, ne suis infestaret incommodis, suas pro illa deponenda condonavit vias. In capite aures, oculos, nares, & palatum. In ventre intestina, & urinæ vias: in fœminis etiam uterum: in viris, & fœminis hæmorroïdales venas. In tertia regione cutis porositates, per quas insensibili, aut sensibili excretione continuò corporis superfluitates excernuntur, quibus retentis, & varii morbi, & varia subsequuntur incommoda.

§. II.

Repletionem posse esse utilem pro febribus curandis apparet.

Videtur *primò*, quod repletio sit remedium, saltem pro febre hectica curanda. Nam ex Hippocrate, *morbi qui repletione nascuntur, evacuatione curantur, & è contra.* Sed febris hectica fit per inanitionem, & consumptionem partium nostri corporis: Ergo petit curari per illarum repletionem.

Secundò, quod potest ad sanitatem conservandam, poterit & esse remedium A ad morbos curandos. Sed repleri cibo, & potu, confert pro sanitate conservanda. Ergo & pro febribus curandis. Probatur minor ex Cornelio Celso *lib. 1. cap. 1. §. Prodest nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convivio esse, interdum alvo se retrahere, modò plus justo, modò non amplius assumere.*

Tertiò, Sanguinis repletio, quæ fit ex abundantia sanguinis quarti humoris, vel ex redundantia quatuor humo- B rum naturalium, fit ex humoribus, qui apti sunt nutrire partes nostri corporis. Sed naturales humores apti nutrire conferunt ad spiritus generandos, & corporis partes reficiendas, & roborandas. Ergo plenitudo ex iis humoribus erit utilis pro febribus curandis.

§. III.

Denegatur repletioni quod sit utilis pro febribus curandis.

C Resolvendum, quod omnis repletio impedit curationem febrium.

Probatur ex variis differentiis repletionum, quia in quacumque fiant corporis parte, natura habet promptas vias, per quas illam possit deponere. Ergo quia omnes repletiones sunt aptæ nocere; & ideo provida natura est apta illarum causas deponere.

Probatur *secundò*. Repletio vel fit ab aliis succis distinctis ab humoribus, vel ab ipsis humoribus. Sed à quolibet ho- D rum repletio est præternaturalis. Ergo inepta ut sit remedium pro febribus curandis. Probatur minor. Si fit à succis alienis à sanguine, quia nequeunt concoqui à natura, necessariò fiunt superflui, & inutiles pro nutritione, & ut fiant humores: aut sunt cacochymi, separati à commixtione sanguinis; & ii sunt toto genere præter naturam, & alieni à naturali statu indicant purgationem. Si sint sanguis quartus humor, aut omnes humores complentes massam sanguinariam, faciunt plenitudinem, à qua E febres proveniunt, ex Galeno *lib. de plenitudine*, & alios plures morbos. Ergo non possunt adaptari pro remedio febrium.

Probatur *tertiò*, ex dictis à nobis *tom.1. Resolut. p.4. sect.3. resol.7.* quia repletio sanguinis est vitium sanguini accidens, ratione cujus vasa distendit, aut disrumpit, facultates opprimit, & coctiones impedit, ut docet Galenus *lib. de febribus, & lib. de plenit.* Ergo nequit esse remedium pro illis.

Probatur

Probatur *quartò*. Pro febribus curandis commune remedium est repletionis evacuatio per sanguinis missionem, aut purgationem deponentes plenitudinem seu repletionem. Ergo quia illa potiùs est causa fovens febrem, quàm illius remedium.

§. IV.

Solvuntur opposita fundamenta primò adducta.

AD *primum* respondetur, quod febris hectica non fit ex inanitione, licèt hæc illam concomitetur: & hæc curatur non per repletionem, quæ est redundantia succorum; sed per repositionem substantiæ debitæ, quæ resoluta fuit.

Ad *secundum* respondetur, quod ad sanitatem conservandam non intendit Celsus, quod prosit usus alimenti replentis corpus, sed inassuetus illius usus obstans consuetudini.

Ad *tertium* respondetur, quod sanguinis repletio prosternit vires, replet vasa, impedit coctiones, & reliquas facultatum operationes; & earum vires non resarciuntur per repletiones, sed per proportionatos succos, ad debitam instaurationem substantiæ, quæ resolvitur in partibus. Nam replens cibus potiùs morbos parit, ut docet Hippocrates *lib. 2. aphor.* 17. dicens: *Ubi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit; ostendit autem sanatio.* Ex quo paret, morbos ex repletione sanari inanitione. Et *lib. 2. aphor.* 22. idem patet; *&* 2. *aphor.* 8. inquit: *Non satietatem, nec famem, nec aliud quidquam naturæ modum excedens, bonum est.* Et Galenus *comm. in text.* 17. *lib.* 2. *aphor.* tenet quod gravans alimenti quantitas vires noxia est, quia virtus gravatur, fit imbecillis, & impotens ad coquendum.

RESOLUTIO QUINTA.

Utrum inanitio possit esse utilis pro febribus curandis.

§. I.

Quid inanitio, & aliquæ ejus differentiæ.

PArsimonia, seu frugalitas, sobrietasve opponuntur repletionis causis. Inanitio, tanquam contraria affectio, & à frugalitate mediocritas, confert pro sanitate: excessus morbum creat. Sobrie- A tas, & repletioni, & inanitioni opponitur, medium præstans usum cibi, & potus, pro salute conservanda; est enim sobrietas, moderatio potus, & cibi, quam laudat Horatius 2. *serm.* 2.

Accipe nunc victus tenuis, quæ, quantaque secum
Afferat. In primis, valeas bene; nam varia res
Ut noceant homini credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit.

B Ex nimia sobrietate potest supervenire inanitio, quæ est defectus substantiæ pro vitæ conservatione requisitæ, & hæc aut sunt spiritus, aut partes solidæ substantiæ nostri corporis. Spiritus inaniuntur per seipsos, aut aliis substantiis commixti. Per seipsos, ut in vehementibus animi passionibus: commixti cum aliis substantiis, sic in humorum evacuationibus, sic in puris excretionibus, & in hydropicorum apertione, in diarrhœa. Deficit materia, & fiunt inanitio- C nes, dum resolvuntur partes repositæ, vel quia deficit materia ex qua resarciantur. Deficit materia, vel quia non sumitur alimentum, vel quia vitiatis coctionibus generatur inutile pro nutricatu; vel quia humores nutritioni apti evacuantur, & ad aliquam morbosam confluunt partem: vel repositi resolvuntur, ut in hecticis. De iis inanitionibus inquirimus, an aliqua possit esse utilis in febrium curationibus.

D §. II.

Ratio comprobans utilitatem inanitionis proponitur.

VIdetur quod inanitio sit remedium necessarium pro humoralium saltem febrium curationibus. Nam inanitio est defectus substantiæ, per quam vita conservatur. Sed omnis humoralis febris curatur per sanguinis missionem, aut purgationem, per quas fit inanitio sanguinis, aut reliquorum humorum. Ergo pe- E tit curari per inanitionem.

§. III.

Nulla inanitio confert pro curatione febrium.

REsolvendum, quod omnis inanitio obstat febrium curationi.

Probatur. Omnis inanitio debilitat essentialiter vires: sed omnis curatio febrium, cùm fiat à natura, quæ est morborum

borum curatrix, petit fieri per naturæ vires. Ergo omni curationi febrium obstat inanitio. Probatur major. Nam vires conservantur per partes, in quibus resident facultates, & per spiritus à quibus tribuitur illis debita temperies requisita ad conservationem.

§. IV.

Solvitur dubitandi ratio primò posita.

AD rationem dubitandi respondetur, quod febres humorales curantur per sanguinis missionem, & purgationem, non quatenus evacuant humores, & spiritus, ut sequatur evacuatio faciens inanitionem; sed quatenus deponunt plenitudinem, aut humores cacochymos, per quos febris fovetur, & causatur, & tentatur horum humorum evacuatio, antequam subsequatur inanitio.

RESOLUTIO SEXTA.

Utrum vigilia sit remedium pro febrium curatione.

§. I.

Quid sit vigilia? Suadetur pars negativa.

VIgilia, inquit Nancelius *lib.3.cap.8.* cum Galeno, est passio animæ à principio ad corporis partes omnes, & partium particulas. Fuit necessaria in sanis, postquam somno refocillata est natura, ut proprias uniuscujusque sui muneris operationes prosequatur in animali, ut prolatum à Poëta refert Quercetanus:

Luce vigent operosa artes, it miles in arma,
Luce gemunt fessi sub juga luce boves.
Delia non noctu venantur: nocte quiescunt
Pulpita; sed luce est docta Minerva vigil.
Luce minax Pallas, vigilata quot bona lucis?
Corpora, vox, sensus, ingenium, arsque vigent.

Non tamen nos inquirimus per vigilias commoda intra sanitatem, sed illarum utilitates in febribus. Quod nullas possimus per vigilias consequi in curatione febrium, apparet

Primò. Nam vigilia in febribus fit per calidos vapores confluentes in caput, vel per acres halitus, ut patet 2. *de rat. victus, text.*55. Ergo nequit vigilia ex iis proveniens habere vim remedii in febribus.

Secundò, vigilia biliosos humores auget, & sanguinem reddit biliosum, ut docet Galenus *lib.7. aphor. comm.* 10. & bilem generat, ex eodem, *lib.6. epidem. comm.1.text.*10. & corpus desiccat, ex eodem, *de morb. vulgar. comm.* 4. Et 3. *de sanit. tuenda*, asserit quod reddit corpus aridum & gracile & consulit vigiliam vitandam in corporibus siccis. Ergo vigilia nequit esse utilis pro febrium curatione.

Tertiò: Vigilia plura potest aggregare incommoda impedientia febris curationem, per plures supervenientes ex illa morbos, & accidentia. Ergo nequit esse remedium pro febribus curandis. Probatur antecedens, quia si immodica sit vigilia, dissolvit calorem nativum, & spiritus & totum corpus lentè exsiccat, coctionem turbat, famem intendit, cruditates congerit, sanguinem facit bilescere, molem, & figuram & characterem tum faciei, tum totius corporis immutat, cerebrum, & ejus facultates, sensumque, & motum hebetat, omnes virtutes animales dejicit, à ratione alienat, cachexiam, & pravum habitum inducit, languidum corpus lenta macie ad mortem ducit, animum de statu suo dejicit, à ratione alienat, est pernicies hominum studiosorum, quos incautos opprimit, mortuis concolores facit, & tandem ducit in Orcum. Ergo nequit remedii vires obtinere.

Quartò, vigiliæ valent causare febres: Ergo non sunt ex usu pro illatum curatione. Probatur antecedens ex Galeno *lib.*10. *Methodi*, *cap.* 4. *§. Mordent halitus, & succus, ubi per insensibilia feruntur corpora, & inæqualem totius corporis horrorem & concussionem faciunt, ex quibus cute constipata, quæ priùs exspirabant, jam retenta, quoties fuliginosa sunt, febres accendunt.* Quod per vigilias accidit. Tum Avicenna *lib.*1. *fen.*2. *doct.*3.*cap.*13. idem tenet, dicens de vigiliis: *Cùm sint multa, complexionem corrumpunt cerebri aliquo modo siccitatis, & debilitant ipsum, & commisceut rationem, & adurunt humores, & ægritudines faciunt acutas*, idest febres. Ergo nequeunt illas curare.

§. II.

§. II.

Moderata vigilia confert pro febrium curatione.

RESolvendum, quod si vigilia servet modum, est remedium pro febrium curatione.

Probatur ex Hippocrate *lib. 2. aphor. 3.* qui solùm damnat vigiliam, quæ modum excedit. Et *lib. 3. coac. text. 17. lib. 2. prognost. text. 9.* inquit: *Pessimum non dormire, nec noctu, nec diu.* Ubi sancivit necessitatem moderatæ vigiliæ.

Probatur *secundò*, ex Oribasio *lib. 6. collect. cap. 6.* ubi de vigilia inquit: *Vigilia plenitudinem per alvum digerit; quæ in ventre sunt, minuit; ut per partes infernas exeant, præparat; languorem dissolvit, gravitatem dispensat, resoluta colligit, & robur naturæ, atque animo adjungit; sudores cohibet.* Sed hæc juvant pro febrium curatione: Ergo & vigilia.

Probatur *tertiò*, ex Hippocrate, & Galeno *lib. 6. epidem. comm. 4.* ubi docent, quod vigilia digerit per halitum, dissolvendo tenuem substantiam. Et *lib. 12. Method. & lib. 6. epid. comm. 5.* idem confirmant. Ergo & quod sit utilis in febre.

§. III.

Quid dicendum pro oppositis fundamentis.

AD primò proposita fundamenta respondetur, quod cùm somnus, & vigilia ponantur inter res non naturales, quæ in quadam proportione nos conservant, & si modum excedant, nos corrumpunt: Sic in vigilia immoderata plura subsequuntur incommoda, quæ debent vitari in febribus pro illarum curatione, nempe quod vigilia servet modum pro indigentia curationis; & in illo qui confert, illam proponimus tanquam auxilium pro febrium curatione.

RESOLVTIO SEPTIMA.

Utrum somnus possit prodesse pro febrium curatione.

§. I.

Quid somnus, quotuplex, & pars negativa proponitur.

SOmnus *lib. 2. de causis sympt.* inquit Galenus, quod est refrigeratio primi sensorii. Alter est propriè somnus, seu

A naturalis, qui est reditus spirituum animalium ab instrumentis sensuum & motuum, ad principium, ut tenet Avicenna *fen. 1. 3. tract. 4. cap. 1.* vel est reditus cum profundatione, vel submersione spiritus vitalis ad interiora. De hoc loquuntur Conimbricenses *lib. de somno*, dicentes quod somnus est cessatio naturalis ab operibus voluntatis, ob salutem animalis. Alter est somnus præternaturalis, qui continetur sub cessatione actionum animalium. Tales sunt affe-

B ctus soporosi, ut coma, lethargus, carus, & apoplexia, cataphora, seu subeth. Avicennæ est somnus profundus, à quo æger excitatur, aperit oculos, & respondet, licèt citò in profundum somnum feratur. Lethargus somnus est similis comati, cum febre, & delirio. In caro licèt absit febris, somnus est profundior, æger non respondet, nec oculos aperit, licèt respiratio sit integra. Non loquimur de somnis præternaturalibus, qui omninò morbosi sunt, nec

C ad res nonnaturales pertinent; sed de somno naturali, qui aut modum servare, aut illum non servare habet.

Videtur quod omnis somnus sit inutilis pro febrium curatione. *Primò*, quia si somnus sit diutnus, multa incommoda affert, ideo à natura comparatum fuit, ut somnus fiat noctu, & non debet permitti in die; incoacta enim coctio alimentorum in die non perficitur: fit evaporatio in caput, quod re-

D pletur, & variæ inde fluxiones superveniunt in partes inferiores, ut tenet Galenus *lib. 1. de diebus decretoriis*, & Avicenna *lib. 1. tract. 3.* & Oribasius *6. collect. cap. 4.* Ergo somnus non est utilis pro febrium curatione.

Secundò, Somnus in febribus, quia caput est calefactum, fit levis, plenus imaginationibus, & insomniis, pergit in phrenitidem; & perpetua propensio in febribus ad somnum, damnatur ab Hippocrate. Ergo non est utilis pro febribus curandis.

E *Tertiò*, rara est febris, in qua non lædantur viscera, & in plerisque fiunt viscerum inflammationes. Sed illæ augentur in somno, ex Galeno *lib. 13. Methodi, cap. 21.* & præcipuè somnus in accessionibus nocet, ut docet idem *lib. de humoribus, text. 17.* obruitur enim calor copiâ succorum crassorum, ac noxiorum, suffocaturque; vel natura torpente, accessio prolongatur. Ergo nocet pro febribus curandis somnus.

§. II.

Confert somnus moderatus pro febribus curandis.

Resolvendum quod si somnus in febribus non excedat modum, confert pro illarum curatione.

Probatur: Somnus tempestivus, & moderatus potest afferre commoda pro curandis febribus. Ergo potest conferre ut remedium in illis. Probatur antecedens; instaurat enim vires animales defatigatas per vigilias, & vegetiores reddit, ut iterum suas exequantur operationes, ut docet Galenus *lib.3. de causis pulsuum, cap.9.* & Aristoteles *lib.1. Ethicorum, cap.13.* Tum naturales facultates somnus reddit validiores; per illum enim spiritus ad extra in vigilia sparsi revocantur ad intus, quorum calor coctiones perficit, & sanguificationes, & nutritiones resarcit, ex Aristotele *10. sect. problem.31.* ex Galeno *lib. 6. epid. comm.30. lib.1.de natural. facult. cap.1.* Tum somnus humores perficit, aptosque reddit ad nutriendum, ex eodem *lib.3. de causis pulsuum, cap.9.* Tum corrigit cruditates, ex Galeno *4.acutor.& lib.11. Methodi*. Juvat pro nutritione, ex Aristotele *lib. de somno, cap.1.* novam superaddens substantiam. Vires adauget, ex Galeno *lib. de marasmo, cap. 1.* Tum sedat dolorem, extinguit sitim, & lassitudinem evertit, confert pro excretione excrementorum, præcipuè per insensilem transpirationem: cohibet omnes evacuationes, præter sudorem. Ergo affert plura commoda, conferentia pro febrium curatione.

§. III.

Respondetur pro primò adductis rationibus.

Ad *primum* respondetur, quod Galenus reprobat somnum meridianum: sic & Schola Salernitana inquit: *Si vis vivere sanè, fuge somnum meridianum.* Illum reprobat Galenus *2. acut.* admittit matutinum *4. acut. 95.* & Celsus *lib.2. cap.4.* Consuetudo tamen sæpe facilitat somnum meridianum; licèt Galenus *lib.1.de humoribus, text.18.* consulit mutare hanc consuetudinem. Hippocrates tamen in vigilibus brevem in æstate interdum admittit somnum, præcipuè in debilibus, & extenuatis. Confert consuetis, debilibus præcipuè, & in febri-

A bus utilis experitur. Avicenna *tract.1.de regimine sanitatis*, pro meridiano somno concedit spatium unius horæ, aut duarum: alii admittunt plus temporis, ut coquantur cruditates ex vigilia supervenientes, adhuc in non assuetis, dum non coincidat in febribus somnus cum accessionibus. Concedit Quercetanus *in Diætetic one*, somnum meridianum iis qui aliquo dolore, aut ægritudine impediti de nocte nequeunt acquirere somnum, & iis qui imbecillo laborant ventriculo,

B aut illius coctio difficulter perficitur.

Ad *secundum* respondetur, quod de somno moderatò, & temperato asserimus, quod est utilis in febribus, non de morboso, motumque non servante.

Ad *tertium* respondetur, quod si in febribus sint viscerum inflammationes, somnus laborem facit; sed dum ex omnimoda vigilia majora timentur incommoda, adhuc in illis desideratur moderatus somnus, qui non possit multùm nocere.

C

Resolutio Octava.

Utrum aliqua exercitii differentia sit utilis pro febribus curandis.

§. I.

Quid exercitatio, seu motus, & quotuplex.

Motus, seu exercitatio ponitur inter res non naturales, & ut tenet Perdulcis *lib. 4. sect. 4. cap. 1.* est *Motus*

D *corporis humani, vehemens, voluntaria, cum anhelitu alterato, ad sanitatem tuendam facta.* Est triplex in sua latiori acceptione: Bellica, quæ milites fortes efficit, ex Aristotele *lib. 8. Politicor.* Athletica, quæ incumbit in robustis efficiendis hominibus: Medica, quam diffinivimus, & de qua agimus, quæ ad bonum corporis habitum comparandum, & ad sanitatem tuendam ordinatur. Hanc Herodicus adjunxit Medicinæ, ut tenet Plato *lib.3.de Republica.* Hæc plu-

E res habet differentias, ut tenet Mercurialis, & prosequitur Zacutus *tom. 1. lib.1.* Alia est parva, alia velox, alia tarda, alia multa, quædam fortis, quædam debilis, quædam vehemens, quædam remissa, quædam continua, quædam interrupta, quædam æqualis, quædam inæqualis, & alia ordinata, alia inordinata, alia tota est motus, alia ex quiete & motu completur. Has prosequitur Galenus

lenus *lib. 2. de sanit. tuenda*, *cap.8.* & Avicenna *fen.31. 1. doct.2. cap.2.* De his inquirimus, utrum aliqua exercitatio possit esse remedium pro febribus curandis. De Athletica, & Gymnastica non est nostri instituti agere: plura præcipuè de Gymnastica, summâ eruditione profert Mercurialis in libris de Arte Gymnastica.

§. II.

Quod non sit utilis aliqua exercitatio pro curatione febrium.

Videtur quod non sit aliqua ex usu pro febrium curatione, quia ut testatur Plautus, omnis exercitatio, aut est corporale exercitium, ut luctando, currendo, disputando, literas tradendo; aut non. Si corporale, aut est simplex, aut cum æmulatione simul. Simplex, ut si homo se exerceat vel saltando, vel currendo, vel sine socio. Si cum æmulatione, ut dum homo se exercet cum alio contendendo, quorum alter alterum contendit supplantare, ut contingit in lucta, & variis certaminibus, aut cursibus inter plures. Sed neutra exercitatio, ut ex illis patet, potest esse utilis, nec ex usu in febrientibus. Ergo nec adaptari pro illarum remedio.

Secundò, exercitationes, eo ipso quod sint motus, calefaciunt, quia motus est causa caloris, ex Aristotele *lib. 3. problem.14.* Sed remedia febris debent esse refrigerantia, quæ per se indicantur à febre. Ergo nequit pro febre aliqua esse remedium.

Tertiò, Celsus *lib.1.cap.3.* referens effectus exercitii, seu motus, docet quod calefacit, & exsiccat. Sed hæc opponuntur curationi febris. Ergo nunquam erit utilis pro illius curatione.

§. III.

Quæ utilitates accidant sanis ex motu, seu exercitatione.

Resolvendum *primò*, quod per motum, seu exercitationes plura commoda supervenient sanis corporibus.

Probatur ex Paulo *lib.1.de re Medica, cap. 16.* dicente: *Exercitium est motus vehemens: terminus est respirationis mutatio ad densitudinem: exercitia verò præparant partes instrumentales, ut non facilè offendi possint, & robustas faciunt ad actiones: faciunt etiam alimenti tractionem, & alterationem promptiorem, &* A *nutritionem meliorem, propter exortentem caliditatem: expurgant quoque meatus, & superfluitates evacuant, propter fortem spiritus motum.*

Probatur *secundò*, ex Galeno *lib.2.de sanit.tuenda, cap.2.* ex Avicenna *fen.3.1. doct.2. cap.1.* docente quod ex coctionibus nostri corporis varia resultant excrementa, quæ ob dissimilitudinem nequeunt assimilari partibus, nec ab aliis evacuationibus trudi, nisi per exercitium, per quod completur actio naturæ B expellentis excrementa, quæ retenta valent varios procreare morbos. Ergo exercitium confert commodum pro sanitate.

Probatur *tertiò*: Si assuetum exercitium omittatur, gravissimi superveniunt morbi. Ergo quia illud confert pro sanitate. Probatur antecedens ex Galeno *lib.1.de different. febrium, cap. 2.* Ratio est, quia cùm quies sit causa retentionis excrementorum, ab illis procreantur morbi, coctiones imminuuntur, remittitur naturalis calor, corpus refrigeratur, C torpent operationes. Ergo pro morbis vitandis confert exercitium.

§. IV.

In febribus quale admittatur exercitium, seu motio, ut remedium.

Resolvendum *secundò*, quod exercitium à se in febribus albis convenit pro illarum curatione: In reliquis solùm exercitium ab alio per frictiones, cucurbitulas, ligaturas, & balneationes.

D Probatur de febribus albis ortis ex viscerum obstructionibus, quæ ut communis tenet praxis, nullo alio remedio securiùs curantur, quàm per exercitium, & motum localem factum ab ipsis ægrotantibus.

Probatur *secunda pars*, ex Galeno *lib.2. de sanitate tuenda*, ubi duas ponit exercitationes paratorias, & apotherapenticas, seu moderatas, & vehementes, ex Hippocrate *lib.de Medici officina.* Ha- E bent frictiones vim solvendi, si molles; densandi, si duriores; si multæ, minuunt, incrassant mediocres. Ergo pro iis effectibus utiles sunt in febribus.

Probatur *tertiò*, de balneis, quæ sunt exercitationes ab alio, quorum commoda, & utilitates suprà retulimus, dum de eorum usu disputavimus, & comprobavimus utilitates eorum, ex Galeno *lib.1.de curat. ad Glauc. & de sanit. tuenda.*

Probatur

Probatur *quartò*, de exercitio ab alio in febribus per cucurbitulas, ex commodis ex illarum usu, de quibus infrà.

§. V.

Solvuntur fundamenta opposita primò adducta.

AD *primum* respondetur, quod licèt exercitationes à se non possint exerceri, nisi in febribus ex obstructionibus, in quibus sunt utiles exercitationes; ab alio tamen possunt fieri, & sunt utiles in aliis febribus.

Ad *secundum* respondetur, quod exercitationes à se, magnæque corporis motiones, nequeunt in febribus fieri, nisi in albis febribus; benè tamen leviores ab alio.

Ad *tertium* respondetur, quod Celsus loquitur de exercitationibus violentis, quæ fiunt à se: non tamen prohibet leviores factas ab alio.

RESOLUTIO NONA.

Utrum aliqua quies sit utilis pro curatione febrium.

§. I.

Opinantium variæ sortes: pars negativa suadetur.

HErophilus, & alii cursibus, & luctando admittebant curandas esse febres. Asclepiades, & Erasistratus illis oppositi, in sola quiete ponebant febrium curationem, omnem exercitationum auferentes usum.

Nullam tamen quietem esse utilem pro febribus curandis, suadetur *Primò*, quia Galenus *lib.* 3. *epid. comm.* 3. *text.* 1. tenet quod otium reddit vires debiles; quia omne corpus degens in otio effœminatur. Ergo in febribus vires debilitat.

Secundò, corpus quiescens non consumit corporis superfluas humiditates, ex quo apparet, quod præcipuè in febribus putridis præstat humiditatem, quæ est causa putredinis, ex Hippocrate *lib.* 2. *de diæta*, dicente quod otium humectat. Idem tenet Aristoteles *lib.* 4. *meteor.*

Tertiò, ex Galeno 3. *epidem. comm.* 3. quies est causa putredinis. Et *lib.* 3. *artis medicinalis*, testatur quod otium aufert corpori proprium incrementum: & Aristoteles *lib.* 5. *problemat.* 14. tenet otium oppilare ventrem, & reliquas partes imminuere. Ergo plura affert incommoda, etiam in febribus.

§. II.

Moderata quies utilis est, & necessaria pro febrium curatione.

REsolvendum, quod quies moderata plura confert conducentia pro febrium curatione.

Probatur. Tum ex Hippocrate *lib.* 2. *aphor.* 48. qui docet, quod febres ex lassitudine curantur quiete. Sed in omnibus febribus saltem supervenit lassitudo. Ergo indigent quiete. Tum quia quies reparat vires, levat fessa membra, instaurat spiritus, auget calorem internum, & innatum, laboris levat incommoda, partes humectat aridas, temperat calidas, & curandis morbis est auxilium, ex Hippocrate *lib.* 6. *epidem. sect.* 4. *text.* 16. & tandem moderata reducitur ad causas naturales, quæ nos servare valent. Tum Oribasius *lib.* 6. *collect. cap.* 2. favet dicens: *Quibus decubitus, iis etiam quies, & tranquillitas convenit, ac præcipuè quidem in principiis accessionum, itemque in crementis, & post cibum nuper sumptum: & cùm quid dormire cogit, apta est quies, & tranquillitas.* Tum cunctis necessaria est quies. Ergo utilis est in febribus. Docuit antecedens Deus, de quo inquit sacra Pagina, quod septima die requievit ab opere: idem cecinit Poëta, dicens:

Quod caret alterna quiete, durabile non est.

Nec minùs confirmat, quod communiter profertur:

Otia corpus alunt, fessaque membra levant.

Ergo cunctis est necessaria quies, & præcipuè ex febrium laboribus oppressis.

§. III.

Traditur solutio pro oppositis rationibus.

AD rationes primò adductas respondetur, quod Authores, & rationes oppositæ solùm probant, quod immoderata quies plura affert incommoda pro salute humana; non tamen, quod moderata quies non sit utilis, immò necessaria non solùm ad resarcienda damna ex nostris communibus laboribus subsequuta; sed præcipuè pro instaurandis viribus ex febribus collapsis.

RESOLU

Resolutio Decima.

Utrum quæ excernuntur, & retinentur, sint ex usu pro febrium curatione.

§. I.

Proponuntur excrementorum differentiæ aliquæ: suadetur pars affirmativa.

A

Excreta, & retenta inter res non naturales utilia sunt, si modum servent; sin minùs, nimis nocere possunt. B Dicuntur excreta, sive excrementa, substantiæ quæ intra corpus nequeunt per nutritionem debitè assimilari. Fit assimilatio, seu nutritio ex alimento debitè concocto. Fugit coctionem, si copiosiùs, vitiosumve sit, aut error in absumendo committatur. Peccat in quanto, utendi modo, & tempore. Peccat in qualitate, si copiâ nimiâ potus obruatur; non enim clauditur ventriculus, exhalat calor, generantur cruditates, repletur vaporibus cerebrum: hinc varia fiunt fluxionis genera. C In universo corpore excrementa fiunt varia, alia utilia ratione finis, ut semen, & lac: alia omninò inutilia, ut fæces, urina, sordes, sudores, lacrymæ, sputa, muci, lochia, quæ sunt communiora omnium regionum repurgamenta, & omnia excerni petunt. Alia peccant à tota substantia, ut vermes, & lapides; vel qualitate, vel quantitate. Quæ peccant qualitate, variis modis, aut per primas qualitates, calore, frigo- D re, siccitate, & humiditate; vel sine odore, vel cum fœtore, vel per alias qualitates, secundas, aut tertias, aut à tota substantia venenosas, aut pestilentes. Peccant excrementa quantitate; quæ enim in corpore sunt juxta proportionem quantitatis, si in minori, aut majori evacuantur, fiunt læsiones in eis quæ retinentur, aut evacuantur, de quibus præcipuè agimus.

Videtur quod in febribus præcipuè putridis, omnis evacuatio sit semper se- E cundùm naturam, & remedium pro febribus curandis; quia omnes excretiones sunt evacuationes excrementorum, à quibus febres fiunt, aut foventur. Ergo sunt remedium pro illis. Patet consequentia, quia sicut sanguinis missio, & purgatio dicuntur remedia magna febrium, quia evacuant illarum majorem causam, simili modo reliquæ evacuationes erunt utiles.

Secundò: Retentio evacuationis etiam apparet utilis in febribus putridis, quia natura retinet humores ad illos concoquendos, & assimilandos; vel ut servet materiam ad unam criticam evacuationem. Ergo talis retentio utilis est pro febrium curatione.

§. II.

Retenta, & excreta, quæ excedunt in modo, & tempore, nocent in febribus.

Resolvendum, quod pro febrium curatione maximè nocent excreta, si retinentur, aut evacuantur ultra modum, & tempus debitum.

Probatur *primò:* Excrementa, quæ retinentur in febribus, augent causam morbificam; quæ expelluntur ultra modum, aut tempus, debilitant vires, per quas curanda est febris. Ergo tam retentio, quàm nimia expulsio nocet pro febrium curatione.

Probatur *secundò*, quia cùm continuà indigeamus, etiam in febribus, cibi exhibitione & potus, quæ omninò assimilari nequeunt, necessariò resultant excrementa in omnibus corporis regionibus, ut docet Galenus *lib.* 1. *de sanit. tuenda, cap.* 11. *lib.* 1. *de usu part. cap.* 1. Resultant enim ex prima coctione in ventriculo, varia excrementa, quæ si non expellantur, varia accidentia pariunt: fit enim inappetentia, collectio pravorum succorum, rugitus, flatus, gravitas intestinorum, nausea, ventriculi, & capitis gravitas, intestinorum perturbationes, ventris fluctuationes. Si verò quid excernitur naturæ conatu, quod non potuit ab inutili secerni, symptomaticæ fiunt excretiones; & si immiscentur illis aliæ substantiæ aquosæ, fiunt spumosæ, chylosæ, biliosæ. Ab iis retentis varia etiam superveniunt symptomata, ventriculi appetitum dejiciunt, afferunt vertigines, capitis dolores, nauseam patiunt, urinæ stillicidium, vesicæ compressionem, colicos dolores. Ergo pro iis vitandis in febribus, & securiori eorum curatione, juvat excrementorum depositio.

Tum excrementa retenta secundæ regionis, & immodicè exeuntia, pravos causant morbos. Sæpe ab iis urina supprimitur ante descensum in vesicam, & funditur in ventris cavitatem, & facit hydropem; aut miscentur cum sanguine, & impediunt nutritionem; vel facit pru-

ritum sic retenta, aut scabiem, aut multos sudores; vel in vessicam delapsa retinetur, & cruciatus efficit, & sæpe mortem; aut fiunt ischuriæ, dysuriæ, stranguriæ, aut diabetes, & alia similia.

Tum si bilis flava non repurgetur in vessiculam falleam, refluit ad jecur, & in venam cavam, unde fit morbus regius: si putrescat, fiunt febres biliosæ: si separetur à consortio aliorum humorum, fiunt erisypelata, herpetes, aut biliosæ pustulæ: si confluat in caput, fiunt deliria: si in ventriculum, intensa sitis exuritur, & cardiaci dolores. Sic ex retenta melancholia fiunt varii melancholici morbi.

Tum de tertiæ regionis retentis excrementis, ut ex semine, & lacte, varia fiunt symptomata, relata à Galeno *lib.6. de locis affect.* ab Aristotele *lib.1. de generat. animal. cap.* 18. Præcipuè verò ex profluvio fuliginum retento variæ fiunt febres, variæ repentinæ exsolutiones, & diaphoretici sudores. Ergo & nimia retentio, & excretio possunt pro febribus, & earum curatione nocere.

§. III.

Proponuntur solutiones argumentorum.

AD *primum* respondetur, quod licèt in putridis febribus fierent omnes evacuationes ex causa morbifica, si excedant in tempore, in modo, in quantitate, aut vires resolvant, impediunt febrium curationem; ideo Galenus docuit, quos, quibus, & quando expedit evacuare: nam cuilibet evacuationi annexus est casus virtutum, ad quarum conservationem attendendum.

Ad *secundum* respondetur, quod aliud est loqui de evacuatione causæ morbi; aliud de excretis: & in utraque requiritur modus, occasio, tempus, & quantitas, ut serventur vires.

Resolutio Undecima.

Utrum animi passiones possint conducere ad febrium curationem.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi pro illis.

T*Omo* 3. *promptuario* 21. latiùs egimus de animæ passionibus. Triplicem appetitum nobis condonavit natura, quorum actiones constituit in vitæ conservationem: naturalem; rationalem,

A seu voluntatem; & appetitum sensitivum. Naturalis naturali omni enti est communis; sensitivus sentientibus, animalibus, & homini est communis; rationalis, seu voluntas, hominibus est proprius, & ejus actus suo modo proportionantur actibus appetitus sensitivi: ii dicuntur animi pathemata, animi passiones, seu perturbationes. Dividitur sensitivus appetitus in concupiscibilem, & irascibilem. Sub appetitu concupiscibili sunt hæ passiones, amor, desiderium, B gaudium, odium, fuga, tristitia. Sub appetitu irascibili sunt spes, desperatio, timor, audacia, ira. In omnibus iis passionibus reperitur passio pro formali, quæ est actus appetitus; & passio pro materiali, quæ est quædam commotio sanguinis, & spirituum in varias partes, prout expedit pro fine passionis consequendo. Horum commotio, aut perturbatio moderata, in conservationem hominis cedit, quæ excedens, & nimia, perturbatio fit, quæ & morbos valet C creare, & vitam auferre: ideo hæ passiones ponuntur inter res non naturales; & ideo de illis inquirimus, utrum aliquando in febribus possint esse utiles pro illarum curatione.

Videtur quod omnes passiones animæ semper debent esse utiles pro febribus curandis. Nam omnes sunt naturales operationes appetitus, & actus appetitus, per quos naturaliter tendit ad prosequutionem proprii objecti, prosequendo quod est utile, & fugiendo quod est inutile. Ergo per has naturales actiones D non impeditur curatio.

§. II.

Quid sentiendum pro proposita dubitatione.

RE solvendum, quod licèt passiones animæ pro formali non obstent curationi febrium, possunt tamen obstare passiones animæ pro materiali, si magnæ, aut vehementes sint.

Probatur. Tum præcipuè in febribus E putridis, quia cùm passiones animæ pro materiali sint quædam commotiones spirituum, & humorum; & coctio desideret quietem, illam impediunt, & obstant curationi. Tum quia animi pathemata pro materiali sunt quædam conturbationes dictæ, quia commovent & perturbant humores, & consequenter vires interturbant & impediunt in suis operationibus requisitis ad curationem in omni febre.

Tum,

Tum, quia vehementes animæ passiones, seu perturbationes, mortes valent causare. Ergo & commotiones impedientes curationes febrium. Patet antecedens latè à nobis *tom.4. de vita & morte*, *sect.* 5. per plures Resolutiones, in quibus traditur causa, & referuntur repentinæ mortes in animæ passionibus: in ira, ex Zacuto *tom.* 1. *lib.* 2. *hist.* 13. ex Galeno *in hist. de servo barbaro*: ex Valerio, Langio & Tulpio: de gaudio autem & risu, ex Hildando, Zacuto, Leontio, & aliis.

§. III.

Solvitur ratio dubitandi primò addacta.

AD rationem dubitandi respondetur, quod passiones animæ pro formali, licèt non impediant curationem per se, possunt tamen ob adjuncta animi pathemata pro materiali, quæ illas concomitantur. Posita enim passione animæ pro formali, juxta indigentiam, ad ejus consequutionem variæ fiunt commotiones in corpore, per quas sanguis, & spiritus maximè agitantur, & moventur, modo quo diximus *tom.* 4. agentes de animi passionibus, à quibus fiunt mortes repentinæ, & à quibus febres solent intendi, & causari. In timore enim in principio sanguis, & spiritus moventur ad interiora cordis, & partes externæ infrigidantur. In ira fit sanguinis effervescentia circa cor, & sæpè contrariæ fiunt motiones. In verecundia primò ad interna, posteà ad partes externas fit commotio. In mœstitia fit paulatim motus magnitudine, & vehementiâ, ita ut aliqui ab illa pereant, suffocato calore ex vehementi confluxu in cor. In gaudio plerique pereunt spiritibus dispersis, & extra missis, & resolutis. In dolore laborantes fiunt decolores, conviciantur torminum vigore, tremunt, & exsolvuntur. Ergo si in febribus immoderatæ hæ fiant animæ passiones, lædent operationes, & obstabunt febrium curationibus.

SECTIO IV.

De remediis pro febribus, desumptis ex Diætetica Medicinæ parte.

DE usu rerum non naturalium in febribus disputàvimus antecedenter, ex quibus licèt primò se offerat alimentum, ejus disputationes distulimus in hanc sectionem, quia ulteriorem exigit tractationem. Ejus necessitatem instituit sagax natura in sanis, & ægris ad instaurandam continuam partium resolutionem. Est cibus, seu alimentum, quod nostrum corpus valet nutrire. Hippocrates *lib. de alimento*, docet quod est triplex alimentum: quod actu nutrit, & est repositum: quasi alimentum, quod aptum, seu proximum est nutrire, ut sanguis: & futurum alimentum, quod B aptum est per coctionem transire in verum alimentum, ut panis, & caro. Horum aliud dicitur nutrimentosum, aliud simul nutrimentosum, & medicamentosum, quia simul medicamenti gerit vices. Gens prisca mortalium vario modo usa fuit alimento, cogente necessitate ad usum illius. Primum genus hominum, inquit Bruyerus, habitabat in sylvis, & nemoribus, pro domibus speluncas habebant, pro victu utebantur eo, quem glandiferæ arbores offerebant. C Transitum fecerunt ab hac rustica vita ad pastoritiam, deprehendentes sylvestria animalia, & ipsa mansuefacientes, & ex illis, præcipuè ex ovibus, & victum, & vestem consequuti sunt ex lacte, caseo, butyro, carnibus & pellibus. In posterum homines pro victu ampliando transitum fecerunt ad agriculturam, in qua ex variis seminum generibus varia adaptarunt alimenta. In urbanam vitam tandem devenerunt ex variis fructibus, & herbis, ex variis D seminibus, & culturis in melius transmutatis; ex variis ferarum, volatilium, & piscium capturis varia, & urbaniora alimenta consequuti sunt. Tandem per luxum devenerunt in varia gulæ vitia, quæ pepererunt morborum varia genera, tum ob indebitum usum, tum ob ignoratas vires alimentorum, quæ quia medicamentosa, nos vario modo valent alterare: in horum correctione Medicina Diætetica incumbit, nosque disputamus de debito alimentorum usu in E febribus.

RESOLUTIO PRIMA.

Utrum aliqua diæta, usus ve ciborum, sit præscribendus pro febribus curandis.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & pars negativa.

Alimentum, aut alimentosum tantùm, aut simul medicamentosum est. Ut alimentum, omni tempore necessarium est pro partium, quæ resolvuntur, instauratione: quod alimentosum, maximè pro morborum, & febrium curatione: iis opponitur quod frigidum, & humidum, de quo inquirimus, an determinata aliqua methodo petat exhiberi, ut sit utile prò febribus curandis. In Secta Dogmaticorum consideratur illius substantia, quantitas, qualitas, ordo, tempus exhibendi, ex quibus quædam sit observanda methodus, de qua dubitamus, an sit necessaria.

Videtur quod nulla diætetica methodus sit ex usu pro febrium curatione, quia in reliquis Medicinæ Sectis, præter Rationalem, usus alimentorum præscribitur sine omni methodo: Ergo quia nec inter Dogmaticos est necessaria. Probatur antecedens. Empirici cibum offerebant, non quia tale, sed quia simile ab aliis oblatum apparebat esse ex usu. Methodici non attendentes ad qualitatem, quantitatem, aut occasionem, quodlibet offerebant, ea tantùm ratione, quia laxandi, aut adstringendi vim habebant. Spagyrici, seu Paracelsistici, nullam quærunt methodum in usu medicamentosi alimenti, solùm insistentes in usu salis, sulphuris, & mercurii, per quæ similes contendunt curare morbos. Vanhelmont in suo specifico imaginario persistens, parum est solicitus de aliis inquirendis remediis pro febribus curandis, licèt *lib. de febribus, cap.* 11. pro cibo in febribus abstinens à carnosis cibis, in potu vini se immergat, permittens febrientes inebriari, nihilque referre pro febribus curandis affirmat, an offeratur calidum, an frigidum alimentum; nec an servetur methodus in illius usu pro febribus.

Secundò Podalirus, & Machaon, vetustissimi, & præclarissimi Professores Medicinæ, nullam constat servasse methodum in diæta ægrotantium. Ergo quia non est necessaria.

Tertiò, Hippocrates 2. *aphor.* 38. cibum magis gratum docet ægris præscribendum, sine alia methodo: & *lib. de veteri Medicina*, docet cibum eligendum juxta gustum ægrotantis: Ergo sine alia methodo.

Quartò, bruta liberantur à morbis usu cibi assueti, sine methodo & varietate. Ergo & homines in febribus.

Quintò, Hippocrates *lib.* 1. *de victu acutor. & lib.6. epid.* & aliis in locis docet, naturam doctam sine doctore proprias perficere operationes, & ideo apud veteres occulta fuit hæc Medicinæ pars, & sine illa plures barbari consequuntur sanitatem. Ergo frustra adhibetur à Dogmaticis.

§. II.

Pars affirmativa proponitur, sancitur, & fulcitur.

Resolvendum, quod pars Diætetica, Medicinæ Rationalis, morbis curandis, præcipuè febribus, est utilis, & necessaria, tanquam præstantissimum remedium illarum. Sic sancivit Hippocrates, latissimè demonstravit Galenus, & ut refert Bruyerus, recepit omnis cœtus Dogmaticorum juniorum, & ex veteribus Oribasius, Paulus, Aëtius, Actuarius, Theophrastus, Glaucus, Locrus, Mithecus, Dionysius, Heraclides, Agis, Penetos, Ægidius, Erasistratus, Euthydemus, Crito, Hegisidus, Stephanus, Architas, Acescias, Diocles, Philiston, Herodotus, Licius, Linceus, & Samius, quorum alii de oleribus, alii de piscibus, alii de carnibus tradiderunt plura, sicut plures ex recentioribus.

Probatur *primò* ex Hippocrate, qui *lib. de vetusta Medicina*, inquit: *Nihil Medicinâ opus erat ægrotis hominibus, si eadem diæta uterentur, & assumerent quæ sani edunt, & bibunt. Probè etiam nosse oportet, quibus sorbitiones in morbis non conducunt; nam statim ubi hæc fecerint, exacerbantur ipsis febres ac dolores, & manifestum fit, quod oblatum modò quidem alimentum, ac incrementum præbet, corpori verò tabes & infirmitas.* Ergo ex Hippocrate, authoritate, ratione, & experientiâ convincitur, quod pro curatione febrium necessaria est methodus diætetica.

Probatur *secundò* ex Galeno, præcipuè

puè *in lib. de aliment. facult. & de cibis boni, & mali succi*, in quibus demonstrat ciborum facultates, illorum substantias utiles, aut inutiles, in quibus anni temporibus, pro quibus subjectis, aut ætatibus, pro quibus morbis, & qualis sit debita diæta in illis. Ergo satis patet hujus necessitas.

Probatur *tertiò*. Observat humana ratio, quod pro omnibus viventibus conservandis requiritur propriorum alimentorum electio. Ergo in homine potiori jure, præcipuè in febribus, pro illis exhibendis, methodus est servanda. Probatur antecedens ex communi usu diversorum alimentorum, quæ & ipsa bruta eligunt in sanitate; & ex pluribus aliis, quibus ex naturali instinctu utuntur in suis morbis. Tum pro arborum nutrimento patet, & pro diversis consequendis, & conservandis fructibus, quod diversæ terrarum differentiæ aliæ prosunt, aliæ sunt obstaculum, & pro arborum conservatione, & pro fructuum productione, aut maturatione; in aliis enim crescunt, arescunt in aliis. Ergo in hominibus idem observandum, quia alii aliis utuntur cibis, aliorum varia est ciborum consuetudo, aliorum diversa simpathia, aut antipathia, cum diversis alimentis; & in ipsis morbis varia sunt tempora, in quibus nocent, aut prosunt; variæ occasiones, in quibus virium lapsus exigit cibum, quem aliàs repuerent accessiones.

§. III.

Respondetur pro rationibus primò traditis.

AD *primum* respondetur, quod variæ Medicinæ Sectæ, sicut differunt in principiis, similiter in inveniendis modis utendi illis. Rationalis autem Medicina, quæ ratione, & methodo rationali constituitur, ratione, & usu adinvenit, quod morbi fiunt, & oppugnantur per alimenta, & quod sicut indebitus illorum usus morbos procreat, ita debitus, & methodicus illos curat.

Ad *secundum* respondet Gorrheus, quod veteres, quia in nimia continebantur diæta, nullis vexabantur morbis ex indebito cibi usu; & ideo ad eos vitandos aut curandos, nulla Medicorum fuit adhibita methodica victus ratio, donec ob indebitum usum fuit necessaria.

Ad *tertium* respondetur, quod Hippocrates tradidit ciborum methodicam diætam, & inter præscriptum usum illorum superaddit quod præcipuè permittendus cibus gustui gratus, & assuetus, qui ab idea admittitur; & ideo faciliùs coquitur.

Ad *quartum* respondetur, quod bruta pro morbis sæpe abstinent se à cibis communique alimentorum usu: sæpe ex naturali instinctu, alia alimenta quærunt. Nec ab irrationalibus rationales homines, licèt aliqua imitentur, debent metiri suas actiones, quæ intellectuali potentiâ regulantur.

Ad *quintum* respondetur quod Hippocrates docet, quod pro instinctu plura consequantur homines, sicut bruta: non tamen negat, quod ultra illum homo per superiores potentias potentiores, elevatioresque consequatur operationes.

Resolutio Secunda.

Utrum in febribus eligenda hora cibandi pro illarum curatione.

§. I.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

VIdetur quod non. *Primò*, quia usus utendi alimento adhuc inter sanos non fuit uniformis, nec in determinatis horis. Ergo minùs potest præscribi in laborantibus febre. Probatur antecedens. Tum; nam apud Hebræos pro prandio alii eligebant circa solis occasum, alii circa horam undecimam, alii circa duodecimam. Tum ex Græcis alii diluculo, alii meridie, alii sub vesperam, alii meridie, & vesperi. Tum ex Romanis alii solùm vesperi utebantur cibo, alii bis in die. Tum Persæ semel in die comedebant juxta meridiem: & inter nostros, alii semel in die, noctu, aut meridiei alii tribus vicibus, mane, in meridie, & noctu: alii simul in vespere. Ergo nulla à sanis fuit observata uniformis prandendi hora.

Secundò, si aliqua cibandi hora esset vitanda in febribus, maximè in accessionibus: Sed illæ cogunt ad cibi exhibitionem; Galenus enim in picrocholis consulit cibi exhibitionem in illis, præcipuè in earum principio: Ergo nulla certa hora datur in febribus præscribendi cibum.

Tertiò, virium conservatio, quæ perficitur per cibi exhibitionem, præstantior & urgentior est reliquis indicatio-

nibus desumptis à febre: Sed nulla est hora, in qua non possint urgere vires ad cibi exhibitionem. Ergo nulla potest desumi à febre determinata ratio abstinendi ab illo.

§. II.

Non expedit in quovis morbi tempore exhibere cibum.

RESolvendum *primò*, quod in febribus non sine præmeditatione & methodo est offerendus cibus.

Probatur. Tum ex Hippocrate *lib.* 1. *Epidem.sect.*2. *in histor. filia Philonis*, de qua inquit, quod quia septima die intempestivè cœnavit, mortua est. Tum Pindarus inquit, *Opportunitas rei omnis habet caput.* Tum quia ut cecinit Ovidius:

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt;
Et data non apto tempore vina nocent.

§. III.

In accessionibus de cura regulari abstinendum à cibo.

RESolvendum *secundò*, quod paulò ante accessionem, in febribus, in principio, & vigore, abstinendum ab exhibitione cibi, ex Hippocrate.

Probatur. Tum ex Hippocrate 1. *aphor.*11. dicente: *In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocivum est: & quibus per circuitum accessiones fiunt, in ipsa accessione abstinere oportet.* Et *sententia* 19. *sequenti*, inquit: *Hi qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, nec cogere, sed subtrahere adjectioni ante judicationes.* Tum, quia Hippocrates 4.*acutor.* refert damna, quæ subsequuntur ex cibi exhibitione in paroxysmo: suffocatur enim calor à morbi causa, quæ in præcordia truditur in paroxysmo, & à cibo obtunditur. Præterea producitur accessio, quia per coctionem distrahitur natura à coctione causæ morbificæ, ab elaboratione, & exclusione. Præterea ex non resolutis causæ morbificæ reliquiis, aggregantur excrementa ex quibus varia subsequuntur symptomata. Tum idem confirmat Hippocrates *lib. de loc. in homine*, dicens: *Febrienti cibum ne offeras.* Sed si quando cogat necessitas, seu virium resolutio, in remissione febris utendum sorbitionibus, ex eodem, *lib. de affecti-*

A *bus, text.* 141. ubi inquit: *Si febrilis calor apprehenderit, & dimiserit; gravitas autem corporis ipsum detinuerit, hunc donec calor quidem tenuerit, sorbitionibus, & potibus curato; cùm autem non tenuerit, etiam cibos dato.*

§. IV.

Sanitatis consuetudo servanda, si non impediant accessiones.

B RESolvendum *tertiò*, quod si non obstant accessiones consuetudini, standum in cibo offerendo in febribus.

Probatur. Tum ex magna consuetudinis potestate; sit enim alia natura, & Hippocrates 2.*aphor.*49. inquit: *Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles aut senes, non consuetis fortibus atque juvenibus facilius ferunt.* Et in subsequente textu 50. superaddit: *Quæ ex longo tempore consueta sunt, insuetis minùs molestare solent.* Et *lib.*2. *de victus*

C *ratione in acutis*, *sententia* 21. & 22. idem confirmat, dicens: *Atqui facile est hoc addiscere, quod simplex victus cibi, ac potus, ipse sibi ipsi semper similis, securior omninò est ad sanitatem, quàm si quis repentè ad alium meliorem magnam mutationem faciat; nam & iis, qui bis in die cibum sumunt, & his, qui semel, repentinæ mutationes, noxa, & ægritudines inducunt: & eos sanè, qui prandere non adsueti sunt, statim infirmos facit hoc, & toto corpore graves, & debiles, & pigros.*

D Tum Ælianus *lib.*5.*varia historia*, idem confirmat, damnans mutationis cibationum, dum inquit: *Tachus Ægyptius, donec usus est vernaculo victu, & frugaliter vixit, omnium hominum fuit sanissimus; postquam verò ad Persas venit, & in illorum luxum delapsus est, cùm non posset ferre insolentiam ciborum, vitam in dysenteriam transegit, & luxuriam cum morte commutavit.* Ex quibus apparet, quanta sit vis consuetudinis in modo sumendi victum. Tum ciborum venenositas per consuetudinem fit pro cibo uti-

E lis, ut apparuit in Mithridate Rege, qui assuetus veneno, non potuit consequi quod ab illo interficeretur: nec anus Atheniensis ex usu cicutæ, ut fatetur Galenus, & Æthiopum gens assueta pro victu aspidibus, ex eis nutriri consequuntur. Ergo & febrientes uti cibo petunt in horis pro valetudine assuetis, nisi obstet urgentior indicatio. Tum comprobat consuetudo cibandi in sanis, quæ licèt pluribus sit diversa, unaquæ-

que

que tamen utilis, & grata pro illis, quibus non obstat. Ergo & pro febrientibus, in quibus ab accessionibus non impeditur.

§. V.

Solvuntur rationes dubitandi primò adducta.

AD *primam* respondetur, quod in sanis non impeditur hora sumendi cibum, nisi ab urbanis occupationibus, & juxta illas liberum est unicuique horas variare, & præscribere: in febribus verò impeditur, ob accessiones, & accidentia, debita hora cibandi; & ideo Medica methodus præscribitur juxta utilitatem ægrotantis.

Ad *secundam* respondetur, quod Galenus *lib.* 10. *methodi, cap.* 3. in picrocholis, & febribus ustivis, in ipsa accessione offert cibum, quia in picrocholis per illum obtunditur acrimonia in febribus ustivis, quia accessiones non declinant, donec à cibo, & potu utilibus ustivus calor remittatur: quod confirmat Avicenna *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 8. superaddens: *Et de corporibus sunt corpora cholerica, qua requirunt regimen diversum ab illo quod diximus, & propriè quando sunt consueta commixtioni plurima; ipsa enim quando non cibantur, etiam in ipso principio febris, immò in hora, qua est pravior, ea & est hora status, cum ipsi debilioris sunt virtutis, & supervenit eis syncopis, & moriuntur in paroxysmo; & si sunt fortium virtutum, cadunt in extenuationem, &c.*

Ad *tertium* respondetur, quod ut apparet ex dictis, si timetur syncopis, aut virium lapsus, urgentior est illa indicatio, quæ sumitur à viribus; & ideo contemnenda sunt damna proposita, quæ sequuntur ex cibi exhibitione in accessione, ut vitemus syncopen, aut mortem, quæ timeri deberent, si cibus non offeratur in illa urgentia.

RESOLUTIO TERTIA.

Utrum victus tenuis sit utilis pro febrium curatione.

§. I.

Quotuplex sit victus: suadetur pars negativa.

FEbrium, sicut & aliorum morborum, plures sunt differentiæ. Aliæ sunt chronicæ, quæ extenduntur ultrà quadragesimum diem: Aliæ acutæ ex decidentia, quæ perveniunt ad diem quadragesimum: Aliæ simpliciter acutæ, quæ perveniunt usque ad diem vigesimum: Aliæ exactè peracutæ, quæ durant usque ad diem decimumquartum: Aliæ peracutæ simpliciter, quæ terminantur die septima: Aliæ exactè peracutæ, quæ perveniunt in diem quartum. Juxta has differentias præscribuntur febribus variæ etiam ciborum differentiæ, quæ vario modo solent sumi. Unde *lib. de veteri Medicina*, ex Hippocrate dicitur cibus plenus, seu crassus, qui comeditur; tenuis, qui sorbetur; tenuissimus, qui potatur; extremè tenuissimus, est nihil dare. Alii cum Galeno 1. *aphor.* 4. cui assentitur Avicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. aliter dividunt victum, in plenum, qui vires reddit robustiores, quàm erant antea, qualis est victus sanorum: in victum modicum, qui vires conservat, non auget: in victum tenuem, qui vires moderatè debilitatas conservat. Victus tenuis dividitur in simplicem tenuem, qualis est ptisanæ cremor; in tenuissimum, qualis est mulsa; in extremè tenuissimum, qualis est aliquid melicrati exhibere, vel nihil dare de victu hoc tenui. Inquirimus an possit esse utilis pro febribus curandis?

Videtur, quod semper convenit victus plenus in omni febre. Tum *primò*, quia Hippocrates 1. *aphor.* 4. id docuit, dicens: *Victus tenuis & exquisitus, in morbis quidem longis semper; in acutis verò, in quibus non convenit, periculosus: & rursus qui ad extremum pervenit tenuitatis, gravis est; nam & repletiones, qua ad extremum deveniunt, periculosa.* Ubi in omni morbo damnat victum tenuem.

Tum secundò, *lib.* 1. *aphor.* 5. idem docet, dicens: *In tenui victu agri delinquunt, quo fit ut magis ladantur; quicumque enim error committitur, major in hoc fit, quàm in paulò pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde tenuis constitutus, & exquisitus victus; quoniam errores graviùs ferunt: ob hoc quidem tenuis, atque admodum exquisitus, eo qui sit paulò plenior, magis periculosus existit.*

Tertiò, ille victus requiritur pro febrium curatione, cum quo integrè possint conservari vires, quia virium conservatio per accidens est morbi medela. Sed victus plenus est, qui vires conservare, & augere valet, ut diximus ex Hippocrate.

pocrate. Ergo in omni febre est præferendus pro illarum conservatione.

Quartò, ut colligitur ex Hippocrate *lib. de diæta*, & docuit Galenus *lib. 2. de dieb. decretor. cap.* 10. & nos ex illis deduximus, febrium variæ sunt differentiæ: Sed juxta suas differentias varium petunt victum: Ergo non omnes exigunt victum tenuem.

§. II.

Victus tenuis qualiter utilis pro omni febre.

Resolvendum, quod victus tenuis, si vires possint perdurare usque ad morbi vigorem cum illo, præferendus; sin minùs plenus.

Probatur; nam licèt sumpta indicatione à viribus in omni febre indicetur victus plenus, per quem petunt integræ conservari: sed sunt plura quæ impediunt ejus usum. Ergo cogit necessitas in illis pervenire ad victum tenuem, qui non impeditur omninò. Probatur minor. Tum quia plerisque in febribus viscera accenduntur, & impeditur pleni victus perfecta coctio. Tum quia Hippocrates *lib. 2. aphor.* 10. inquit: *Corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lædes.* Ex quo apparet, impura febricitantium corpora non plenè esse nutrienda. Tum Hippocrates 7. *aphor.* 65. inquit: *Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic laboranti morbus.* Tum 1. *aphor.* 7. ait: *Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum.* Tum quia febris putrida petit causæ morbificæ coctionem, quæ distrahitur per victum crassum, à quo impeditur à coctione humorum. Tum quia Hippocrates 1. *aphor.* 8. tenet, quod febris ob suum vigorem, tenuem victum exigit. Galenus tenet, quod ne distrahatur calor à coctione: Ergo ob hæc in febribus non expedit victus crassus.

Dices, quod victus debet præscribi, sive tenuis, sive plenus, comparativè ad febris durationem; docet enim Hippocrates, quod debet offerri ille, *cum quo virtus possit perdurare usque ad morbi vigorem.* Medicus in principio non potest consequi qualis sit febris duratio, & ideo nec victum eligere ut tenuem, aut ut crassum.

Respondetur, quod ipse Hippocrates tradidit principia ex quibus id cognoscatur, dicens: *Quod accessiones, & con-*

A *stitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & successiva incrementa.*

§. III.

Solvuntur rationes primò proposita.

Ad *primam* respondetur, quod cùm victus indicetur propter virium conservationem, & tenuis nequeat illas conservare pro morbis longis; ideo Hippocrates docet, in illis non esse utendum tenui victu, nec in acutis, si urgentior sit indicatio conservandi vires,
B supra reliqua contraindicantia; & tunc præcipuè vitandus, qui ita extremè tenuis est, cum quo vires nequeunt subsistere, nec vita.

Ad *secundam* respondetur, quod cùm victus petat præscribi, qui sufficit ad conservandas vires usque ad morbi vigorem, ex Hippocrate conjectari oportet, an virtus possit pervenire ad morbi vigorem: & in hac conjectura 1. *aphor.* 5. docet quod magis delinquitur, si error
C sit in exhibitione victus nimis tenuis, quàm plenioris; quia ex plenioris errore potest morbus augeri, ex errore tenuioris possunt deficere vires, & vita: & in sanis etiam minor est error in pleniori, quàm in tenuiori victu; quia est indicatus, & sunt pauciora quæ obstent, quàm in tenui, per quem vires imminuuntur.

Ad *tertiam* respondetur, quod probat argumentum, quod à viribus semper in-
D dicatur victus plenus; non tamen quod non possint esse aliqua contraindicantia, quæ cogant transire ad usum victus tenuioris.

Ad *quartum* respondetur, quod sicut febres varias habent constitutiones, & durationes: sic victus varias habet alendi vires: crassus illas conservat, & auget: tenuis illas minuit; & ideo crassus præstantior, dum non impeditur illius usus.

E
Resolutio Quarta.

Utrum aqua instillatitia carnium sit utilis pro febrium curatione.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi: fulcitur pars negativa.

Aquæ instillatitiæ sunt quæ ignis vi instillantur; aliæ ad sanitatem, & vitam comparatæ; aliæ ad voluptatem,

& ornatum, ut tenet Perdulcis: aliæ sunt simplices, quæ ex uno medicamento eliciuntur; aliæ compositæ, quæ fiunt ex pluribus. Ex simplicibus aliæ refrigerant, aliæ calefaciunt: refrigerant destillatæ ex rebus frigidis, ex eodem, ut aqua cichorii, endiviæ, oxalidis, graminis, rosarum, plantaginis, violariæ, portulacæ, nenupharis, solani, lactucæ. Calefaciunt sine manifesto calore, aquæ absinthii, menthæ; & harum aliæ pro liene, aliæ pro jecore, aliæ pro aliis adaptantur partibus. Pro carnibus, & viribus recuperandis in febribus, fiunt aquæ instillatitiæ, aliæ ex solis carnibus simplices, aliæ compositæ ex carnibus, & aliis attemperantibus simul commixtis, & contemperantibus, ac renutrientibus.

Pro febrium curatione is victus primò intenditur, qui bonum præstet succum, & non habeat manifestum excessum crassitudinis, aut tenuitatis. Sic viribus permittentibus, coctionemque perficientibus, eligimus alimenta boni succi, bonum sanguinem generantia, qualis est optimus panis, caro avium, arietina, vitellina: sed dum calor concoquens impeditus est, pro horum coctione cogimur descendere ad victum tenuiorem, qualia sunt ova, jus pulli, aut gallinæ, vinum album, poma, testes pedestrium, jura carnium, carnes maceratæ, illarum succus, vel aqua instillatitia carnium tantùm, vel simul aliarum herbarum humectantium, & refrigerantium: & de hoc tenui victu, aqueáve substantia carnium instillata inquirimus, an possit esse remedium, utiléve alimentum, licèt tenue, pro febribus curandis.

Aquam hanc instillatitiam vocant alii destillatum restaurans. Dum fit ex carnibus, solet fieri instillatio ex herbis, floribus, fructibus, radicibus, liquoribus: præcipuè ut restaurans, pluribus modis describitur ab Huvecheiro in antidotario. Fit ex jure capi, & herbis, pulveribusque attemperantibus, ex aquis cordialibus, cum carne cruda caponis macerata in lacte, & carne alterius caponis. Extrahatur liquor in diplomate, qui solet colari per manicam Hippocratis, cum succo limonum, & aquis cardui, & nenupharis, ana ℥.j. cum pauco saccharo. Alii instillant solas carnes vitulinas, arietis, caponum, pullorum gallinaceorum, aut perdicum: vel in febre syncopali, & viribus resolutis,

A ♃. gelatinæ cornu cervi extractæ cum vino albo lb.iv. sanguinis agni, & vituli manibus agitati, liberati à fibris, ana ℔. ij. vini malvatici ℔. ß. corda vituli per frusta secta recentia, num. j. micæ panis albi recentis lacte inebriatæ ℔.ij. succi melissæ ℥. j. aquæ rosar. & flor. arantior. ana ℔.j. mala citria num.ij. Pone in alembico vitreo, & destillentur in B. M.

Pro viribus instaurandis in febre maligna, aut pestilente, ♃. radices dictami, angelicæ, tormentillæ, pentaphylli, doronici, zedoariæ, contusor. & macerator. in aquis cordialibus, ana ℥. ß. folior. buglossæ, borragin. acetosæ, scabiosæ, pimpinellæ, cardui, ana m. j. ß. cardamomi ʒ.ij. conservæ buglossæ, viol. ana ℥. iiij. theriacæ santal. ʒ. ij. margarit. ʒ.j. decoctionis duorum pullorum & capi alteratæ cum herbis refrigerantibus ℔. iiij. micam unius panis in lacte infusi injice in evaporatorio, fiat destillatio lento igne, saccharo & succo limonum, cum quibus transcolentur per manicam Hippocratis. Instar horum plures tradidere Authores, de quibus præcipuè inquirimus an possint prodesse pro febribus?

Videtur pars negativa præferenda. Primò, quia aqua instillatitia carnium, & reliquorum, formam retinet aquæ, & tenuis est consistentiæ: Sed quæ aqueam consistentiam habent, nequeunt nutrire. Ergo nec instillatum potest esse utile pro victu in febribus. Probatur minor ex Galeno *lib. de marasmo, cap. 9.* D §. *Attractu tamen facile est id alimentum, quod cum sit partium tenuium, tum naturâ calidum, verùm hoc ferè non nutrit, quippe ostensum est, alimentum crassum, ac viscosum esse debere, ut & stabile sit, difficileque transpiret, & nutriendis corporibus promptè assimiletur.* Ergo quod aqueum, nequit nutrire.

Secundò. Aqua instillatitia carnis fit per sublimationem vi ignis, à quo calida redditur: Ergo inepta pro febrium curatione, ad quam Hippocrates requirit victum frigidum & humidum. Probatur antecedens ex Galeno *lib. 9. de simpl. medic. facult. in proœmio*, ubi docet nullum combustorum esse frigidum: Ergo aqua instillatitia, quæ fit combustione, non est frigida.

Tertiò: Partes carnium, & reliquorum ingredientium, quorum vi ignis fit aqua instillatitia, sunt partes igneæ, & aëreæ, quæ aptiores sunt, quia tenuiores

res, ut vi ignis separentur, & ascendant in vapore. Ergo sunt partes calidiores, igneæque, & ineptæ pro febrium attemperatione. Probatur antecedens. Tum quia talis aqua experitur mordax, comprimens, & adstringens, ut apparet in gustu. Tum quia idem contingit in aqua instillata ex vino, & qualibet aqua vitæ, quæ à quovis fiat, calidissima evadit, quia prædominant partes igneæ in illa elevatæ vi sublimationis ignis, per quam separantur.

§. II.

Aqua instillatitia carnis, utilis admittitur pro febrium victu tenui, & curatione.

Resolvendum, quod aqua instillatitia carnis, & reliquorum attemperantium, sit utile alimentum, & medicamentosum tenue pro febrium curatione, & pro viribus instaurandis.

Probatur *primò* ex Hippocrate *lib. de alimento*, ubi agens de alimento ægrotantium, quibus vires sunt debiles, inquit quod in iis humidum alimentum faciliùs transmutatur, quàm siccum, idest fit alimentum magis aptum: Ergo & utilius pro febre.

Probatur *secundò*. Viribus deficientibus, in omni febre talis victus offerendus, qui facilè concoquatur, celerrimè distribuatur, & valeat nutrire. Sed nullus in hos fines præstantior est, quàm aqua instillatitia carnis. Ergo pro febribus, & collapsis in illa viribus, maximè admittenda est in illis. Probatur minor, quia portio carnis apta est nutrire: forma aquea facilis est pro coctione, & distributione: ingredientia refrigerantia prosunt pro attemperatione. Ergo pro utroque fine est utilis aqua instillatitia ex carnibus.

Probatur *tertiò*. Viribus delapsis, carnibusque consumptis in febribus, duæ sunt indicationes: altera instaurandi vires per victum: altera quod victus illas non opprimat, & opponatur febri. Sed totum hoc valet complere aqua instillatitia carnis cum herbis attemperantibus. Ergo manet tanquam utile auxilium indicata.

§. III.

Solvuntur fundamenta primò proposita.

Ad *primum* respondetur, quod victus plenus petit esse crassus, ut possit in sanis vires integras conservare; tenuis verò victus requiritur, qui sit tenuis substantiæ, ut vires non obtundat, & possit vinci à debili calore, nec omninò distrahat naturam à coctione causæ morbificæ; quod nequit vitari exhibito victu crasso.

Ad *secundum* respondetur, quod aqua instillatitia ex carne, & aliis frigidis ingredientibus, licèt per sublimationem calefiat; frigida tamen evadit separata ab igne, ob partes frigidas ingredientium quæ remanent in illa; & ideo ab ejus forma producitur postea frigiditas, sicut contingit in aqua separata ab igne calefaciente.

Ad *tertium* respondetur, quod duplex est caliditas, quæ potest reperiri in aqua instillatitia: altera communicata ab igne externo, à quo instillatur, & per empyreumata permixta est partibus, quæ adjunguntur; & hæc caliditas partim amittitur, ablato calore calefaciente extrinseco, partim ablatis empyreumatibus. Alter est calor internus ortus à propria forma, prout determinatur à partibus igneis & aëreis ab illa informatis, quæ cùm sint in minori numero, quàm aqueæ frigidæ, resultat caliditas remissor frigiditate, ut manifestè apparet in aqua instillatitia plantaginis, nymphеæ & aliorum mixtorum frigidorum, quorum aqua instillatitia frigida manet ex insitis, & apta ut pro febribus curandis offeratur. Idem contingit in aqua instillatitia carnis cum herbis refrigerantibus, & humectantibus, quæ cùm à carne recipiat esse alimentum, ab herbis vim attemperandi & humectandi, complet esse remedium pro febribus attemperans, humectans, & nutriens; & simul ob aqueam naturam, quod sit victus tenuis. Si verò aqua instillatitia fieret ex mixtis, in quibus prædominarent partes materiales aëreæ & igneæ à propria forma, ob illas prædominantes in aqua instillatitia, ipsa fieret à prædominio calida, ut constat in aqua vitæ.

Resolutio Quinta.

Utrum jus attemperans sit victus tenuis aptus pro febribus curandis.

§. I.

Quid jus, quotuplex medicamentosum: proponitur pars negativa.

Jus est decoctum carnis in aqua, vel ex sola carne, vel simul cum herbis medicamentosis, aut alimentosis. Differt juxta

juxta ingredientes carnes. Aliud est jus galli veteris, aut pulli gallinacei, aut palumbinum, aut gallinaceum, aut caponum, aut perdicum, aut solius carnis arietinæ, aut aliorum quadrupedum animalium. Jus galli veteris, ut tenet Claudinus, fit eligendo gallum rufum, alacrem, strenuum in coitu, fortem in dimicando, qui sit medii habitus, nec junior duobus annis. Præparetur colligando pedem ejus, ferulis verberetur, ut inescatur donec flavescat: decapitetur, deplumetur, exenteretur, abluatur, & vel in ventre consuantur utilia simplicia pro affectu, vel decoquatur, & partes quæ supersunt, saliantur; successivè abluatur, & coquatur pars quarta unoquoque die pro juris usu. Jus columbi fit vel ex domestico, vel turriali, aut sylvestri: præparatur deplumando, lavando, coquendo illum in aqua cum appropriatis in debita quantitate aquæ. Jus pulli tenerioris, aut pullæ quæ nondum ova peperit, præparatur in communiori usu pro febribus curandis, instaurandis viribus, & carnibus consumptis reparandis. Præparatio fit modo suprà proposito: decoctio cum hordeo, farro, herbisque frigidis, & humectantibus. Solet cum jure superaddi saccharum, aut succus arantiorum, limonum, agrestæ, aut pulveres crystallorum tartari. Sæpe superadditur caro arietina, vitulinave, vel ex iis sine pullis fit jus pro febrientibus, de quo inquirimus, an sit victus tenuis, & utilis pro febribus curandis.

Vanhelmont *lib. de febribus, cap. 12.* imaginatur, quod non. Tum *primò*, quia cùm jus sit victus tenuis, est inutile, quia per inediam ex exhibitione victus tenuis, pereunt ægri. Tum *secundò*, quia si jus esset utile, maximè pro febre peracuta, pro qua non convenit, quia est indignus nomine Medici, qui ante diem quartum febrem non curavit. Tum *tertiò*, quia jus carnis carnes potest nutrire: quod vitandum, quia ex Hippocrate, impura corpora læduntur nutritione. Ergo nullum jus convenit pro febrium curatione.

§. II.

Ius carnis cum attemperantibus est utilis victus febrientibus, & pro aliis morbis.

Resolvendum, quod jus, seu decoctum carnis cum attemperantibus est utile pro febrium curatione, & virium instauratione, & cum aliis appropriatis pro aliis morbis.

Probatur prima pars, quod jus carnium cum herbis attemperantibus, & humectantibus, sit victus tenuis, utilis pro febribus curandis. Tum ex Oribasio *4. coll. et. cap. 7.* ex Galeno, & Mesue, qui pro attemperandis biliosis humoribus consulunt jus pulli gallinacei, cum herbis attemperantibus, scariola, lactuca, & aliis, ut cucurbita, & farro. Tum quia in febribus æstivis, in viribus resolutis, in carnibus per febres resolutis jura carnium, & ingredientium attemperantium omnes adimplent indicationes; attemperant enim, nutriunt celeriter, & vires subitò reparant, subministrando materiam pro celeri spirituum generatione. Tum superaddunt alii huic juri, succum limonum, arantiorum acrium, granatorum, agrestæ, aut limonum; alii pulveres crystallorum tartari, ex quibus vigoratur vis attemperandi. Ergo ut utilis victus in febribus jus admittendum est.

Probatur *secundò* secunda pars de jure galli veteris, requisito pro aliis morbis. Tum *primo* pro morbis frigidis, [illegible] vetustus calefacit & exsiccat, ut tenet Dioscorides *lib. 2. cap. 41.* & Mesue *lib. 2. cap. 23.* Ex quibus comprobant Authores jus galli veteris indicari ab affectibus frigidis, & humidis, à materia morbi [illegible] gaudente in qualitatibus, crassa, viscida adhærente in partibus, à caloris imbecillitate. Tum in asthmate, orthopnœa, & tussi, à materia frigida, præcipuè si cum veteri gallo in decoctione addantur hyssopus, prasium, calamentha, radix enulæ, ireos, scylla, guaiacum, sassafras, semen urticæ, pulmonaria, capilli veneris, scabiosa, farfara, liquiritia, althea, passulæ & pulvis [illegible], ut tenet Claudinus. Tum patet ex Dioscoride *lib. 2. cap. 41.* quod jus galli maximè convenit pro curatione febrium chronicarum. similiter curantur cum illo febres ortæ ex obstructionibus, si fiat decoctio galli cum emollientibus, quales sunt passulæ, liquiritia, althea, malva, & alia communiora aperientia. Tum si fiat galli decoctio cum seminibus anisi, fœniculi, dauci, ameos, carvi, & aromatibus, confert in tympanite, & aliis affectibus flatuosis, ut in uteri inflatione. Tum cum appropriatis ingredientibus confert jus galli veteris in visceribus scirrhis, in cachexia, arthritide; & cum diureticis præparatum movet

movet per urinam; cum catharticis, per ventrem, ut tenet Dioscorides proximè citatus.

Probatur *tertiò* de jure columbi, quod conferat pro aliis morbis. Tum quia sive turrialis, sive domesticus, sive sylvestris sit, calefacit, & humectat: unde confert in affectibus frigidis, & siccis, & ortis ex causa frigida. Tum præcipuè est in usu in communi praxi in macie corporis, in ventriculi siccitate, in uteri obstructionibus, & hypochondriorum, & relictis ex longis febribus; in ventris rugitibus, & flatibus, præcipuè si fiat decoctio cum herbis appropriatis. Ergo jus carnium, & aliorum ingredientium pro febribus, & aliis morbis est victus utilis, & medicamentosus.

§. III.

Solvuntur insomnia imaginaria Vanhelmontii.

AD insomnia Vanhelmontii respondetur. Pro *primo*, quod æger, & sanus possunt perire per omnimodam inediam, & privationem victus; non tamen per hoc quod victus mutetur à crasso in tenuem, præcipuè cùm mutatio fit à carnibus in earum tenuiorem formam victus; aptam tamen, ut æger possit cum illa pervenire ad morbi vigorem, post quem in alium immutatur victum.

Pro *secundo* respondetur, quod Vanhelmont manifestat suas ineptias, nugasque, per quas fallebat vulgares contra experientiam, & possibilitatem. Nam febres pendentes ex crassis, & terrestribus succis, nequeunt finiri ipsis manentibus, aut non concoctis, aut regulatis à natura, crisique evacuatis: quod non nisi post longum tempus fit, nisi aliquo febrifugio miraculo obtento vincatur febris, quod promisit Vanhelmont, non tamen implevit promissum, quia defecit miraculum, & sine illo nequit fieri quod febris pendens à melancholia finiatur ita breviter, sicut quæ pendet ab spiritibus.

Pro *tertio* dicimus, quod Hippocrates negat victum pro corporibus impuris, qui sit crassus, per quem impura corpora possunt lædi; non tamen victum tenuem, sine quo nequeunt conservari, & cum quo multò minùs læduntur.

Resolutio Sexta.

Utrum ova sint victus tenuis, aptus pro febrium curatione.

§. I.

Quid ova, eorum partes, & differentia. Suadetur pars negativa.

ANimalium alia fœtum formatum edunt in lucem, & in alia parte post illum editum victum pro illo gerunt, ut in mammis: alia animal non edunt, sed ova pariunt, intra quæ generantur soboles, & intra illa est materia ex qua fiant, & ex qua alantur. Hippocrates *lib. de natura humana*, pullum tenet generari in ovo ex ejus luteo, & nutriri ex albumine. Aristoteles *lib. 3. de generatione animalium, cap. 1.* Plinius *lib. 10. naturalis historiæ, cap. 53.* tenent contrarium, quibus assentiuntur juniores. Sunt verò ova partus avis, de genere eorum quæ adnascuntur familiaria naturæ animalium ea producentium, à natura facta pro propaganda generatione, ut deducitur ex Galeno *lib. 11. de simpl. medic. facult. cap. de ovo.* Constat ovum ex quatuor substantiis, ex testa sive putamine, ex pellicula tenui, ex albumine, & vitello. Putamen siccum est, pellicula mollior, album frigidum & humidum; vitellum est moderati caloris, & parum vergens ad humiditatem.

Ovorum differentiæ sumuntur ex specie animantis, à quo generantur; ex tempore, et eorum præparatione. Ab specie optima sunt gallinacea & ex phasianis: deteriora quæ ex anseribus, & struthiocamelis. Fiunt ex tempore pessima post dies duos, aut minuuntur, aut corrumpuntur. Ex præparatione optima sunt quæ parantur in scutellla cum vino, & saccharo, & igni apponuntur: vel cum vino, aceto, & butyro, ac saccharo, quæ incalescunt calore aquæ ferventis. Iis accedunt tremula, quæ nondum indurantur. Indurata prava fiunt, si sub cineribus; paulò minùs quæ in aqua calida: pessima frixa in sartagine, præcipuè si fiat tortella. De iis omnibus inquirimus, an utilia in febribus?

Videtur quod ova non sunt victus tenuis, aptus pro febrium curatione. Nam aut sunt victus tenuis, & alimentum medicamentosum: & hoc non, quia deberet esse victus frigidus & humidus, ex sententia Hippocratis, quibus carent: nam

nam ova sunt temperata, quia vitelli calorem temperat albuminis frigiditas. Aut ova sunt victus utilis ut alimentum: & hoc non, quia aut à specie, aut à tempore inepta redduntur pro nutricatu. Ergo nullo modo sunt victus utilis pro febribus curandis.

Secundò, Hippocrates renuit ova in febribus, *lib. de rat. victus in acutis, sect.4.* ubi inquit, agens de usu ovorum in morbis, *Si febris non habeat.* Ergo prohibet illa in febribus.

Tertiò, si quid suadet ova esse utilia in febribus, maximè quia sunt victus tenuis; sed non ideo sunt necessaria, quia gelatina, caro diluta in jure, aut lacte amygdalarum, consumatum ex carne extractum, jus carnis alteratum refrigerans, sunt victus tenuis, & utilior ovis. Ergo illa frustra offeruntur.

§. II.

Proponitur ovorum utilitas pro febribus.

Resolvendum, quod ova ab animalibus, à tempore, & præparatione consequuntur utilitatem, ut possint esse ex usu pro victu tenui in febribus.

Probatur *primò*, quia ab animalibus eliguntur ova gallinarum, quæ reliquis præferuntur: à tempore, quæ recentiora, quia salubriora, & magis apta nutritioni: pro præparatione, quæ tremula, sorbilia, & confracta cum sacchiro commixta. Ergo cùm hæc utilem præstent victum tenuem pro febrium curatione, admittenda sunt.

Probatur *secundò*, sæpe esse ova utiliora in febribus reliquo victu tenui, ob assiduam illorum consuetudinem in sanis. Docet enim Galenus *lib. 9. Methodi, cap.15.* acquisititum temperamentum ex consuetudine potiùs quàm naturale conservandum: Sed ova in plerisque magis assueta sunt quàm reliqui tenuiores victus. Ergo præ reliquis anteponenda: inquit enim Hippocrates *lib.2. aphor.56. Longo tempore consueta, etsi deteriora, minus molestia esse solent.* Ergo à consuetudine etiam petunt ova præferri pro victu in febrium curatione.

Probatur *tertiò*. In febribus longis ova conferunt ut tutiùs possint vires perdurare ad morbi vigorem. In morbis acutis, febribusque, in quibus fit magna partium resolutio, conferunt, ut præstent aptam materiam pro earum nutricatu: similiter in hecticis pro partibus jam consumptis instaurandis. Sed pro iis omnibus sunt, præstantiora reliquis victibus tenuibus: Ergo præferenda in febribus. Probatur minor ex Galeno *lib. 1. aphor. 4.* dicente: *Rationabiliter igitur hujusmodi victus tenuis dicitur, sicuti qui per ptisanam hordaceam; non est enim tenuis exquisite, nisi omninò pauca assumpta fuerit: non tamen propterea plenus, qualis qui fit per ova, & alicam, & pisces, atque alia hujusmodi.* Idem tenet Oribasius *Emporist. lib.11.*

§. III.

Solvantur rationes dubitandi primò proposita.

Ad *primam* respondetur, quod ova sunt ex usu pro febrium curatione, quia sunt victus tenuior, quàm carnes; & magis valent vires reficere, quàm tenuiora alia, ut probavimus ex Galeno.

Ad *secundam* respondetur, quod Hippocrates prohibet ova assata in febribus, & indurata, non præparata aliis modis à nobis propositis.

Ad *tertiam* respondetur, quod ex eo quod sint alii victus tenues apti pro febribus curandis, non tollitur, quod ova etiam non sunt utilia, præcipuè cum sub victu tenui sæpe indicentur, qui exactè tenuissimus, sæpè minùs tenuis; & ideo Galenus offert ova in tertiana, quia mediocriter sunt tennia.

Resolutio Septima.

Utrum pro febrium curatione utiliora sint alimenta assa, quàm elixa.

§. I.

Aperitur ratio dubitandi: proponitur Aristotelis assensus.

Ad coctionem reducuntur assatio, & elixatio. Assatio est coctio in sicco: elixatio est coctio in humido. Utroque modo præparantur alimenta pro victu febricitantium. Deservit utraque præparatio pro appetitu, & pro dispositione, ut possit alimentum absumi, concoqui, & ut reddatur medicamentosum. Pro febribus fit tale, quia humidius, ex Hippocrate 2. *aphorism. Victus humidus febricitantibus omnibus convenit.* In alimento asso, & elixo manet humiditas: & victus, quanto humidior, magis indicatur à febre; ideo inquirimus, qualis maneat humidior victus, qui præparatur assatione, an qui elixatione?

 Aristo

Ariſtoteles, & ejus Sectatores judicant, quod alimentum aſſatum manet humidius: quod ab illo videtur doceri. Tum 1. *ſect. 2. problem.* 54. ubi inquit: *Spirat enim caro corpus ex parte interiori, quod humidius redditur: quantum enim humoris reſidet, aboletur.* Et ſuperaddit: *Qua ratione etiam carnes aſſa elixis humidiores ſunt.* Tum *lib. 4. meteor.* agens de coctionum differentiis, inquit: *Quapropter elixa ſicciora ſunt, quàm aſſa.* Ergo ex Ariſtotele elixa ſieciora ſunt, quàm aſſa, & minùs utilia pro febrium curatione.

§. II.

Medicorum aſſenſus elixa humidiora admittit.

RESolvendum, quod elixa, quia humidiora, magis indicantur à febribus pro earum curatione.

Probatur majori Authorum aſſenſu. Tum Ariſtoteles, qui contrariæ opinioni dedit aſſenſum, hoc palam profitetur *ſect. 20. problem. 5.* ubi inquirens, cur elixa aſſis meliùs edi poſſunt, inquit: *An cùm humidiora non eatenus humectari, ſicciora non ampliùs exſiccari oportet; elixa autem, mollioraque omnia redduntur, & humidiora: quæ verò minùs humida ſunt, hæc igne confecta ſicciora evadunt.* Tum Hippocrates *lib. de affectionib.* docet aſſa ſiccare noſtra corpora; inquit enim: *Cùm verò ſiccare volueris corpus, panem dato, & obſonia aſſa, & ſicca.* Tum *lib. de ſalubri diæta*, in æſtate humectandum conſulit per cibos elixos, ubi inquit: *Cibis omnibus utendum mollibus, obſoniis elixis, oleribus juxtà & crudibus, & elixis.* Tum *lib. 4. de rat. victus*, conſulit pro febrientibus piſces elixos; pro ſanis aſſos. Tum Galenus 11. *ſimpl. cap. de carne viperæ*, inquit: *Porrò inter eas quæ ſalitæ non ſunt, ſiccior eſt, quæ aſſa eſt, quàm quæ elixa.* Tum idem 3. *de aliment. qualit. cap.* 19. inquit: *Quæ aſſa ſunt, & frixa in ſartagine, ea ſunt ſicciora: quæ verò in aqua dulci ſunt elixa, alimentum corpori præbent humidius.*

Probatur ſecundò ratione. Tum quia cùm mollities oriatur ex humiditate, & caro elixa ſecundùm omnes partes experiatur ab omnibus mollior: fatendum, quod eſt humidior. Quod confirmat Ariſtoteles *lib. 5. cap. 3. de generat. animal.* dicens: *Indicium rei eſt, quod & duriores ſunt pili criſpi; durum enim quod ſiccum eſt.* Et *lib. 2. de ortu & interitu,*

A *cap. 2.* ait: *Amplius molle quidem humidi, durum autem ſicci.* Tum quia magis humidi extrahitur per aſſationem, quàm per elixationem, ob majorem vim caloris non impediti ab aliquo: quod experientiâ confirmat Galenus agens de maraſmo, dum inquit: *In carnibus dum in craticulis torrentur, evidenter id fieri; ſiquidem ab aliquibus plurima liquatio defluit, deciditque in prunas largiter.* Tum docet experientia, quod duo fruſta carnis æqualia, ſi alterum aſſetur, alte-
B rum elixetur, minùs ponderoſum eſt aſſatum, quam elixum. Ergo quia magis amiſit de ſucco humido.

§. III.

Quid dicendum pro Ariſtotelis authoritate.

PRo Ariſtotelis authoritate, qui ſibi contrariari videtur, laborant plures in ipſo conciliando. Aponenſis tenet quod in carnibus, quæ elixantur, calor
C aquæ attrahit internam humiditatem ad partes externas; ideo quæ elixantur, ſecundùm illas partes majorem habent humiditatem, non ſecundùm omnes partes: quæ verò aſſantur, ſecundùm partes internas majorem habent humiditatem. Lemoſius tenet, quod caro quæ aſſatur, aut elixatur, habet duplicem humiditatem, innatam, ſeu propriam, & adſcititiam à conſequente liquore. Per adſcititiam humidiora ſunt elixa, per pro-
D priam autem, quæ aſſantur. Valleſius dicit, quòd humidum poteſt dici alimentum, vel quia humidiori gaudet qualitate, ut elixum; vel quia interiorem habet ſuccum, ob quem aſſa humidiora poſſunt dici, ideſt, plus ſucci continentia; ſed nequaquam negandum quod elixata in humido humidiora remaneant, quàm aſſa, quæ ab igne ſicco exſiccantur; & ideo pro febribus curandis eſſe utiliora ob ſuam humiditatem ſicut aſſa ad exſiccandum in hydropicis, & omnia humiditate præditis ſiquidem humi-
E dum in carne quæ aſſatur, permanet hoc eſt in centrali parte carnis dum incipit aſſari, & nondum commota eſt pars humida interna ad partes externas: dum verò jam eſt aſſata, quævis pars ſiccior eſt, quàm elixa, quod forſan voluit Ariſtoteles.

RESOLV

RESOLUTIO OCTAVA.

Utrum panis sit victus utilis pro curatione febrium.

§. I.

Inter cerealia quid panis, quid triticum, & variæ farinæ referentur.

Suppeditat nobis alimentum tellus frugibus, herbis, & fructibus: suppeditant & animalia. Frugum sunt duo genera, frumenta, & legumina: frumentum dicitur, quod ex se mittit aristas, ut far, siligo, hordeum, zea, avena, milium, panicum, oryza. Ex iis fit panis, sed præstantior est qui fit ex tritico: ejus sunt plures differentiæ. Mathiolus optimum tenet esse triticum, quod est fractu contumax, densum, grave, colore aureum, lucidum, trium mensium, maturum, mundum, pinguique terra ortum. Ejus pane præcipuè utimur pro conservanda sanitate, & pro morbis curandis. Legumina dicuntur cerealia: ex iis non fit panis. Sunt autem hæc, pisa, cicera, fabæ, lentes, quæ sunt cacochymæ. Triticum sub frumentis, reliquis anteponitur: hordeum minùs alit, refrigerat, & detergit: reliqua frumenta inutilia, nisi in summa penuria.

Ex tritico fiunt varia condimenta: ex farinarum varietate fit panis varius: præstantior siligineus, qui ex purissima fit tritici farina, sine furfuribus. Fit panis similaceus ex pura farina, sed magis excussa. Fit panis confusaneus ex tota farina, & furfure farinam excedente. Ex iis magis nutrit panis, qui ex puriori fit farina: magis ventrem movet, qui plus furfurum recipit: plus bonitatis habet probè subactus, moderato igne percoctus, cum fermento, & sale præparatus, lignis purioribus coctus, non multùm recens, nec inveteratus. Ex farina tritici condimenta varia variis parantur modis.

§. II.

Panis non apparet victus utilis pro febribus.

Videtur quod nullus panis, nec præparatio illius, possit esse utilis pro febrium curatione. Primò de pane tritici id constat; nam pro febribus requiritur victus tenuis: sed omnis panis tritici præstat victum plenum, & aptum non solùm pro ægris nutriendis, sed ad plenè nutriendos sanos. Ergo in nulla febre potest esse utilis.

Secundò, idem apparet de omni frumentorum pane. Nam nullum est, quod non inferat noxam, operationumque læsiones. Panis ex zea suspectus est, quia friabilior tritico, nutriendi vi inferior. Secalinus est flatuosus, viscidus, crassus, concoctu difficilis. Hordeaceus est frigidior, generat glutinosum succum. Miliaceus, & panicaceus pravum præstant nutrimentum, & alvum cohibent. Avenaceus calidior est, & non nisi pro equis aptus. Ergo nullus pro febribus utilis.

Tertiò, ex variis tritici præparationibus fercula fiunt varia: sed omnia inepta sunt pro febrium curatione. Ex tritico elixo fit frumentacea, quæ gravis, & flatulenta evadit: si coquatur, nimium nutrit. Amylum, quod fit ex tritico macerato, & expresso, præstat lentum succum. Pollenta gravat, & obstruit. Ergo inepta redduntur pro febribus curandis.

§. III.

Panis tritici siligineus, & secundarius admittuntur pro febrium curatione.

Resolvendum, quod panis tritici, præcipuè siligineus, & similaceus, maximè conferunt pro victu febricitantium.

Probatur. In quovis horum sunt plures proprietates conferentes pro curatione febrium. Ergo utendum illis. Probatur antecedens; nam fiunt ex tritico, quod est frumentum pingue, humidum, corpus validè nutriens, præstans robur viribus. Sed hæc conferunt pro febrium curatione. Ergo in illis est utilis.

Probatur *secundò*. Si quid obstat, ut panis offeratur in febribus ex tritico factus, maximè quia est victus plenus, ex Galeno *lib. de aliment. facultatibus*, & ex Cornelio Celso plurimùm juvat: Sed hoc non obstat. Ergo ut utilis admittendus. Probatur minor: nam licet in majori quantitate fit victus plenus, in minori fit victus tenuis, parum valens nutrire. Ergo in minuta quantitate valet utile esse pro febribus.

Probatur *tertiò* ab experientia, quâ docemur omnes ferè febricitantes uti pane tritici pro sui victu, sine aliquo nocumento, immò cum omni utilitate.

Tum

Tum quia ob consuetudinem juvat, A quia à natura nobis pro communi victu in sanitate, & morbis condonatus. Ergo in febribus præcipuè admittendus.

§. IV.

Solvuntur rationes primò proposita.

AD *primam* respondetur, quod victus forma, quæ sumitur, penes hoc quod magis, aut minùs nutriat, potest variari, mutata quantitate. Inde victus tenuis in magna quantitate multùm B nutriens, fit victus plenus; & plenus victus sub quantitate parva parum nutriens, fit victus tenuis.

Ad *secundam* respondetur, quod non nisi in extrema necessitate solus panis tritici petit offerri in febre, quia præstantior, & sine noxis reliquorum frumentorum est.

Ad *tertiam* respondetur, quod licèt ex tritico fiant fercula; nullum tamen præstantius quàm panis, præcipuè siligineus, præter biscoctum, quod sub pane tritici præstantius fit. C

RESOLVTIO NONA.

Utrum à tellure ex herbis, & fructibus aliqua alimenta prosint in febribus.

§. I.

Quales à tellure fiant herba & fructus apti nutrire.

SUb cerealibus, ex quibus non fit panis, sunt legumina, pisa, cicera, D lentes, fabæ, phaseoli, cicercula, lupini, orobus, oryza: sunt & fructus ex eis, quæ à terra producuntur, alii ab herbis, alii ab arboribus. Producuntur ab herbis, melo, pepo, cucumer, melongia, cucurbita, fraga. Sumuntur ab arboribus fructus, uvæ, mora, cerasa acria & dulcia, ficus, fructus juniperi, & myrthi, persica, chrysomela, armeniaca, cydonia, pruna, mespila, sorba, fructus palmæ, avellanæ, nuces, glandes, limones, arantium, castanea. Sumuntur ex terra olera, lactuca, inrybum, brassica, beta, sicla, spinachia, endivia, cichorium, acetosa, portulaca, pimpinella, asparagi, petroselinum, & multa alia, quorum victum inquirimus, an utilis pro febribus. E

§. II.

Qua ex terra prodeunt alimenta, majori ex parte, prater triticum; malum prastant succum.

REsolvendum *primò*, quod cerealia, fructus herbarii, & olera, majori ex parte ineptum præstant succum pro febrium curatione.

Probatur ex Galeno *in libris de aliment. facult.* in quibus latissimè probat, quod hujusmodi alimenta parum præstant succi pro alendo, qui simul pravus est, & citò corrumpitur; inconstans est, & brevi resolvitur; & multa generat excrementa, quæ in sordes, & flatus mutantur; sæpe putrescit, & febres contingit causari, & non rarò veneficas acquirunt qualitates, nisi refrigerata sumantur, aut ex nimio labore resolvantur.

§. III.

Ex desumptis fructibus terra, aliqua, licèt pauca, minùs nocent.

REsolvendum *secundò*, quod ex alimentis cerealibus, terræque fructibus, perpauca recipiuntur in usum pro febrium curatione, quia minùs nocent.

Probatur. Tum ex cerealibus, in ciceribus, quæ aliquantulum præ reliquis nutriunt, abstergunt, liberant ab obstructionibus, renes repurgant, ex Galeno *lib. de diata.* Tum patet in fructibus herbariis, qui licèt omnes exiguum, & pravum succum præstent, melones recipiuntur, quia gustui grati, & vim habent humectandi, & refrigerandi; ideò admittuntur in febribus, sicut cucurbita, & fraga. Tum ex arborum fructibus permittuntur cerasa acria, & pruna, præcipuè acria, & damascena, limones, arantia, & plura ex iis, quæ assata, & cum saccharo correcta, minùs nocent. Tum ex oleribus, quorum ex Galeno *lib. 2. de aliment. qualit.* est proprium præstare paucum alimentum, pravum succum, & cacochymum, admittitur pro febribus lactuca, quia refrigerat, humectat, & somnum conciliat: admittitur scariola, & borrago in melancholicis: prodest oxalis & asparagus, qui abstergunt, urinas movent, ab infarctu liberant, in jecur, & renes celeriter abeunt, & in sanguinem permutantur, ex Galeno *de aliment. facult. cap.* 58. Ergo possunt permitti in febribus.

§. IV.

§. IV.

Pro victu tenui in febribus non conveniunt fructus horarii.

Resolvendum *tertiò*, quod pro febribus curandis non sunt eligendi fructus ex tellure desumpti, quatenus præstant victum tenuem.

Probatur. Tum ex Avicenna, qui eorum nocumentum protulit *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *§. Et omnes fructus nocent febricitantibus cum ebullitione sua, &* B *corruptione sua in stomacho.* Ergo in febribus abstinendum ab omnibus oleribus. Tum ex Galeno 2. *de alim. facultatibus*, talis substantia generatur, qualis est substantia alimenti ex quo fit: Sed omnes fructus horarii, ut ibidem docet, sunt fugaces, pauci, & pravi succi, & abundant plurima humiditate excrementitia. Ergo sunt inepti in febribus, & parati ad augendam putredinem. Patet, quia ex horariis fructibus sanguis qui generatur est aquosus, nutritioni C ineptus; & ideo derelictus à naturæ actione putrescit, & causat, & auget febrem.

Dices quod suprà, aliquos horarios fructus diximus posse esse in usu in aliquibus febribus. Respondetur, quod generaliter de omnibus horariis succis id docuit verum esse Galenus; sed sunt aliqui magis oppositi putredini, quos retulimus, & quibus ad attemperandas febres solemus uti.

Probatur *secundò*: Si fructus horarii D essent necessarii pro febribus, præcipuè putridis, maximè quia ab illis indicantur, tanquam victus tenuis, qui est utilis in illis. Sed hoc non convincit; nam præter fructus horarios, potest in illis exhiberi victus tenuis alterius substantiæ alimenti, sine his noxis, quæ proveniunt à fructibus horariis. Ergo non sunt offerendi ob hanc indicationem. Probatur minor ex Galeno 1. *aphor.* 4. qui duplicem docet esse victum tenuem: alterum à propria substantia, quales sunt E fructus horarii: alterum, qui licèt ex sua natura sit plenus, & multùm nutriat; mutata tamen quantitate, mutatur in tenuem, quia offertur in pauca quantitate: & cùm talis victus possit, ut tenuis supplere in febribus, frustra reliqui noxii offerrentur; sed illorum loco extremitates avium, hepar caponis, aut gallinæ, avium jus cum attemperantibus coctum potest exhiberi in febribus biliosis, vel in aliis, cum eis quæ opponuntur illarum causis.

Resolutio Decima.

Utrum aliqui pisces sint utilis victus pro febribus.

§. I.

Proponuntur piscium differentiæ, & usus pro nutritione.

Pisces sunt animalia, quæ in aquis nascuntur & vivunt, alii fluviales, alii palustres, alii marini. De omnibus probat Aristoteles, quod sunt frigidi, & humidi, quia nascuntur in aquis, & vivunt in illis: tamen sunt aliqui calidi, ut langusta marina. Fluviales præferuntur, dum mediocrem servent magnitudinem. Damnantur communiter lacustres, præcipuè nati in aquis stagnantibus. Ex iis alii sunt in stagnis recipientibus aquas fluviorum, alii non: alii in quibus aquæ defluunt, alii in quibus aquæ semper sunt quietæ: alii nati in aquis dulcibus, postea ingrediuntur in mare: quidam verò marini fiunt fluviales. Ex piscibus marinis plurimæ sunt differentiæ: alii friabilem habent carnem, alii duram, alii viscidam, alii sunt cartilaginei, alii testacei. De omnibus inquirimus, an præstent aptum victum pro febrium curatione.

Discordes sunt Authores; sunt enim qui opinantur, quod omnes pisces præstant victum aptum pro febrientibus; quibus favet Aristoteles, qui probat omnes pisces habere carnes frigidas: Sed ex Hippocrate, victus frigidus & humidus convenit pro febrientibus: Ergo omnes pisces sunt utiles in illis.

Secundò patet ex Galeno *lib.* 2. *de aliment. facult. cap.* 22. dicente: *Alimentum quod ex piscibus sumitur, non modò ad coquendum est facile, sed hominum etiam corporibus est saluberrimum, ut quod sanguinem mediæ consistentiæ generet: medium autem voco, qui nec admodum tenuis, nec crassior, atque vehementer trassus est.* Ergo confert in febribus.

Probatur *tertiò* ex Plutarcho 4. *sympos. quæst.* 4. dicente. *Nam & marina obsonia maximè etiam sunt innoxia; nam & carnosa sunt, & non perinde ut carnes gravant, sed faciliè coquuntur.* Ergo sunt utilia pro febrium curatione.

Secunda opinio tenet, quod pisces nullum præstant victum utilem pro no-

ſtris corporibus ; ideo nec pro febrium curatione. *Primò*, quia ut communiter ab omnibus recipitur, poſt eſum piſcium ſupervenit ingens ſitis ; ſed non ab illorum temperie, quæ eſt frigida, & humida, apta ſitim extinguere : ergo quia ſtatim corrumpuntur in ventriculo, & mutantur in nidoroſam ſubſtantiam, corruptamve, & ineptam nutritioni.

Secundò : Pro febribus convenit cibus aptus concoqui : Sed omnes piſces ſunt coctioni inepti, & difficilis diſtributionis. Ergo pro febrium victu inutiles. B Probatur minor ex Rhaſi 3. *lib. ad Almanſorem*, ubi tradit, piſces in ventriculo longo tempore perſiſtere.

Tertiò : Pro febribus requiritur victus boni ſucci, alendo aptus : Sed in communi Medicorum aſſenſu, piſces præſtant ſuccum partibus nervoſis oppoſitum, & qui facilè corrumpitur, articulis infeſtum : Ergo pro victu febrium inutilem.

§. II.

Qualiter piſces ſint victus utilis pro febribus.

Reſolvendum *primò*, quod piſces ſaxatiles, ſunt victus utilis, & medicamentoſus pro febribus curandis. Hos eligit Schola Salernitana.

Lucius, & perca, & ſaxatiles, albica, tinca,
Cornus, plagitia, cum carpa, galbio, trutta.

Superadduntur ranæ, ut tenet Zacchias *tom.1.lib.1.quæſt.19.* contra Conciliatorem, & Ronſetum. D

Probatur *primò* ex Galeno, qui *lib.4. de ſanit. tuenda, cap. 8.* piſces ſaxatiles conſulit in febribus continuis : *lib. 8, Meth.cap.2.* offert in tertianariis : *lib.1. ad Glauc.cap.11.* offert in quartanariis. Ergo ex Galeno conferunt in omni febre humorali.

Probatur *ſecundò* ex dictis pro ſecunda opinione : nam cùm piſces ſaxatiles ſint frigidi, & humidi, & facilis coctionis, ſunt indicati in omni febre humorali. Ergo utiles in ejus curatione. E

Probatur *tertiò*. Illi piſces ſunt utiliores in febrium curatione, qui præſtantiorem præbent ſuccum, ex Galeno *lib. de attenuante diæta, & lib. de cibis boni, & mali ſucci.* Sed inter piſces, ſaxatiles præſtantiorem ſuccum præſtant, quia in pura aqua degunt, currente, arenoſa, aut petroſa, qui velociores ſunt in motu, A qui medii ſunt inter magnos & parvos, qui ſunt molles, coloris albi, ſuaves, non multa pinguedine reſperſi, ex quibus purior fit ſanguis, ex Avicenna. Ergo ut utiliores eligendi pro febricitantium victu.

§. III.

Solvuntur contrariorum poſita fundamenta.

Ad *primum* reſpondetur pro prima opinione, quod Ariſtotelis & Galeni opinio, docens omnes piſces eſſe frigidos, & humidos, non eſt omninò vera ; & qui tales, licèt indicentur ut medicamentoſi, poſſunt nocere in febribus, ſi pravum præſtant alimentum, craſſum, grave, pertinax concoctu, & aptum corrumpi.

Ad *ſecundum* reſpondetur, quod Galenus dividit piſces in non ſaxatiles, & ſaxatiles : & hos laudat, quia præſtantius ſuggerunt alimentum pro ægris, licèt alii poſſint prodeſſe pro ſanis. C

Ad *tertium* reſpondetur, quod Plutarchus loquitur de piſcibus ſaxatilibus, quorum uſus erat communis, & ideo eos laudat.

Pro *ſecunda* opinione reſpondetur : ad *primum*, quod Rhaſis & reliqui damnantes piſces, quia craſſum & difficile coctu præſtant alimentum, loquuntur de piſcibus qui non ſunt ſaxatiles ; & per hoc patet ad reliqua fundamenta, quæ piſces damnant, quia craſſum præſtant ſuccum, & reliquas, quas retulimus, noxas.

Resolutio Undecima.

Utrum carnes quadrupedum, & volatilium, ſint ex uſu pro febrium curatione.

§. I.

Carnium differentiæ proponuntur, & uſus.

Ab animalibus deſumuntur carnes, quæ ex genere, ſexu, ætate, & præparatione differunt. Animantia, ex quibus ſumuntur, aut ſunt aquatilia, ſeu piſces, de quibus egimus ; aut terreſtria, aut volatilia. Terreſtria, de quibus egit Galenus *lib. 3. de alimentis*, aptiùs nutriunt, & alia ſunt domeſtica, alia ſylveſtria. Domeſtica ſunt humidiora. Inter illa ſunt carnes vervecina, ovilla, agnina, hœdina, bovina, vitulina, ſuilla,

suilla, cuniculorum caro, & porcellorum. Carnes hæ variant inter se specie, & intra illam ratione ætatis, regionis, pabuli, habitus, castrationis, sexus, & præparationis. Differunt partes cujusque individui, pro usu victus, pro quo deserviunt caro, & ejus partes, hepar, caput, renes, lien, cor, pulmo, glandulæ, cerebrum, lingua, pinguedo, ventriculus, intestina, & pedes. Ex volatilibus etiam desumuntur carnes minùs aptæ ad plenè nutriendum, sed quæ faciliùs coquuntur, ex Galeno *de aliment. facult. lib. 3. cap. 19.* Avium aliæ sunt domesticæ, aliæ sylvestres, inter quas sunt caro capi, gallinæ, pulli gallinacei, galli, columbæ, phasiani, perdicis, turturis, coturnici, ficedulæ, sturni, merulæ, graculi. De quadrupedum & volatilium carnibus inquirimus, an illarum victus sit utilis in febrium curatione.

§. II.

Ex Plutarcho apparet suaderi partem negativam.

Plutarchus fuit in ea opinione, quod carnes terrestrium, & volatilium, non solùm non sint utiles pro victu in febribus, & aliis morbis; sed etiam intendit illas excludere pro usu in alimentis sanorum: cui favet,

Primò, quod ante Plutarchum sacra Pagina, *Genesis c. 19.* inquit, præscribens hominibus cibum: *Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Ubi non præscribuntur carnes, juxta quod cecinit Lucretius:

Quod sol, atque imbres dederunt, quod terra creaverat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

Ergo negantur carnes pro victu hominum.

Secundò. Natura pro eis, quibus caro est alimentum, dedit figuram, & speciem pro carnibus captandis utiles, ungues acutos, rostrum aduncum, acumen dentium, calorem robustum ad carnes coquendas: Sed hæc denegavit hominibus: Ergo & usum carnium pro proprio alimento.

Tertiò: Si carnes essent alimentum pro hominibus, nullas homines ex illis crearent humiditates, superfluitates, & cruditates, vel alia symptomata, quæ ex usu carnium superveniunt hominibus; nam tanquam alimentum illis coaptatum, salubriter assimilaretur. Sed hoc non contingit: Ergo quia non est illis proprium alimentum.

Quartò. Carnivora, quibus carnes datæ sunt pro proprio alimento, utuntur illis crudis: Sed homines non nisi assis, aut coctis illis utuntur: Ergo quia non sunt à natura hominibus acceptatæ pro proprio alimento.

§. III.

Carnes præferuntur pro hominum alimento, & pro victu febricitantium.

Resolvendum, quod alimentum ex carnibus quadrupedum, & volatilium est præstantius pro hominibus in salute, & in febrium & morborum curatione, reliquis alimentis.

Probatur *primò* ex Galeno *lib. 3. de temperament. cap. 2.* docente, quod alimentum est, quod totius substantiæ familiaritate, in corporis animati substantiam mutatum, illud auget, & conservat. Sed nullum genus alimenti est, quod totius substantiæ familiaritate in hominum corpus aptiùs possit immutari, illud augere, & conservare, quàm caro quadrupedum, & volatilium, quæ omni ex parte assimilatur carni humanæ. Ergo nullum ita aptum alimentum potest esse homini in salute, & morbis.

Probatur *secundò* carnium reliquarum coaptatio cum carne hominis juxta earum differentias, ex genere, ætate, sexu, habitu, & præparatione, à quibus recipiunt aptam præstare materiam pro assimilatione, & mutatione in puriorem sanguinem, aptiorem ad nutriendum. Ex iis domestica animalia, quia humidiora, aptiora sunt pro febribus. Inter hæc laudatur caro suilla, quia humanæ carni similior, crassum præstat alimentum; & ideo aptius pro sanis, robustis, & exercitatis, ex Galeno 3. *de aliment. facult. cap. 2.* tenet Avicenna, & Hippocrates 4. *de diæta.* Ratione ætatis caro, quia sicca, est febribus minùs utilis, fit difficilis coctionis: præferuntur carnes recentes, licèt non recenter natæ, quia mucosæ, & excrementitiæ: præferuntur sub media ætate. In sexu præstat caro masculorum, maximè castratorum.

Præparatio carnium ad durationem fit per sal, à quo duriores redduntur, quia sicciores, licèt minùs utiles pro febribus curandis: sæpe cum aceto, & aliis servant suam humiditatem, acquirunt fri-

giditatem, nec ingratæ fiunt, nec ineptæ in febribus, ratione conditura. Coquuntur etiam carnes, assantur, frigunttur, prunis torrentur in patinis; sed fiunt pravi ſucci pro febribus, atque inutiles, in quibus utiliores ſunt elixæ, & aſſæ. Per condimenta redduntur utiliores, & cum ſuccis arantiorum, & limonum.

Probatur *tertiò* ex Hippocrate *lib. 6. epidem. comment. 5. text. 21.* ubi inquit: *Imbecilles cibi exiguam vitam præſtant.* Sed carnes piſcium & leguminum, & fructus herbarum, & arborum, ſunt imbecilliores cibi quàm carnes animalium, ex Galeno *lib. de aliment. facult. cap. 3.* Ergo pro vita hominum conſervanda & pro febribus curandis carnes ſunt utiliores.

§. IV.

Primò adducta fundamenta diſſolvuntur.

AD *primum* reſpondetur. Tum quod ante diluvium, ex Sacra Pagina, olera, & fructus aſſignabantur hominibus; tunc enim erant aptiora ad nutriendum, quàm poſt diluvium, quo tempore homines tranſierunt ad uſum carnium, tanquam utiliorem. Tum Cajetanus tenet, uſum carnium ante diluvium fuiſſe licitum: poſt diluvium tamen, & licitum, & promulgatum. Lucretius loquitur vel de tempore ante diluvium, vel de Pythagoricis, & aliis, qui abſtinebant à carnibus: vel quia, ut inquit D. Thomas *in epiſt. ad Roman.* licèt ante diluvium non eſſet prohibitus victus carnium; non erat tamen apud omnes in uſu.

Ad *ſecundum* reſpondetur, quod in animalibus carnivoris, ad carnes crudas edendas fuerunt neceſſarii ungues, & dentes ferrati, & alia inſtrumenta, quæ non erant ex uſu in homine, in quo intellectus, prudentia, & manuum uſus, & inſtrumenta, & carnium præparatiu ſupplent reliqua.

Ad *tertium* reſpondetur, quod cùm alimentum petat eſſe diſſimile, petunt ante aſſimilationem ſeparari aliquæ partes: quod magis requiritur pro reliquis alimentis.

Ad *quartum* reſpondetur, quod provida natura uſum crudarum carnium pro victu conceſſit aliis animalibus, quia non erant apta ad illas præparandas; & ſupplet in illis hanc ſolertiam condonando uberiorem calorem, quo crudas concoquant carnes, quem non dedit homi-

A nibus, qui præparatione carnes reddunt aptas ut à debiliori vincantur calore.

Resolutio Duodecima.

Utrum lac pro admodum extenuatis in febribus ſit utile alimentum, & neceſſarium.

§. I.

B *Quid lac: quas præſtet ſubſtantias pro ſanis?*

LAc eſt ſanguis ſuperfluus, in mammis dealbatus pro alimento animalium, dum ſolidum nequeunt conficere alimentum, ex Galeno *lib. 14. de uſu part. cap. 4.* Frigidum eſt, & humidum, non recedens ab optimo alimento, ex eodem *lib. 5. ſimpl. cap. 21.* Plures ſeparantur ex illo ſubſtantiæ pro ſanis alendis corporibus. Butyrum, quod eſt calidum, & humidum in primo gradu, & vetuC ſtum fit calidius, tenuiùs nutrit, impinguat, laxat ventrem. Cremor lactis ſimiles habet vires. Extrahitur per artem butyrum à lacte. Recocta ſubſtantia eſt ſimilis recenti caſeo. Extrahitur ebullitione ex parte lactis ſeroſa: ſedat ſitim, ſomnum conciliat, nocet ventriculo frigido. Caſeus eſt illi ſimilis in temperie. Differt lac juxta animalia à quibus generatur. Caſeus ætate fit ſiccior, & calidior, ac acrior. Recens eſt frigidus, & humidus: medius medio modo ſe habet, ſtoD macho eſt utilis, impinguat: reliquis melior eſt qui craſſus, & butyroſus.

Non agimus de uſu partium lactis pro febribus, quæ rariùs uſurpantur; ſed de uſu totius lactis, quod ſubſtantificè, & qualitativè refrigerat, & humectat: conſtat enim ex ſeroſa ſubſtantia, caſeoſa, & pingui: ideo attemperat abluendo acres humores, & colluendo, atque illiniendo. Varium fit lac, & aptius ad nutriendum, prout diverſum. Magis nutrit, ex Galeno *3. de aliment. 15.* vacE cinum: minùs humanum, & aſininum: mediocriter caprinum. Pro abſtergendo præfertur aſininum.

§. II.

Apparet lac in febribus, & admodum extenuatis, non eſſe ex uſu.

VIdetur quod lac in febrientibus non debet exhiberi, ex Hippocrate, à quo *5. aphor. 64.* & Galeno *in comm. & 3. de aliment.*

aliment. facult. cap. 15. reprobatur in capitis doloribus, in febribus putridis, in siticulosis, in quibus suspensa murmurant hypochondria, in obstructionibus: & ex Conciliatore 5. *differ.* 194. in fluxione catarrhali, in nausea, in cibi fastidio, in ventriculo apto illud corrumpere. Sed hæc ferè sunt, aut aliqua in omni febre. Ergo in nulla convenit lac.

Secundò, lac nocet in valde frigidis, prohibetur à cibo indigesto in ventriculo, ab alvo adstricta. Sed hæc sunt etiam communia in febribus. Ergo & usus lactis in illis impeditur.

Tertiò, lac prohibetur à temperamento frigido, à quo non concoquitur: à bilioso, à quo abit in bilem: ab habitu crasso, & obeso, parato ad obstructiones: ab aliquorum proprietate, qui illud abhorrent. Sed sæpe hæc sunt in febrientibus. Ergo obstat lactis usus pro illis.

§. III.

Proponitur pars affirmativa in admodum extenuatis.

Resolvendum quod si in febribus contingat ægros fieri admodum extenuatos, lac debet exhiberi, etiamsi coincidant communiter contraindicantia.

Probatur *primò* ex Galeno *lib. de arte curativa, ad Glauc.* proferente: *Ad id quod magis urget, dirigi consilium curantis debet, altero non neglecto.* Sed si in admodum extenuatis non exhibeatur lac, imminet vitæ periculum, quod sine illo vitari nequit. Ergo illis non obstantibus, lac offerendum est.

Probatur *secundò* ex *lib.* 5. *aphor.* 64. ubi proponens in prima parte aphorismi Hippocrates, quæ prohibent usum lactis, in secunda superaddit, quod detur lac tabidis, & non valde febrientibus, in febribus longis, & parvis, si nullum ex priùs positis impedimentis adfuerit. In tertia parte aphorismi superaddit sine limitatione, quod detur etiam lac *præter naturam consumptis.* Ergo in iis illud admittit, etiamsi reliqua contraindicent.

Probatur *tertiò* ex Mercuriali *in commentario dictæ sententiæ*, qui quærens, an contraindicantia proposita prohibeant lac in summa extenuatione, tenet negativam partem; quia plus indicant affectus, quàm impediat prohibens; est enim lethalis. Ergo ob urgens periculum extenuationis, prohibentia minùs obstare possunt, quàm certa mors.

A Probatur *quartò.* In admodum extenuatis nihil urgentius, quàm exhibere victum valentem faciliùs instaurare carnes, & elaborari à debili calore naturali tunc remisso. Sed nullum aptius alimentum, quàm lac ad nutriendum, & ut vincatur à calore nostro, de quo inquit Galenus *lib. 6. de placitis, cap. 6.* quod ita facilè concoquitur, ut nec ventriculi elaboratione indigeat. Ergo nullis aliis impediri potest ejus exhibitio.

B Probatur *quintò.* In marasmo admodum frigido, contraindicante frigiditate usum lactis frigidi, ob urgentiam nutritionis, quæ magis urget, Galenus *lib. 7. method. & lib. de marasmo*, in illo exhibet lac. Ergo in quavis alia summa extenuatione erit utile.

§. IV.

Solvuntur rationes primò posita.

C Ad *primam* respondetur, quod non est dubium, quod in febribus possunt plura supervenire, à quibus regulariter prohibetur usus lactis; sed si in illis perveniat æger ad summam extenuationem, ob imminens illius periculum, cogit urgentia uti lacte, reliquis neglectis.

Ad *secundam* respondetur, quod plura possunt supervenire in febre, quæ impediant usum lactis regulariter; non tamen si sine illo necessariò debet æger perire.

D Ad *tertiam* respondetur, quod ex eo, quod ab enumeratis prohibetur lac sine urgentia, non infertur, quod in illa non sit offerendum.

Resolutio Decimatertia.

Utrum serum lactis sit utile remedium pro febribus curandis.

§. I.

Quid serum, & quotuplex? Proponitur pars negativa.

E Serum est aquea substantia, separata à commixtis aliis substantiis, quibus permixta erat pro earum vehiculo, & fluxibilitate. Duplex est serum, aliud serum humorum, aliud serum lactis. Hoc provenit ex potulenta substantia, quæ in ventriculo commiscetur chylo, ut deserviat pro ejus vehiculo per venas lacteas in jecur, alias venas, & corporis porositates. Major pars separatur à jecore

post sanguinis generationem: alia pars pergit cum illo, quæ separatur à renibus, trahitur per ureteres, fertur ad cavitatem vesicæ, à qua tanquam excrementum omninò jam inutile truditur sub lotii nomine. Humoribus commixtum serum pro vehiculo deservit, ut ferantur in partes nutriendas, à quibus separatum, partim per tertiam regionem pellitur, partim refluit in secundam. Alia verò portio seri in fœminis cum humoribus fertur in ubera, ab ipsisque commixta cum sanguine dealbato, qui lac vocatur, simul & in illo vehiculi vices gerit lacteæ substantiæ, ut deserviat pro fœtus nutritione. Si autem lac servetur in alios usus, serum ab ipso separatur, vel arte, vel à natura; & de hoc inquirimus, an possit esse remedium utile pro aliquarum febrium curatione.

Videtur quod serum non sit utile remedium pro febribus. Tum quia serum est à prædominio calidum, ut docent Mesue *lib.2.cap.9.* Avicenna *lib.2..c.44.* Oribasius 2. *synopseos* 3. & fatetur Galenus *de aliment. cap. 16.* tribuens sero acrem lactis caliditatem. Ergo est inutile pro febribus curandis. Tum *secundò*, serum habet vim abstergendi, deobstruendi, & ducendi per alvum adustos succos: Sed hæ secundæ facultates oriuntur ex caliditate. Ergo est calidum à prædominio. Tum *tertiò*, licèt serum esset frigidum, nequit exhiberi tanquam remedium pro febribus, quia contraindicatur à pluribus illius usus. Ergo nequit esse remedium pro febribus. Patet antecedens. Nam obstat pro ejus usu frigidum ventriculi temperamentum, nisi aliquid calidum superaddatur illi, & lædit eos qui nunquam usi sunt illo, & his ob illud læditur, doletve ventriculus, quibus habitus est mollis, pituitosus, frigidus à tempore, regione, frigida constitutione, in quibus abundant flatus, sunt colici dolores, aliive morbi frigidi. Ergo non satis erit, quibus possit offerri. Tum *quartò*: Serum non separatur à lacte, nisi per coagulum, quod est calidum, acre, mordax. Ergo reddit illud calidum, & ineptum pro febribus curandis.

§. II.

Serum adaptatur ut remedium pro aliquibus febribus.

Resolvendum, quod serum adaptatur pro febrium curatione, quia frigidum, & ob alias illius facultates.

A Probatur. Tum *primò*, quod ut frigidum prosit pro febribus curandis; docet enim Galenus, serum esse frigidum, *in lib. de simpl. medicam.* & 4. *simpl.* simul esse humidum: & tenet Aristoteles *lib.4. meteor.* ubi docet, sola frigida coagulari frigore: & enumerans frigida quæ coagulantur, inter illa ponit serum. Tum serum est pars aquæ, quæ separatur à reliquis, quæ commiscentur in lacte: aqua verò separata à reliquis commixtis, redit in propriam naturam, & fit B frigida, & humida à propria forma. Tum serum præparatione potest reddi frigidius, aut calidius. Duplex est modus separandi, simplex, aut non simplex. Simplex fit sine alterius rei commixtione, ut tenet Dioscorides, supra lactis ferventis vas immittendo aliud vas plenum aquâ frigidâ, sive æneum, sive vitreum. Vel fit separatio, ut tenet Paulus, decoquendo lac, & trajiciendo per colum. Fit non simplex separatio, commixtis aliis coagulantibus desumptis ex animalibus, aut plantis. Ex animalibus, ut C ex vitulo, lepore, gutture gallinæ interiori, aut ventriculo. Ex plantis sumitur coagulum ex succo ficulneo, ex flore cardui sylvestris, ex semine erucæ, ex dracontio, ut ex variis Authoribus refert Claudinus: conferunt etiam Tamarindi, oxysaccharum, omphacium ex succo limonum, oxymel, succus arantii. Ergo cùm ex frigidis coagulantibus separetur serum, frigidum & aptum erit D pro febribus curandis. Tum pro variis calidis morbis curandis est in usu serum. Ergo & pro febribus. Patet antecedens; utimur enim illo in copia acrium humorum, in jecoris, & renum inflammationibus, in ulceribus ventriculi, uteri, renum, & vesicæ, sive per lotium, sive per ventrem tentetur evacuatio. Miscentur ad evacuandum per lotium, semina melonum, syrupus capill. vener. succi limonum, violar. simul & alia solventia ventrem. Ipsum ad alterandum exhi-E betur ad ℔. j. ad purgandum ad ℥.xxx. Exhibetur frigidum in æstuosis febribus, & calidis naturis, præcipuè jejuno ventriculo. Tum sero utimur extracto per destillationem, quod purius, & perfectius reliquis, ut tenet Cortes, qui tres ponit modos destillandi illud: uno modo per evaporatorium: secundo modo per vasa vitrea, seu per alembicum: tertio per arenam.

§.III.

§. III.

Solvuntur rationes primò proposita.

AD rationes dubitandi respondetur, quod serum de sua natura aqueum est, frigidum, & humidum; sed tamen ex adscititia natura à bile, & à coagulo potest aliquam acquirere caliditatem, quæ ex frigidis admixtis potest corrigi. Tum pro *secunda*, quod ab iis admixtis has recipit secundas qualitates serum: & frigida etiam detergunt, ut succus limonum, & aqua hordei. Tum pro *tertia*, quod non in omnibus, & semper sunt contraindicantia, & illa possunt corrigi. Tum pro *quarta*, quod patet ex dictis, quod serum per plura frigida separatur, corrigitur, & fit frigidum, aptum attemperare & corrigere frigidos morbos.

SECTIO V.

De remediis chirurgicis, quibus utuntur Dogmatici pro febrium curatione.

CHIRURGIÆ operationes, aut sunt toti communes, aut propriæ. Communes in omnibus affectibus habent locum. Propriæ in aliquibus determinatis. Communes sunt ex usu; & evacuatoriæ, aliæ sensibiliter, aliæ insensibiliter. Quæ sensibiliter, aut evacuant sanguinem, sicut venæ sectio, & cucurbitulæ scarificatæ, hirudines. Quæ evacuant alios humores à sanguine, sunt cauteria, & vesficantia. Insensibiliter evacuantia sunt cucurbitæ siccæ, picationes, frictiones, vincula, & lotiones, de quibus sub hac sectione disputandum.

RESOLUTIO PRIMA.

Utrum venæ sectio sit commune remedium pro omni febre humorali.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi ex Helmontio & Paracelsistis.

SUb Chirurgiæ operationibus, prima occurrit venæ sectio, apud Dogmaticos omnium remediorum maximum, de quo egimus *tom. 1. Resolut. p. 4. disp. 1. in* A *Appendice ad hanc disputationem, & p. 3. disp. 1.* Primus Paracelsus negans humores, negat illorum evacuationem: sed majori conatu Vanhelmont recedens à ratione & Rationalium Schola, *lib. de febribus, cap. 4.* contendit exterminare hoc remedium ab usu Medentium, & à febrium curatione. Tum *primò*, quia nunquam est indicatum tale remedium. Nam ex Dogmaticis indicatur à sanguinis plenitudine. Hæc nunquam est possibilis, quia petit fieri ex solo cruore, B seu sanguine: hic verò continuò consumitur pro nutritione omnium partium. Ergo nequit fieri ex illo abundantia, aut plenitudo, à qua indicetur sanguinis missio. Tum *secundò*, quia cruor semper est naturalis; & tantùm petit expelli ex corpore, quod est illi præter naturam, quod ut tale indicat sui ablationem. Ergo à cruore non indicatur ejus evacuatio. Tum *tertiò*, quia reliqui humores, etiamsi sint causa febrium, nequeunt sanguinis missione evacuari, C quia non continentur in venis, sed in aliis propriis receptaculis, ut in liene melancholia, bilis in vessicula fellis. Tum *quartò*, quia ex Paracelso, febres fiunt ex sale, sulphure, & mercurio, sicut reliqui morbi. Ergo frustra tentatur curatio per sanguinis missionem.

Reliqui Sectarum Medicinæ Professores, humores admittunt in corpore, & febres ab illis alteratis oriri, curarique per sanguinis missionem, quam Metho- D dici admittunt tanquam remedium laxans, utile pro morbis in adstrictione curandis. Empirici admittunt sanguinis missionem, quam ab experientia didicerunt utilem pro febribus & aliis morbis expertam. Dogmatici, Rationalesque Medici admittunt sanguinis missionem, tanquam remedium in febribus, & aliis morbis utilissimum, indicatum ob varios fines ad revellendum, derivandum, & evacuandum humores foventes febres, qui massam sanguinariam componunt, & adimplent, ut tenet Galenus *lib. 9.* E *Methodi, cap. 11. §. Clarum autem est, inquam, sanguinem sectâ venâ fovere. Quia verò massam sanguinis utraque bile & pituita cum sanguine proprio componi asserunt omnes, quod evidenter manifestatur ad sensum.* Ex vetustioribus demonstratur ad sensum percipi omnes humores in massa sanguinaria, sanguine ex venis extracto: aliter etiam extracto sanguine, scissa arteriâ, quod communiter usitatum apud Ægyptios, ut tenet

Prospe

Prosperus Alpinus *lib.* 2. *de Medicina Ægyptiorum*, *cap.* 11. & 12. Apud Europæos omissum est hoc auxilium, ob incommoda quæ sequuntur ex illo, venæque sectione communi utuntur assensu. Alii nimis religiosè determinatas eligunt venas. Alii ferè sine illarum delectu, aut discrimine, sanguinem mittunt, judicantes quamcunque venæ sectionem esse æquè utilem in quovis morbo, & in febrium curatione, forsan Hippocrati adhærentes, qui *lib. de locis in homine*, tenet quod *consensus unus, & conspiratio omnium*: & Galenus *lib.* 2. *acutorum*, tenet totum corpus posse evacuari ex quavis vena aperta. Trallianus *lib.* 1. *cap.* 17. inquit: *Nihil minus juvabis, si ex quacumque parte sanguinem emiseris.* Et Vesalius asserit, quod *omnes venæ una sunt vena.*

§. II.

Pro febribus humoralibus venæ sectio præstantissimum remedium est.

Resolvendum *primò*, quod venæ sectio pro curatione febrium humoralium inter Dogmaticos est præstantissimum remedium. Sic sancivimus *tom.* 1. *p.* 1. *disp.* 4.

Probatur ex Galeno *lib.* 11. *Methodi*, *cap.* 15. *§. Saluberrimum autem, ut prædiximus, est in omnibus febribus sanguinem mittere, non continuis modò, verùm etiam in aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, ubi præsertim nec ætas, nec vires prohibent.* Et *lib.* 4. *Meth. cap.* 6. *§. Quod si redundans succi concursus non adsit, ad ipsam sanguinis missionem interdum est confugiendum.* Et *lib.* 8. *Method.* etsi non sint signa plenitudinis, mittit sanguinem. Et Celsus *lib.* 2. *cap.* 10. inquit: *At si copiâ sui malè habet, vel corrupta est, nullo modo meliùs succurritur, quàm scilicet sanguinis missione.* Avicenna *fen.* 1. 4. *cap. de phlebotomia*, inquit: *Et unus duorum debet phlebotomari, &c.* ubi & in plenitudine, & in vitio sanguinis mittit sanguinem. Ex quibus patet communis Dogmaticorum consensus in admittenda sanguinis missione. Tum comprobat ratio. Nam cùm febris pendeat & conservetur ex vitio sanguinis, nullo alio remedio securiùs curari potest, quàm per evacuationem, & ablationem causæ foventis, & conservantis illam.

§. III.

In febribus, & aliis morbis varii eliguntur rami venarum pro sanguine mittendo.

Resolvendum *secundò*, quod non est una determinata vena aperienda pro omnibus febribus, & earum accidentibus.

Probatur *primò*, quia non solùm secatur vena in febribus, & aliis morbis, pro deponenda plenitudine, humoribusve evacuandis; sed ob varios fines, juxta quos petunt aperiri variæ venæ, & venarum rami. Ergo ex illis diversis petunt fieri venæ sectiones diversæ. Tum patet ex Hippocrate, qui *lib.* 6. *epidem.* proponit varios fines mittendi sanguinem, dicens: *Statim revellere, derivare, renitentem cedere.* Ubi docent Commentatores varias partes aperiendi venas pro iis finibus, distantiores ad revellendum, proximas ad derivandum, patientes partes ad evacuandum. Tum *lib.* 5. *aphor.* 69. dolente parte capitis posteriore, sanguinem mittit ex vena frontis, non ex quavis parte capitis, aut corporis. Tum *lib.* 4. *acut. cap.* 73. secat in pleuritide venam lateris affecti. Tum *lib. de natura humana, comm.* 2. *text.* 6. pro coxendicis dolore, venam aperit ex eodem latere in venis exterioribus poplitis. Tum *lib.* 5. *epidem.* in principio secat venam ex utraque manu. Ergo ex variis venarum ramis petit fieri venæ sectio in febribus & aliis morbis.

Probatur *secundò*, ex Galeno *lib. de sanguinis missione*, *cap.* 16. ubi aptissimè docet, qui affectus petunt curari sanguinis missione, & per quas venas in illis exercenda sanguinis missio.

Probatur *tertiò*, ex vetustioribus Medicinæ Dogmaticæ Magistris, qui varias determinant venas, ex quibus in morbis fiat venæ sectio, ut patet ex Sorano Ephesio, qui *in Isagoge*, proponens venas secari aptas, dixit: *Incidimus in occipitio propter querelas capitis, usque ad os mensurâ quatuor digitorum ab aure, de lingua duas, de media fronte unam, de naribus unam, item de collo duas, de manibus unam, secus digitum manuum, propter inflammationem pulmonis; sub talo pedis duas, propter indignationem articulorum; de brachio tres, cephalicam scilicet, mesonem, & hepaticam.* Ergo ex veterum doctrina variæ in corpore sunt aptæ aperiri venæ.

§. IV.

Solvuntur fundamenta pro Vanhelmontio.

AD Vanhelmontii figmenta, respondetur pro *primo*, quod pugnat contra evidentiam sensuum, per quos manifestè percipimus venas per plenitudinem sanguinis repleri, & sæpe rumpi: visu, & tactu turgentes humores percipimus, & varias ex humorum repletionibus supervenire fluxiones, in quibus & superabundantes apparent humores, aliaque experimur symptomata relata à Galeno *lib. de plenitudine*: simul & per varias naturæ evacuationes in illis videtur sanguis, pituita, bilis, & melancholia, vel plures ex iis humoribus commixti apparent, ex quorum inspectione potiùs assentiendum est judicio nostrorum sensuum circa propria sua objecta, quàm Vanhelmontii imaginariis erroribus.

Tum pro *secundo*, quod licèt fiat plenitudo à sanguine, si peccat in quanto, varios parit morbos, & ipsos fovet, & sui indicat evacuationem, quatenus induit rationem causæ foventis morbum. Natura enim non solùm sanguinem nobis necessarium procreat, sed ob varia alimenta, & alias concausas sæpe pauciorem sanguinem generat, quàm qui requiritur pro corporis nutricatu; sæpe in majori quantitate, quàm quæ sibi est necessaria: & ideo quæ superabundat intra venas, plenitudinem parit.

Tum pro *tertio*, quod præter aliqua receptacula reliquorum humorum à sanguine, major pars illorum retinetur in venis sanguini commixta, vel saltem conjuncta: si humores sint sanguini commixti, adimplent massam sanguinariam, ut diximus *tom. 1. Resolut. Medicar.* si non sint commixti, fiunt cacochymi, qui ut cacochymi, ex venis petunt extrahi.

Tum pro *quarto*, quod febres humorales fiunt ex humoribus putredine, aut ustione alteratis: ideo petunt curari per illorum evacuationem. Quod autem fiant febres ex sale, sulphure, aut Mercurio, figmenta sunt Paracelsi satis ab aliis refutata, & ab ipso Helmontio contempta.

Ad admittentes, unius venæ sectionem sufficere pro omni febre, satis convincitur ex dictis, quod sunt varii fines, & indicationes mittendi sanguinem ex variis venarum ramulis.

A

RESOLVTIO SECVNDA.

Quid sit sanguinis missio, & quid illius indicans in febribus.

§. I.

Proponitur diffinitio sanguinis missionis.

RESolvendum *primò*, quod sanguinis missio est evacuatio universalis, indicata à morbo magno pendente ex vitio sanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, in subsidium ejus, in quo fit, ope artificis facta. Sic tradidimus *tom. 1. Resol. p. 4. disp. 1. sect. 4. resol. 1.*

B

§. II.

Aperitur quale sit indicans venæ sectionis.

RESolvendum *secundò*, quod morbus magnus, pendens ex vitio sanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, est indicans per se sanguinis missionis. Sic tradidimus loco nuper citato *resolut. 2. §. 3.*

C

Probatur, quod indicatio mittendi sanguinis sumatur à morbo magno: quia est remedium morbi & ut tale per se indicatur à morbo, quatenus per se primò lædit operationes; à causa, quatenus fovens morbum, mediatè lædit illas.

Probatur *secundo*, quod morbus indicans sanguinis missionem, debet esse magnus. Tum ex Hippocrate, qui *lib. de rat. vict. in morb. acutis*, ait: *In acutis morbis venam secato, si morbus sit vehemens*; idest, magnus, ut explicat Galenus *lib. 4. Methodi, cap. 6.* Tum, quia sanguinis missio est remedium magnum; & ideo nequit indicari, nisi à morbo magno.

D

Probatur *tertiò*, quod morbus magnus indicans sanguinis missionem, debet pendere ex vitio sanguinis. Nam sanguinis evacuatio juvat ut remedium, quod evacuat sanguinem: sed non juvaret evacuando solum sanguinem naturalem, & necessarium, cùm ille sit corpori necessarius. Ergo juvat ut evacuat illum aliquo vitio morbum fovente. Tum quia sanguis naturalis indicat sui conservationem, & solùm petit evacuari ut fovet morbum. Ergo ratione hujus vitii fit sanguinis missio. Tum quia licèt sanguinis missio, & purgatio conveniant in hoc, quod sint remedia magna, indicata à morbo magno, & per quæ evacuatur causa

E

causa fovens febrem; inter se tamen debeut differre penes materiam morbificam, quam evacuant. Sed purgatio evacuat reliquos humores à sanguine cacochymos, & separatos ab ejus commixtione. Ergo sanguinis missio, quæ differt à purgatione, ideò requiritur ut evacuet sanguinem, prout differt ab illis, vel prout cum illis sibi commixtis complet massam sanguinariam.

Probatur *quartò*, quod ob vitium in quanto possit sanguis fovere morbum magnum indicantem sanguinis missionem. Tum ex dictis *tom.* 1. *loco citato*, quia *lib.*4. *Methodi*, *cap.*6. docet Galenus, quod missio sanguinis fit propter plenitudinem, sicut purgatio ob alios humores redundantes. Tum quia *lib.* 9. *Methodi*, *cap.* 11. *& lib. de sanguinis missione*, docet sanguinis missionem fieri ob sanguinis redundantiam, vel aversionem humorum, dum fluunt. Tum quia morbi, qui fiunt ex plenitudine, docet Hippocrates, quod petunt curari per evacuationem humoris replentis; & ideo provenientes à sanguinis plenitudine, ab ejus sanguinis missione. Tum quia plenitudo, ut docet Galenus *lib. de plenitudine*, *lib.*2. *de natura humana*, *& lib. de sect. venæ contra Erasistratum*, *cap.*3. est duplex, alia quoad vasa, alia quoad vires, seu facultates; & in utraque gravantur vires, ita ut actiones læduntur ex magnis causatis morbis. Ergo pro utraque venæ sectio est necessaria.

Probatur *quintò*, quod vitium sanguinis in quali adhuc sine plenitudine indicet evacuationem per sanguinis missionem. Tum ut diximus *tom.* 1. *loco nuper citato*, sic docetur à Galeno *lib.*9. *Methodi*, *cap.*11. docente, quod mittendus sanguis dum ille fit inutilis, vel dum non servat exactè qualitatem, vel si nimis crescit multitudine. Ergo ex solo vitio in qualitate sumit indicationem. Tum mittit sanguinem in omni febre putrida, quod ratione solius vitii exercetur. Tum *lib.* 8. *Methodi*, *cap.* 4. admittit sanguinis missionem in diaria ex obstructione, ne transeat in putridam. Tum Avicenna *fen.*4. *lib.*1. *cap.* 20. sanguinem mittit propter multitudinem, aut propter malitiam, aut propter utrumque. Ergo etiam ob vitium in quali.

Probatur *sexto*, quod à morbo magno pendente ex vitio sanguinis in motu, indicetur sanguinis missio. Tum ex Galeno *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem*, quod sic docet: *Menodotus*

A *Empiricus in sola plethora appellata syndrome, sanguinis missionem observare consueverat. Nos autem eâ non existente, etiam venam secamus, cùm dolor vehemens hominem apprehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco expulsum, vel alius quispiam artus confractus.* Tum *lib. de sanguin. missione*, *cap.*9. inquit: *Scopi mittendi sanguinem per se primò per plenitudinem non complentur, sed suspicionem ejus, qui adhuc sit major;*
B *quia sanguis in magno morbo evacuatur, quanvis nulla plenitudinis nota sit.* Ergo sine plenitudine ex solo motu. Tum confirmat cadens ab alto, in quo ne sanguis confluat in aliquam partem, aut quò non oportet vergat, revellere docet Hippocrates, quod missione sanguinis completur. Tum ad quamcunque determinatam partem sanguis moveatur, revellendum per sanguinis missionem, ad vitandum morbum, qui timetur ex confluente sanguine in illam. Ergo à morbo
C magno, qui timetur ex sanguinis motu in quamcunque partem, ratione motus indicatur sanguinis missio.

§. III.

In omni febre putrida indicatur sanguinis missio, & quare.

Resolvendum *tertiò*, quod in omni febre putrida, in qua humor putrescens est sanguis, aut alter humor sanguini commixtus, cùm ille sit pars massæ
D sanguinariæ, fit sanguinis vitium in quali, & indicatur sanguinis missio.

Pro majori intelligentia notandum, quod sancivimus *tom.*1. *Resolut. Medic.* agentes de cacochymia, ubi determinavimus, quod humores alii à sanguine intra venas dupliciter possunt reperiri: uno modo sanguini commixti, & sic ex illis, & sanguine fit massa sanguinaria, quæ sanguinis etiam nomen retinet, & tunc putredo cujuslibet humoris commixti sanguini dicitur vitium sanguinis,
E quia est vitium ejus humoris, qui est sanguini commixtus, & sic tanquam pars illius adimplet massam sanguinariam dictam sanguinem; illam enim complet & adintegrat, quatenus illa nihil aliud est, quàm sanguis, & reliqui alii humores illi commixti.

Alio modo possunt reperiri alii humores à sanguine quarto humore diversi intra venas existentes cum illo; sed non commixti, sed separati ab ejus unione, & commixtione, & supernatantes. Sic

nata

nata cum lacte in vase, aut potest reperiri commixta cum reliquis substantiis lactis, cum sero, & caseo; & ut commixta & unita reliquis, sub lactis nomine comprehenditur. Si verò separetur à commixtione, supernatat; & tunc jam non dicitur lac, sed nata, licèt intra idem vas sit, & cum reliquis lactis substantiis: similiter humor, qui sanguini commixtus adimplet & componit massam sanguinariam, sanguis vocatur; quia est pars sanguinis, seu massæ sanguinariæ. Si autem separetur à tali commixtione, licèt remaneat intra vasa cum sanguine, jam non est pars sanguinis, seu massæ sanguinariæ, sed supernatat, & dicitur cacochymus, & ejus vitium non dicitur vitium sanguinis, sed cacochymia bilis, pituitæ, aut melancholiæ; nec ut sic indicat sanguinis missionem, sed purgationem. Ideo in principiis febrium humoralium, licèt bilis, aut alii humores à sanguine putrefiant, mittimus sanguinem, donec separentur, sive per coctionem, post quam illos purgamus regulariter; sive ob alias causas, ut turgentiam, urgentiamve, de quibus plura demonstravimus *tom. 1. Resol.* quidquid reclament scioli contra hanc doctrinam à me primò dilucidatam.

Probatur *primò*, quod in febribus putridis indicetur sanguinis missio: sic enim recepimus ab Hippocrate, Galeno, Avicenna & reliquis Dogmaticis. Præcipuè ex Galeno 1. *Method. cap.14. §. Quippe si vires ejus qui ex putredine humorum febricitat, sunt valentes, mittendus statim sanguis est.* Et *cap. 15. Qui febricitant, si valentes viribus sint omnibus, sanguinem ab ustis mittes.* Et paulò infrà: *Saluberrimum in omnibus febribus est sanguinem mittere.* Et *lib.9. Methodi, cap.11. Memineris verò mihi ad ea quæ dicenda sunt, in quorum causa venæ sectio petitur: nam quoniam hac sanguinis evacuandi gratiâ adhibetur, sanguis autem utilis naturæ est, utique hanc probè administrare convenit, sic ut quod inutile naturæ est, emittat: fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam, vel cùm propriam qualitatem ad unguem non servat, nec ampliùs, sicut priùs, dum utilis erat, nutrire potest: vel ita multitudine erevit, ut aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, vel distendat, vel findat, vel obstruat, &c.*

Probatur *secundò*, quod ab humore putrescente sanguini commixto fiat vitium in sanguine indicans venæ sectionem. Tum quia ab illo ut putrescente, & præternaturali iodicatur evacuatio, non per purgationem, quia non est separatus à sanguinis commixtione, nec cacochymus. Ergo per venæ sectionem. Tum quia, ut putrescens fovet febrem, & petit evacuari, ut ipsa curetur. Tum quia idem humor per coctionem separatus à sanguinis commixtione, petit evacuari purgatione. Ergo nondum separatus sanguinis missione, cùm jam sit præternaturalis. Tum quia nondum separatus à sanguine, non cedit purgaoti pharmaco, quia retinetur ob ejus commixtionem. Ergo venæ sectione evacuandus.

RESOLUTIO TERTIA.

Utrum sanguinis missio possit intendere putredinem, & febrem.

§. I.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

Videtur quod non. Nam sanguinis missio confert in omni febre putrida, ut levata natura concoquat, quod concoqui est habile; & excernat, quod petit excerni. Ergo nequit augere putredinem, nec intendere febrem. Probatur antecedens, ex Galeno *lib. 9. Methodi, cap.15.* ubi inquit: *Saluberrimum, ut prædiximus, est in omnibus febribus sanguinem mittere, non continuis modò, verùm etiam in aliis omnibus, quas putrescens concitat humor: levata namque, quæ corpus nostrum regit natura, quod concoqui est habile, concoquit; & excernit quod petit excerni.* Ergò in omni febre putrida confert sanguinis missio, & remittit putredinem.

§. II.

Viribus essentialiter collapsis, sanguinis missio intendit putredinem, & febrem.

Resolvendum, quod si vires sunt debiles per essentiam, sanguinis missio in febribus putridis auget putredinem, & intendit febrem.

Probatur. Tum *primò* ex Avicenna *fen.4. 1. cap. 2. §. Ampliùs phlebotomia multoties commovet febres, & hujusmodi febres resolvunt putrefactionem.* Gentilis inquit, *quod non est inconveniens diverso modo phlebotomiam & auferre, & augere putredinem, si fiat debitè, aut indebitè*: id est, cum consensu, aut dissensu virium.

Tum *secundò*, idem Gentilis *fen.* 1.4. *tract.* 2. *cap.* 58. *§. Quoties videris urinam grossiorem, in comm.* observat, quod in debili calore, si fiat phlebotomia, pervenit æger ad mortem ob phlebotomiam.

Tum *tertiò*, patet ratione. Coctio fit à calore, tum proprio, tum naturali, ex Aristotele: Sed per sanguinis missionem resolvuntur spiritus, & naturalis calor concoquens, per quem natura, licèt debilis, aggreditur coctionem, imminuitur, & desinit concoquere. Ergo naturâ refractâ per sanguinis missionem, ac deficiente, augebitur putredo, & febris.

§. III.

Solvitur ratio dubitandi primò posita.

AD rationem dubitandi respondetur, quod cùm coctio fiat à calore naturali, si ille remittitur, quia opprimitur à sarcina humoris, fit debilis per aggravationem, & à præternaturali fit putredo, & febris intenditur, & tunc levatâ naturâ per sanguinis missionem, intenditur naturalis calor, & concoquit, quod concoqui est habile; & excernit natura, quod petit excerni. Dum verò calor fit debilis per essentiam, & præternaturalis calor causat putredinem, si fit sanguinis missio, spiritibus imminutis, & nativo calore, qui fovetur ab illis, potentior fit putredinalis calor, augetur putredo, & intenditur febris.

Resolutio Quarta.

Utrum ab intensiori febrili calore contraindicetur sanguinis missio?

§. I.

Aperitur ratio dubitandi: fulcitur pars negativa.

CAlor est qualitas valens congregare homogenea, & disgregare heterogenea. In viventibus commune instrumentum est pro eorum incremento, & conservatione. In homine ab intensione, aut causa varias sortitur denominationes, & agendi vires. Moderatus viventis calor induit rationem naturalis dispositionis, & conservativæ: immoderatus fit præternaturalis, & corruptivus. Moderatus, si oriatur pullulans ex nativo temperamento substantifico, dicitur calor innatus; si communicetur ab spiritibus, vocatur influens; si ex utroque coalescit & fit temperatus, dicitur A actuatus, & uterque nobis est naturalis, & instrumentum conservativum vitæ; si excedat ultra naturalem, fit præternaturalis, morbosus, ac febrilis. Ab hoc læduntur operationes naturales, invertitur temperamentum naturale per, igneitatem, & fit febris hectica: uruntur, aut putrescunt spiritus, & fit diaria: uruntur, putrescunt, aut corrumpuntur humores, & fit febris humoralis. Hæ autem, aut ex humorum corruptione, B aut putredine intra venas illis supervenientе, aut dum extra venas confluunt, & inflammatione superveniente putrescunt, febres causantur: & de iis præcipuè putrescentibus, & ratione putredinis augentibus febrem, inquirimus an febrium intensio ita necessariò sequatur à præternaturali calore, ut semper proveniat ab illo solo ex putredine orto, & indicet sanguinis missionem; an simul possit intensio oriri ab spiritibus vitalibus coadunatis, qui renuant venæ C sectionem.

Videtur, quod ab intensiori calore in febribus putridis nunquam valeat contraindicari sanguinis missio. Nam sanguinis missio est remedium evacnans putrescentem humorem foventem febrem: est attemperans præternaturalem calorem augentem putredinem: est à quo levata natura, concoquit quod concoqui est habile; & excernit, quod petit excerni: est ex cujus attemperatione naturalis calor fit potens ad coquendum, & ut faciat cessare putredinem. Ergo D sanguinis missio ab intensione febris nequit contraindicari.

§. II.

Si febris intenditur ustione, aut putredine, quid dicendum.

REsolvendum *primò*, quod si febrilis calor fit intensior ustione, aut putredine, ab ejus intensione non contraindicatur sanguinis missio.

In tomo quarto tres proposuimus al- E terationes, per quas in mixtis, & in nostro corpore intenditur calor, ustionem, putredinem, & fermentationem. Dum calor in febribus humoralibus intenditur ustione, aut putredine, fit omninò præternaturalis ex parte causæ, ex parte finis, & ratione intensionis: & ideo non contraindicat sanguinis missionem, si vires permittant.

Probatur. Calor febrilis ustione, aut putre

putredine adauctus, per se, & per accidens indicat missionem sanguinis. Ergo nullo modo valet illam contraindicare.

Probatur antecedens; nam calor, ut febrilis, & præternaturalis, cùm sit præter naturam, in quacumque intensione per se indicat sui ablationem, prout est morbus lædens operationes. Ratione ustionis, & putredinis, per quam fovet febrem humor faciens febrem, per accidens indicat sui ablationem. Ergo ratione intensionis in utraque febre indicatur venæ sectio. Tum patet antecedens per omnes rationes, per quas probavimus partem negativam.

§. III.

Ratione febrilis intensi caloris à fermentatione potest contraindicari sanguinis missio.

Resolvendum *secundò*, quod si febrilis calor fiat intensior à calore per fermentationem supervenientе, ab ejus intensione contraindicatur sanguinis missio.

Probatur Resolutio. Fermentatio est actio naturalis, & perfectiva rei, quæ fermentatur. Sed per sanguinis missionem, ea quæ supervenit cum ustione, aut putredine complicata, imminutis spiritibus, & nativo calore, à quo excitatur, per sanguinis missionem remittitur, & impeditur. Ergo sanguinis missio contraindicatur, dum calor febrilis intenditur per illam. Probatur major. Tum ex dictis à nobis *tom.4.sect.2.* Tum ex ejus diffinitione ibidem adducta, *resolut.1. §.4.* Est enim fermentatio commotio partium materialium elementorum, quæ quasi compactæ erant, dum ab igneo calore effervescentes, extenuatæ extenduntur, & elevantur in perfectionem rei fermentatæ. Tum comprobatur ex Hodego à Giesvvein *part. 3.* ubi inquit, quod fermentantia dicuntur, quæ ob insitam fermentandi vim crescere rem aliquam, aut intumescere faciunt; idque rarefaciendo, & resolvendo: quæ actio necessariò sanguinis missione debet impediri. Tum patet in panificio, in cervisia, in vini fermentatione, quæ per illam perficiuntur in suo esse naturali; & impeditæ à frigore, remittuntur, & imperfectæ manent. Tum apparet in inflammatione partium, in qua contentus humor putrescit, & si nequit exterminari, natura in subsidium unit proprium calorem partis, mittit in

A illam spiritus vitales, à quibus fit pulsatio simul; & ex superaddito illo calore, fit fermentatio, à qua dolores, & febres accidunt; & natura fermentatum humorem resolvit, aut concoquit, & suâ acrimoniâ humor corrodit, & rumpit abscessum: quæ actiones ordinatæ ad conservationem partium, non debent impediri sanguinis missione, post superadditam fermentationem, quia partis conservationi sunt ordinatæ. Tum idem convincitur in crisi perfecta, dum humor est coctus, & regulatus: si enim nequit à natura resolvi, ipsa superaddit fermentationem, per quam materia morbifica attenuatur, tumescit, naturam irritat, & commovet ad expulsionem humoris; & illam consequitur, si non impediatur, imminuta fermentatione sanguinis missione, aut aliis remediis: ideo Hippocrates dum sic rectè operatur, consulit, *nec movere, nec novare, sed sinere oportet.* Tum in statu, dum cocta est materia morbifica, coctio facit cessare putredinem; & ideo ratione putredinis benignior est dispositio, sed superadditur vehementior febris, non à putredine jam remissa, sed à naturæ conatu, quæ unit calorem ad fermentationem, per quam humores disponuntur ad expulsionem: quo tempore si fiat sanguinis missio, non levatur putredo, quæ jam est remissa: & si remittatur fermentatio orta à proprio & spirituum calore, impeditur actio naturæ conantis morbum terminare per adauctum calorem fermentationis. Tum apparet, naturam non solùm pro morbis debellandis in homine suos spiritus commovere, calorem unire, & intendere; sed intra salutem, pro suis obeundis animæ passionibus, & in animalibus, & in vegetabilibus, apparet quod in animæ passionibus in ipsa sanitate spiritus commoventur, aggregantur, calefaciunt, fermentant, & calorem intendunt pro exequendis animæ passionibus, & ad operandum juxta earum exigentiam; & sine passionibus in somno retrahit natura calorem ad partes internas; & in vigilia expandit ad externas, & post cibum ad ventriculum: in hieme ventres fiunt calidiores, ut plurimo alimento utantur: similiter in plantis suæ fiunt fermentationes, & & in arboribus vigorando calorem in hieme in radicibus; in vere in ramis, & partibus exterioribus, ut fructus & virescant & maturentur; ita ut si hæ fermentationes impediantur, horum om-

nium actiones interturbantur. Ergo A multò magis actiones & fermentationes, quæ à natura tentantur pro morborum curatione, petunt non interturbari ab arte.

§. IV.

Solvuntur rationes dubitandi primò propositæ.

AD rationes dubitandi respondetur, quod intensio in febribus humoralibus fit dupliciter. Uno modo ex parte B causæ morbificæ, ratione intensionis ustionis, aut putredinis. Alio modo ratione caloris orti ex fermentatione, quæ supervenit in illis. Et hujusmodi intensio febris contraindicat sanguinis missionem, quia hæc intensio provenit à calore proprio, & influente viventis, & à natura roborata ad vincendum morbum, quo diminuto sanguinis missione, cessat fermentatio per quam natura tentat febris terminationem; & ut in plurimum ab ustione, & putredine fit inten- C sio caloris in principio, & augmento in morbo salubri: fermentatio magis in vigore.

RESOLUTIO QUINTA.

Utrum ex determinata vena mittendus sanguis pro febribus.

§. I.

Quæ vena aperienda, & quot attendantur in corpore aptæ pro venæ sectione.

IN tom. 1. Resolut. Medic. in Appendice de sanguinis missione, disputavimus quæ conferunt pro bujus intelligentia: aliqua subministrabimus in hac Resolutione. Paulò ante proposuimus venas, quas vetustiores proponebant pro venæ sectione. Cum junioribus idem prosequimur cum majori claritate. Sunt tres regiones in corpore humano, intra quas venæ aperiuntur. Prima est earum par- E tium, quæ supra collum resident: Secunda continet omnes partes, quæ sunt inter collum, & renes: Tertia regio dicitur, quæ à renibus usque ad imum pedum porrigitur. Quod deduximus ex Galeno *lib. de curandi ratione per sang. missionem, & lib. 6. Epid. comm. 1. & lib. 13. Method. cap. 13. & de venæ sect. adversf. Erasistratum, cap. 18.* & ex Hippocrate *lib. de natura humana*: simulque & recepimus à junioribus, quod varii rami venarum scinduntur pro sanguine mittendo in morbis in prædictis corporis regionibus, ut protulimus *sect. 2. Appendicis, resolut. 6.* Phlebotomantur enim occipitalis vena in occipitio; fusana, seu recta in fronte; temporales duæ in temporibus; duæ angulares in angulis oculorum; duæ parotides in externa auricularum parte; duæ aborides in interna parte auricularum; una phrenitica in narium extremitate; duæ solares intra narium cavitates; quatuor in labiis; duæ stanguriæ majores in superiori, duæ minores in inferiori; duæ leonicæ sub lingua; duæ organicæ in collo.

Sub regione media phlemotomantur venæ decem; in brachiis, in unoquoque quinque; tres in brachii flexura, superior cephalica, inferior basilica, media communis dicitur. Aperitur alia carpalis in carpo manus: alia in manu inter digitum medium, & annularem, quæ in dextra manu dicitur salvatella, in sinistra splenetica. Præter has alia est humeralis, quæ scinditur in humero: & est ramus, à quo inferiores progrediuntur.

In regione infra renes octo venæ phlebotomantur: duæ sub genu in cruribus: quatuor in pede, dictæ saphenæ in parte interna malleoli, dictæ ab aliis virginales uterinæ: aliæ duæ in externa parte circa malleolum, quæ vocantur sciaticæ: duæ aliæ dicuntur emperci- D pes, quæ in parte pedis superna terminantur ad digitum majorem. De iis omnibus dubitatur, an fieri possit venæ sectio pro febribus curandis. Aperiuntur etiam pro sanguine mittendo, qui redundat vel in toto, vel in liene, venæ hæmorrhoïdales, quarum apertio maximè fit per sanguisugas.

§. II.

In omni vena sectione potest deponi plenitudo.

RESolvendum *primò*, quod si in febribus detur indicatio deponendi plenitudinem, sufficiet venæ sectio ex quavis vena ex annumeratis; sed potiùs consequetur per venas ampliores.

Probatur. Tum quia omnes venæ una sunt vena, ut diximus cum Vesalio. Tum quia per cujuslibet ramuli apertionem, tota massa sanguinis profunditur. Tum quia omnes rami venarum apti phlebotomari, sunt rami venæ cavæ ascenden

cendentis, aut descendentis, quæ inter se coëunt, consentiunt, & ab eadem origine ramificantur. Ergo ex qualibet aperta vena, aufertur plenitudo, & extrahi potest totus sanguis, qui in venis & arteriis cum venis coëuntibus continetur.

§. III.

Si locus putredinis sit in secunda corporis regione, sanguinis missio petit fieri ex brachio.

RESolvendum *secundò*, quod si febris provenit ex putredine humorum, qui habent focum putredinis intra mediam regionem, sanguinis missio evacuatoria petit fieri ex brachiis.

Probatur *primò* ex Galeno *lib. 9. Method. cap. 15.* qui docet in omni febre putrida convenire sanguinis missionem, ut levata natura concoquat quod concoqui est habile, & excernat quod petit excerni: Sed petit excerni quod majori ex parte, & in majori quantitate putrescit, & febres fovet, quod in venis majoribus, & amplioribus, quæ sunt in media corporis cavitate maximè dispersæ, continetur. Ergo ex venis brachii, quæ sunt ampliores, debet sanguis mitti. Probatur minor ex Galeno *lib. 11. Methodi, cap. 4. §. Quoniam putredo, vel æqualiter in omnibus subsistit vasis, vel in maximis, maximéque principalibus: ea porrò sunt inter alas, & inguina.*

Probatur *secundò* à nobis in Appendice de sanguinis missione, *tom. 1. in disput. Apologetica contra quendam Bombilium:* ubi demonstravimus locum mittendi sanguinem in febribus.

§. IV.

Ratione foci putredinis, variatur mittendi sanguinem in febribus locus.

RESolvendum *tertiò*, quod in febribus, si sit locus putredinis in partibus regionis ventris, vena secanda ex venis inferioribus habentibus majorem communicationem cum partibus, in quibus fit putredo.

Probatur *primò*. Si non fiat sanguinis missio ex venis communicantibus cum foco putredinis, nullum sequitur commodum, immò maximum damnum. Ergo aperiendæ venæ quæ communicant cum foco putredinis. Probatur antecedens ex Galen. *lib. de sang. missione, cap. 5. §. Nam si venas, quæ nihil parti*

A *affectæ communicant, incideris, nec parti affectæ medeberis, & sanam semper offendes.*

Probatur *secundò* ex communi usu Medentium, qui si in liene, aut mesenterio, aut pancreis, inferiorisve ventris partibus cognoscant focum putredinis, ut in febribus lacteis, & illarum partium inflammationibus, sanguisugas applicant in venis hæmorrhoïdarum habentibus majorem communicationem cum foco putredinis illarum febrium: si in utero

B fiat focus putredinis, sanguinem mittunt ex venæ cavæ descendentis ramis, qui magis communicant cum illo. Ergo attenta indicatione à foco putredinis in febribus pendentibus ab humoribus putrescentibus in tertia regione, ex parte propinquiori mittendus sanguis.

§. V.

Si ex vena cava ascendente fovetur morbus causans febrem, evacuandum ex brachio.

C

RESolvendum *quartò*, quod si in partibus supernis primæ regionis fit morbus qui fovetur ex succis transmissis ex vena cava ascendente, qualis est phrenitis, tentanda fluxu irruente, revulsio ex venis brachii, nisi ex refluente menstruo, aut hæmorrhoïdali sanguine foveatur affectus, tanquam à prima origine.

Probatur *primò* ex Hippocrate *lib. 3. epidem. in historia famulæ Strimargi,*

D ubi docet, pro mittendo sanguine deveniendum esse ad causam, & causæ originem. Ergo si origo fluxionis sit ab inferiori ventre, ad illum tentanda sanguinis missio revulsiva.

Probatur *secundò*: Revulsio petit fieri ex venis distantioribus à parte affecta, & habentibus majorem communicationem cum illa: Sed in febribus iis, si ex cava ascendente tantùm foveatur, major est rectitudo & distantia cum vena cava

E fovente, & ab illa ex brachio tentanda revulsio: si verò quasi à prima origine foveatur à partibus infernis, urget necessitas deveniendi ad causæ originem: Ergo juxta illam, vel à cava ascendente, vel à causa primò mittente in illam desumenda indicatio sanguinis mittendi. Probatur major ex Hippocrate, qui ob majorem rectitudinem cum parte affecta in dolore posteriori capitis venam aperit in fronte. Tum ex Galeno *lib. 2. de ratione victus, text. 10.* ubi ait: *Nos partem*

tem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis, in acutis præsertim morbis, vacuare contendimus; quod sanè fit internâ cubiti sectâ venâ, multoque magis ubi sanguinis redundantia ad superiora vergere videtur. Ubi revulsionem docet ex brachii venis. Tum *cap.* 16. inquit: *Quocirca quæ in gutture arteria gravi torquetur inflammatione, in principio quidem secta vena cubiti, post principium sub ipsa lingua prodest.* Ubi pro tertiæ regionis morbis ex brachio revulsionem, sub lingua evacuationem communiter fieri debere docet: nec neganda ab inferiori regione revulsio, si ab illa ad secundam foveatur fluxio.

A

B

Probatur *tertiò*: Sufficit ad revulsionem retractio fluentis humoris versus originem, à qua transmittitur: Ergo dum fluxio ad primam regionem fit ex venis secundæ regionis, ex brachii venis; dum à partibus inferioribus transmittitur primò in illas, ex inferioris regionis venis petit fieri attractio, & revulsio. Probatur ex Galeno *lib.* 2. *epidem. comm.* 2. dicente: *Eorum etiam quæ superiàs sunt, si inter se conferantur, aliqua magis supra sunt, aliqua minùs: nobis verò est consuetudo in omnibus ita dictis, quod quæ superiùs sunt, ipsa comparantes, ea superiùs esse dicimus, ac propter hujusmodi loquutionis incuriam consuetudine longinqua confirmatam, nobis ambiguitas quædam in sermonibus exorta est.* Ex quibus constat, quod à prima, & à secunda regione fit revulsio fluxionis in primam.

C

D

§. VI.

Quæcumque febris, aut intemperies, quæ in capite fovetur ex ventre, ab infernis venis petit venæ sectionem.

RESolvendum *quintò*, quod morbum in suprema regione, qui fovetur ab humoribus refluentibus à cava descendente, curat venæ sectio pedum.

Probatur ex Hippocrate *lib.* 2. *de morb. mulier.* ubi in retentis menstruis, si refluant ad hepar, ad cor, aut cerebrum, ex talo mittit sanguinem. Tum, natura transmissos hos humores ab infernis ad supernas partes, dum debitè operatur, refluit in hæmorrhoïdas, aut menstrua, quod petit à Medico imitari. Tum Hippocrates 6. *epidem.* in insanientibus, si varices, aut hæmorrhoïdes superveniant, docet quod solvunt morbum. Tum Galenus id docet *lib. de rigore*, §. *Quod autem redundante sanguine, fit detrahendus sanguis, censeo cuivis esse expertum, cùm à venis sanguis complectatur: quod verò ex pede, aut poplite, in utero affectis, ex anatome venarum communionem prius doceam, aliàs rem assequi non possis.* Ergo ex infernis venis mittendus sanguis, si fovetur morbus ex illis.

E

RESOLVTIO SEXTA.

Utrum venæ sectio in prægnantibus pro febrium curatione debeat exerceri.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & pars negativa fulcitur.

LOquimur de febribus putridis, aut ex inflammatione ortis, in quibus docet Galenus, quod in omnibus convenit sanguinis missio, *in lib. Method.* Sed cùm *lib. de sanguin. missione*, doceat quod petit exerceri sanguinis missio dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium, manet sub dubio, an sanguinis missio indicata à febribus, in prægnantibus valeat impediri ratione fœtus.

Pars negativa videtur suaderi. Primò, quia remedium valens causare aborsum, non solùm prohibetur jure divino, & humano, sed ab ipso Hippocrate: sub jurejurando enim promittit, quod nec faciet aborsum, nec ad id præstabit consilium: Sed ipse Hippocrates in aphoristica sententia docet, quod sanguinis missio est remedium aborsum faciens, dicens: *Utero gerens sanguine misso abortit.* Tum Galenus *in commentario*, tradit causam; quia sanguinis missio aufert alimentum necessarium pro nutricatu fœtus: Ergo in nulla prægnante potest exerceri venæ sectio, licèt indicetur à febre.

Secundò, in prægnantibus, quæ debita fruuntur valetudine, adhùc ratione conservationis fœtus indicata venæ sectio impeditur ob varias causas. Ergo simili modo quæ indicatur à febre matris. Probatur antecedens ob Altomari. Tum *primò*, quia quod per se efficit aborsum, nequit præservare ab illo: Sed venæ sectio facit aborsum, ex Hippocrate 5. *aph.* 31. Ergo nequit ab eo præservare. Tum *secundò*, ex Galeno *in comment.* fœtus destruitur defectu alimenti extracti per venæ sectionem. Ergo ab illa non præser

præservatur. Tum *tertiò*, ex Galeno 5. *aphor.* 31. & 37. Venæ sectio pro fœtu causat inediam: Sed hæc causat abortum: Ergo non est utilis pro fœtus conservatione. Tum *quartò* Galenus 5. *aphorism.* docet fieri aborsum fluxu ventris, à quo fit evacuatio aliorum humorum à sanguine. Ergo multò meliùs per venæ sectionem evacuantem sanguinem. Tum *quintò* Præservatio fœtus fit per ablationem causæ nocentis, cui sanguinis missio non opponitur, cùm sanguis sit utilis pro alendo fœtu. Ergo non est utilis pro ejus conservatione. Tum *sextò*, sicut in primis mensibus nocet venæ sectio humorum agitatione; sic in reliquis alimoniæ ablatione. Tum *septimò*, si venæ sectio esset conservativa fœtus, esset tradita pro illo conservando à Classicis Authoribus. Sed à nullo consulitur. Ergo quia est inutilis.

Tertiò: Prægnantium morbi, cùm à fœtu & matre utilis sanguis consumatur pro nutritione, ab alio causantur humore quàm à sanguine; unde humor fovens morbum est alienus à sanguine, & cacochymus. Ergo potiùs petit evacuari per purgationem, quàm per venæ sectionem.

Quartò, nullæ venæ possunt secari in prægnantibus sine periculo abortus. Ergo etiamsi febricitent, non debent phlebotomari. Probatur antecedens de venis pedum, de quibus *lib.* 1. *de morb.* docet Hippocrates, quod si phlebotomentur, movent fœtum in parturientibus. Tum patet de venis brachii, de quibus patet, præcipuè de basilica, non esse aperiendam, quia abortum provocat, ut tenent Castro, Sanctacruz, Augenius, Sennertus, & alii plurimi: & eadem currit ratio de proximis, quæ proveniunt ab eodem ramo. Ergo ex nulla sine metu aborsus fieri potest phlebotomia in prægnantibus.

§. II.

Sanguinis missio sine omni febre valet fieri in prægnantibus.

RESolvendum *primò*, quod in prægnantibus sine omni febre convenit sanguinis missio sæpe ad vitandum aborsum. Sic sancivit Moxius *de curand. rat. per venæ sectionem*, *lib.* 2. *cap.* 27. & nos diximus *p.* 4. *Resol. Medic. disp.* 1. *sect.* 6. *resol. ult.* §. 3. Petrus Salius *lib. de morb. part. cap.* 22. ex novissimis Scialoya cum solita eruditione, citans Mercatum *tom.* 3. *in lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 2. Sanctacruz *lib.* 1. *de impedim. mag. aux. cap.* 21. Fernelium *lib.* 2. *Meth. cap.* 12. Vallesium *lib.* 4. *Epidem. comm.* 9. Sennertum & alios.

Probatur *primò* ex Averroë *lib.* 7. *collig. cap.* 4. ubi inquit: *Ego autem dico, quod phlebotomia, quando adest repletio, qua embrio non indiget, non est mala*, &c.

Probatur *secundò* ratione ex Hippocrate. Morbi qui ex repletione nascuntur, petunt curari evacuatione. Sed plures contigit videre fœtus mortuos exire tumidos, humoribus suffocatos: matrem post primos menses solitam abortire post multa signa plenitudinis, redundantisque sanguinis in illa, juxta sanguineam ejus temperiem, ingluviem, & alias causas plenitudinem foventes. Ex quibus convincitur, fœtum plenitudine fuisse suffocatum. Ergo cùm in ipso nequeat fieri evacuatio, exercenda est in matre, à qua fovetur ejus periculum, etiamsi ipsa non febricitet.

Probatur *tertiò* ab experientia, quæ nos docet, plures fœminas semper abortire solitas, liberatas fuisse ab aborsu, sanguine misso in illis sine febre, aut alio morbo: quod idem observationibus confirmant Forestus *tom.* 4. *lib.* 28. *observ.* 67. Augenius *lib.* 6. *de sang. missione, cap.* 11. 14. 16. Observatione etiam confirmat loco nuper citato Scialoya in prægnante, in qua venæ sectione sæpe repetita ex brachio, liberata fuit ab assuetis abortibus ex plenitudine ortis. Ubi prudenter notat, tempus eligendum pro venæ sectione præservativa aborsus, juxta menses & tempus, in quibus observatur contigisse.

§. III.

Sanguinis missio ex brachio communis est pro prægnantibus febrientibus.

RESolvendum, quod sanguinem mittere ex quovis brachio, & quavis vena brachii, commune, & tutum remedium est in utero gerentibus pro curatione febrium ipsarum. Quod autem in prægnantibus sanguinis missio pro febribus curandis fit utilis ex brachio, firmat Zacutus *tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 22. & tenent citati ab illo: docuit etiam primus Medicinæ Dictator: sequuti sunt intra suam Scholam Græci, & Arabes, & inter reliquos est communis. Secundam partem Resolutionis, quod scilicet ex qualibet vena

vena brachii possit fieri venæ sectio in A prægnantibus, sancivimus *p.* 3. *disp.* 5. *sect.* 3. *resol.* 1. §. 2. *& sect.* 7. *resol.* 18. Adhæret nobis Scialoya *lib.* 1. *tract.* 2. *sect.* 3. *cap.* 6. deducitur etiam ex Sanctorio, Primerosio, Zacuto, & ex communi Anatome.

Probatur *prima pars*, quod ob febres putridas, & alios morbos curandos, sit sanguis mittendus in prægnantibus. Tum *primò* ex Hippocrate 1. *Epid. sect.* 2. qui Lyciam ob febrem, & alios morbos curare intendens, docet phlebotomatam B fuisse ex brachio, his verbis: *Sanata est veratri potione Lycia. Postremùm splen magnus, & dolens, & febris, & ad humerum dolores: & vena quæ in splene est, in cubito secabatur.* Tum Galenus *lib.* 3. *Epid. sect.* 2. *comm.* 8. refert Medicis mos esse secare venas in gravidis; nec omnes ob venæ sectionem abortire. Tum Celsus venæ sectionem consulit in prægnantibus, quia usus invenit hujus remedii utilitatem. Nec obstat, inquit Zacutus, quod fiat aborsus in aliquibus, quia vi C febris, non à venæ sectione provenit; ipsam enim fœtum posse occidere fatetur Galenus 5. *aphor.* 80. Tum quia ex Hippocrate 4. *aphorism.* si turget materia, purganda est, licèt timeri debeat aborsus, ad servandam matris vitam. Ergo ob eandem rationem, si timetur mors matris in febre, nisi fiat sanguinis missio, hæc debet exerceri ob conservandam vitam prægnantis. Tum Medicus est imitator naturæ in his quæ rectè operatur. Ipsa enim per sanguinis fluxum ex nari- D bus, per supervenientia menstrua, & alias sanguinis evacuationes deponit in prægnantibus plenitudines, & liberat à morbis, sive imminentibus, sive præsentibus. Ergo debet Medicus illam imitari, & sanguinem in febribus mittere. Tum experientia demonstrat, quòd febre periculosa infestatæ utero gerentes nullo alio auxilio securiùs curantur. Tum quia in prægnantibus febre acuta correptis, sanguinis missio est indicata, E quia ex Galeno in omnibus febribus putridis convenit. Sed non impeditur omninò metu aborsus, quia omnes experiuntur, quod non sequitur, nisi raro, adhuc post plurimas venæ sectiones, nisi vi febris contingat. Ergo in utero gerente exercenda. Tum constat, quod ut in plurimum debet fieri ex brachiis, quia minùs est contraindicata ratione fœtus, quàm ea quæ fit ex talo, quam pro partu & fœtu movendo utiliorem protulit, Hippocrates *lib. de morbis mulierum.* Ergo tutiùs ex vena brachii exercenda.

Probatur *secunda pars*, quod scilicet vena in prægnantibus possit secari quælibet in brachio prægnantis, sine peculiari aborsus periculo. Tum quia, primò id suadet improbabile figmentum contrariè opinantium, qui sine apparente ratione commoti sunt, mutuò sese fricantes, & sibi subscribentes. Tum quia, ut tradidimus *p.* 3. *Resolut. Medicar. disp.* 5. *sect.* 3. *resolut.* 1. & nobis assentitur Scialoya, & tenent Primerosius, & Santorellus de vitandis erroribus, & demonstrat Anatomes, vena cava ascendit à jecore per vertebras ad jugulum, à quo æqualiter fertur ad utrumque humerum, in eisque ramus qui descendit ad flexuram brachii, partitur in basilicam, humerariam, & venam mediam. Ergo ex quocunque brachio, & indifferenter ex quavis flexuræ ramo, proximè ab uno fiunt ramo remotæ omnes æqualiter distantes venæ à jecore. Ergo indifferenter à qualibet æquali securitate potest fieri venæ sectio. Tum si sequeretur ex aperta basilica aborsus, maximè quia ex sanguine evacuato per illam deficeret alimentum fœtui: Sed omnes ii rami ab eadem proximè fiunt vena. Ergo æquale foret periculum. Tum quia fœtus recipit alimentum ex vena cava descendente, cùm qua æquè remotè communicat basilica, ac duo reliqui rami. Ergo æquè remotum est periculum in horum apertione.

§. III.

Sanguinis missio etiam ex talo potest aliquando exerceri in prægnantibus febrientibus.

RESolvendum *tertiò*, quod si utero gerentis mortis periculum in febre, aut aliis morbis nequit evitari sine sanguinis missione ex talo, in ipso aperienda est vena. Sic sancivimus *Resol. Medic. p.* 4. *sect.* 6. *resol.* 13. *& in Appendice ad disp. de sang. missione, sect.* 4. *resol.* 3. §. 2. Adhæret nobis Scialoya *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 7. tenuit Zacutus *tom.* 1. *quæst.* 21. *& lib.* 1. *&* 2. *praxis admirand.* Sic & tenet Gradius *in consil. Medic.* ... Sanctacruz *de imp. mag. auxil. cap.* 21.

Probatur: Si quid obstat missioni sanguinis ex pede in gravidis, in quibus illâ omissâ, imminet vitæ periculum, maximè quia ex illa timetur aborsus: Sed

Sed hoc non omninò obstat. Ergo sanguis mittendus è pede, dum aliter vita matris nequit conservari. Probatur minor. Nam comperimus per experientiam, quod plures utero gerentes, sanguine missio ex pede in febribus, non abortiunt. Tum quia similiter est compertum, quod plures utero gerentes, conantes aborsum facere, pluries repetunt missionem sanguinis ex pedibus, & illum non consequuntur. Ergo non est omninò necessarium, quod sequatur aborsus ad sanguinis missionem ex pede.

Probatur *secundò*. Dum unica via salutis est, etiamsi desperata, tentanda est; ut didicit Galenus ex Thucydide. Sed plures sunt morbi in prægnantibus, in quibus unica est via salutis per sanguinis missionem ex pede: Ergo hæc necessariò tentanda, etsi cum periculo aliquo fiat. Probatur minor. Tum in epilepsia ex uteri inflammatione, ut probavit Tarinus, & in aliis affectionibus, quæ foventur ex uteri recursu ad partes superiores. Tum si pendet periculum ex materia in utero corrupta, aut in illo collecta. Tum si ab utero refluunt humores in jecur, cor, aut caput. Tum si accidant bubones gallici, aut pestilentes. Tum in fœtu mortuo, aut corrupto. Tum dum à plenitudine peculiari timetur fœtus suffocatio.

Probatur *tertiò*: Etiamsi esset evidens periculum fœtus per aborsum, si evidens est matris periculum, nisi fiat sanguinis missio ex talo, hæc tentanda est. Ergo imminente matris periculo, nisi fiat phlebotomia ex pede in prægnante, hæc ex talo exercenda. Probatur antecedens: Nam si mater pereat, necesse est quod pereat fœtus, & non è contra. Ergo potiùs eligendum remedium, cum quo saltem vita salvatur, quàm illud cum quo & mater, & fœtus debent perire.

§. V.

Solvuntur argumenta primò proposita.

AD *primum* argumentum respondetur, quod Hippocrates non intendit docere quod sanguinis missio indicata in febribus, vel quomodolibet in quantitate, qualitate, aut motu, non exerceatur, cùm sit remedium indicatum, & expertum. Sed quod dum fit missio sanguinis indicata à morbo pendente ex vitio sanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, sanguis non extrahatur in tanta quantitate, ut deficiat in corpore pro fœtus nutritione; quià ex hac sanguinis missione immoderata gravida abortit, præcipuè si fœtus sit grandior cui assentitur Galenus.

Ad *secundum* respondetur pro fundamentis ab Altomari adductis. Tum pro *primo*, quod venæ sectio non efficit aborsum per se, sed per accidens, ratione excedentis quantitatis, ob quam fœtui deficit alimentum necessarium pro sui alimonia. Tum pro *secundo*, quod Galenus docet, quod destruitur fœtus venæ sectione, dum fit tanta, ut non remaneat sanguis valens fœtum nutrire. Tum pro *tertiò*, quod venæ sectio moderata non causat inediam pro fœtus nutricatu, ut patet in ea quæ deponit superfluam plenitudinem; sed tantùm illa, quæ ex toto fit superflua, quam docet Hippocrates, quod est causa aborsus, & vitanda à Medicis in prægnantibus. Tum pro *quarto*, quod ventris fluxus, & quævis alia evacuatio, quæ aufert alimentum pro nutritione fœtus, facit aborsum; & idem contingit in venæ sectione, si fit immodica & valens alimentum fœtui necessarium evacuare. Tum pro *quinto*, quod sanguinis missio præservat fœtum, dum minuit plenitudinem illi noxiam, & dum minuit causam morbi, qui opponitur sanitati matris, & fœtus: nocet autem dum nimia est, & fœtui minuit alimentum, sine quo vivere nequit; non verò dum sanguinem minuit, quod vitiosum, & inutile est. Tum pro *sexto*, quod in quolibet mense nocet missio sanguinis, si auferat sanguinem necessarium pro nutritione, & augmento fœtus; non tamen si solùm deponat sanguinem, qui in quantitate, qualitate, aut motu valet morbos procreare. Tum pro *septimo*, quod sanguinis missio à Classicis Authoribus docetur & celebratur pro fœtu conservando, præcipuè in illis, qui ab ejus plenitudine aut vitio solent abortire; & experientia demonstrat quot & quanti aborsus vitentur sanguinis missione in iis quæ abortire solebant.

Ad *tertium* respondetur, quod prægnantium morbi alii fiunt ab humorum cacochymia, & ii petunt curari per purgationem; alii fiunt ex vitio sanguinis in quantitate, qualitate, & motu, & ii morbi petunt curari sanguinis missione, ut demonstravimus *tom. 1. Resolut. Medicar.*

Ad *quartum* respondetur, quod in prægnantibus communiter debent phlebotomari venæ brachii: tum quia febres, &

& pleríque morborum foventur ex plenitudine, aut vitio humorum, qui redundant in vena cava ascendente: tum quia ex venis brachii minor fit commotio versus uterum: tum quia ex vena cava descendente major portio alimenti aufertur pro fœtu. Tum quia major fit commotio ex venis quæ communicant cum utero, & si urgeat necessitas, ob vitæ periculum, revellendi humores in partes inferiores, etiam ut nuper diximus, ex talo venas aperire cogimur.

Resolutio Septima.

Utrum in venæ sectione pro febribus melius sit infra subsistere, quàm exquisitissimè evacuare?

§. Unicus.

Sancitur quid tenendum pro dubio isto?

Occasionem mittendi sanguinis præscribit Galenus *lib. de sang. missione*, dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium. Quantitas metiri petit ab exigentia morbi, & consensu virium. Vires exigunt victum, & permittunt evacuationes, quatenus permanere valeant usque ad morbi vigorem. Ratio subsistendi est conjecturalis: hæc non evidens, quia de conjectura adhuc rationali, inquit Galenus, quod proximè accedit ad veritatem. In hac hæsitatione inquirimus, an dum mittendus sanguis, sit melius infra subsistere, an exquisitissimè evacuare?

Resolvendum, quod tutius est infra subsistere.

Probatur. Si vires sunt dubiæ ad ferendam evacuationem, partitis vicibus consequitur evacuatio sine periculo. Tum inter ipsas evacuationes roboratur natura, ut possit illas tolerare. Tum major est, & præstantior indicatio conservandi vires, per quas conservatur vita, quàm evacuandi causam febris, quam potest natura roborata regulare. Ergo sistendum in securiori via evacuandi.

Probatur *secundò* à Petro Castello Romano, ex variis Authorum doctrinis id contestantibus. Tum *primò* ex Hippocrate 4. *aphor.* 47. ubi inquit: *Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacumque ex parte, cùm reficiuntur, alvi iis humectantur.* Galenus *in comment.* reddit rationem, nimirum: *Calore nativo debilitato ex profluvio sanguinis, neque cibi benè concoqui, neque in sanguinem*

A *transmutari, multóque etiam magis neque destribui possunt per corpus. Propter hæc omnia alios fieri humidiores necesse est.* Tum idem Hippocrates 2. *aphor.* 29. contemperans multitudines sanguinis missionum, inquit: *In principiis morborum, si quid tibi videtur movendum, move; cùm verò consistunt, ac vigent, melius est quiescere.* Ubi damnat repetitas sanguinis missiones per omnia tempora febrium, ut manifestè docet Galenus in commentario, uberiùs probans ex ejus B doctrina nostram Resolutionem, dicens: *Non solo vigore exitialium morborum adventante, sed nec etiam in prioribus temporibus movere quidquam oportet, recordantibus nobis quod deploratos non oportet attingere, sed relinquere, & morbi finem tantummodò prænuntiare. Circa initia verò illorum morborum, in quibus speramus ægrum convaliturum, tentandum est majora offerre remedia, de quibus Hippocrates dixit: Si quid tibi videtur movendum, move. Sunt autem hæc maximè* C *quidem sanguinis missio, & purgatio, quorum neutrum oportet in vigoribus admovere: ut enim in libro de Crisibus manifestavimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt. Ut igitur hæ citiùs eveniant, melius est in principiis evacuare, quo minorem jam factam materiam faciliùs natura possit concoquere. Morbo autem consistente, cùm jam natura concoxit, superfluum est evacuare, cùm præter alia, tum quia vis animalis maxima ex parte eo* D *tempore fatigata est, licèt quammaximè duæ aliæ, vitalis, ac naturalis, fortes persistant.* Ex quibus satis constat ex Hippocrate, & Galeno, quanta cum præmeditatione temperandæ sunt sanguinis missiones in febribus. Tum si quandoque audacter mittendus sanguis, & exquisitissimè evacuandum, maximè in principiis apostematum: sed non semper phlebotomia in illis admittenda, quia ut docet Avicenna, *humores subtiliat, & eos per corpus fluere facit, & eos sano sanguini admiscet, & est etiam causa quod* E *nihil evacuatur ex eo, quod oportet.*

Probatur *tertiò.* Majori ex parte in febribus ventriculi apparet debilitas, dolor, aut mordicatio. Sed in iis abstinendum à venæ sectione. Ergo ratione ventriculi in febribus in vena secanda infra subsistendum. Probatur minor ex Galeno *lib. 9. Meth. cap. 5. §. Quibus os ventris aut amara bile abundat, aut imbecillum est, aut supra modum sensibile, à sanguine detrahendo dehortatur.* Avicenna inſequens

sequens hanc doctrinam, latiùs illam protulit, dicens: *Cave præterea tibi ne ad fastidium phlebotomes, sed prolonga ipsam ad hoc, ut et fastidium digeratur: & tibi etiam cave, ne subtilitatem sensus oris stomachi habentem, aut ipsius debilitatem, phlebotomes, & infelicem facias ex generatione choleræ rubræ in ipso; hujusmodi namque sibi cavere debet à nimia quoque audacia in mittendo sanguine, & propriè cùm est jejunus.*

Probatur *quartò* ex Galeno. A nocentibus, & juvantibus sumitur indicatio, præcipuè pro sanguine mittendo, de quo docet Galenus *lib. de sanguinis missione*, quod nullum remedium ità conjecturabile est, sicut sanguinis missio: Sed sæpe hæsitamus de tempore mittendi sanguinem, an vires valeant tolerare? Ergo ut tutiori progrediamur via, melius est infra subsistere, ut securiori indicatione desumpta à nocentibus, & juvantibus, securiùs possimus progredi in sanguine mittendo.

Resolutio Octava.

Quid observandum in sanguine mittendo?

§. I.

Proponuntur observanda pro vena sectione.

Resolvendum, quod pro rectò usu venæ sectionis, observandus locus, ex quo petit fieri venæ sectio: observanda etiam quantitas extrahendi sanguinem, modus extrahendi illum, & tempus in quo sanguis petit extrahi. Sic tenet Claudinus *lib. 2. de ingressu ad infirmos*, & alii multi.

Probatur *primò* de loco mittendi sanguinem, ex suprà dictis, ex quibus patet, quod sit sanguinis missio juxta proprias indicationes, quæ se offerunt evacuandi, derivandi, aut revellendi: & cùm evacuatio fiat ob contentum humorem in parte; derivatio ex parte proximiori, ob humorem partim contentum, partim fluentem; revulsio verò ex parte distantiori, cum majori rectitudine versùs originem fluxionis: ideo & variæ attenduntur venæ in parte superiori, media, aut infima; & in illis variæ ramificationes, per quas promptiùs possint prosequi indicationes positæ, juxta indigentiam curationis, & ablationis causæ foventis morbum.

Tum *secundò* de quantitate sanguinis extrahendi, patet quod hæc metitur ex indicante, & viribus consentientibus. Causa indicans evacuationem est morbus magnus, pendens ex vitio sanguinis. Si morbus ut magnus, sit talis ob repletionem, plus sanguinis educendum, præcipuè in vehementi morbo, & dolore ingenti: in summa acutie, Galenus mittit sanguinem ad animi deliquium, vel ad coloris mutationem. Communiter mittimus ad ℥. viij. aut vj. attendendo ad impetum fluentis sanguinis: alii ad libram unam mittunt. Avicennæ præceptum utile est *fen. 4. 1. cap. 20. §. Dimittas in phlebotomia, quantum possibile est, periculosa enim est, tum ob alias causas, tum quia punctualiter exactam virium tolerantiam cognoscere vix possumus.* Ideo Galenus docet, *Quod melius est infra subsistere, quàm exquisitissimè evacuare.* Et viribus suspectis, *lib. de sanguin. missione*, partitis vicibus exercet venæ sectionem. Manifestatur virium renuentia, dum immutatur faciei color, & sanguinis fluentis remittitur impetus; si pulsus demittit de sua magnitudine; vel vehementia, & celeritas imminuitur. Pro augenda quantitate juvat consuetudo, robusta ætas, calida temperies, ac sanguinea, aër temperatus, & anni tempora temperata.

Tum *tertiò* de modo in vena secanda, hæc attenduntur, quale fiat foramen, quod petat esse majus pro crassis humoribus; si tenues, minor; medius pro mediis, si vires sint validæ: minus requiritur in puerili ætate, & viribus parum subsistentibus. Confert ut decumbat æger pro venæ sectione, ad vitandum animi deliquium, faciem avertat, oscoluat aqua, si debilis: si bile abundat in ventriculo, utatur mica panis cum succo agrestæ, aut granatorum. Sanguine extracto, æger decumbat in dorso, requiescat; si debilis, jure utatur, præcipuè si ante venæ sectionem nullo usus sit alimento.

Tum *quartò* in febribus pro venæ sectione attendatur tempus electionis. Pro curatione præcautoria, in vere, ex Hippocrate: *Quibus sanguinis missio, aut purgatio præcautoria convenit, iis in vere exercenda sanguinis missio*, ex Galeno vel in autumno, juxta morbos, qui timentur. Pro curatione morbi, sanguinis missio exercenda, *dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium.* Si attendatur accessio

pro mittendo sanguine, *in accessionibus abstinere oportet*, ex Hippocratis decreto: & Celsus verè protulit, *In accessionibus sanguinem mittere, ægrum est jugulare.* Confert in principio universali, quia ex Hippocrate, *In principiis morborum, si quid tibi videtur movendum, move: morbo ad judicationem eunte, melius est quietem habere.*

RESOLUTIO NONA.

Utrum cucurbitulæ scarificatæ sint vicariæ venæ sectionis.

§. I.

Aliqua proponuntur opiniones.

Cortesius *in Miscellaneis, decade septima*, aliquas refert opiniones. Avicenna *fen.4.1. doct.5. cap. 21.* cui assentiuntur aliqui ejus commentatores, sancivit, quod cucurbitulæ scarificatæ sunt vicariæ sanguinis missionis: quod ut confirmet, collum dividit in tres partes, in quibus contendit, quod debent scarificari, ut sint vicariæ sanguinis missionis. Prima est in prima, & secunda vertebra. Secunda est pars lateralis colli. Tertia est colli infima pars: & superaddit, quod scarificatæ cucurbitulæ in suprema parte, sunt vicariæ venæ sectionis cephalicæ: si scarificentur supra latera, sunt vicariæ venæ sectionis venæ nigræ, seu communis: si applicentur infra, aut supra scapulas, sunt vicariæ sectionis venæ basilicæ: & substituuntur pro venæ sectione, quæ fit ex illis venis, scarificationes in parte superiori, evacuando à capite; quæ fiunt in parte laterali, à medio corpore; quæ in parte inferiori, à partibus inferioribus.

Extra Scholam Arabum Juniores scarificatas cucurbitulas admittunt. Capibacius *lib.6. de febribus, cap. 23.* tenet scarificatas cucurbitulas ex propria natura indicari à vitio sanguinis, non à vehementi, sed à non vehementi; non ut vicariæ sanguinis missionis, sed ab illo ut vehementi. Sed contrà stat, quod indicatio sanguinis missionis est vitium sanguinis: Ergo sanguinis missio, aut illius vicarium, semper debet indicari ab illo.

Augenius *lib.10. de sanguin. missione, cap.10.* tenet quod cucurbitulæ scarificatæ sunt vicariæ sanguinis missionis; potiusque hoc remedium admittit ad deponendam plenitudinem, quàm ad attemperandum calorem. Sed cùm intemperies proveniat à plenitudine, si illam deponunt, simul fateri tenetur, quod attemperent, & etiamsi morbus pendet ex aliis vitiis humorum.

§. II.

Avicennæ ratio non probat suam assertionem.

Resolvendum primò, quod Avicennæ fundamentum non est rationi consonum.

B Probatur. Tum quia ex Anatome constat, quod ex clavio ramo venæ cavæ ascendentis duæ oriuntur venæ jugulares: altera interna, hæc per latera cervicis attollitur in cerebrum, multos spargens ramulos in vicinis partibus: altera externa, quæ per latera cervicis in vicinos musculos spargitur; & ubi fauces attingit, in musculos laryngis partitur, hyoidis, & linguæ: nulla tamen ex iis fertur in brachium, sed rami axillaris
C basilicæ, & cephalicæ, per exteriorem brachii partem feruntur in flexuram brachii; cephalica verò vena per exteriorem, cum quibus non communicant colli venæ.

Tum, ut probat Primerosius *lib. 4. de vulgi erroribus, cap.24.* & admittunt juniores, vena cava ascendens ad claves in duos ramos partitur, subclavios dictos, quorum alter axillaris in initio brachii partitur in duos ramos, à quibus
D omnes venæ brachii ad extremam usque manum feruntur. Ergo non à colli tribus partibus assignatis ab Avicenna, fit talis communicatio vasorum, ut venæ illæ fiant vicariæ.

§. III.

Pro deponenda plenitudine scarificationes cucurbitularum non sunt vicaria phlebotomiæ.

Probatur ex Galeno *lib. de cucurbit. scarificat.& hirudin.cap.19.* dicente:
E *Nemo tamen me phlebotomiam explodere suspicetur; ego enim illam in maximis, periculosissimisque affectibus non omitto, in quibus sanè abundè, affatimque sanguinem effundere est opus: nam proinde, ut affectus sunt vehementes, ita quoque affatim evacuationes faciendæ sunt.*

Tum, cucurbitulæ in repletione non debent scarificari, donec præcedat sanguinis missio, ut docet Galenus *lib. de curand. ratione per sang. mission.* inquit enim:

enim: *Cucurbitæ purgatis prius corporibus utiles sunt; sed in repletis prætereundæ.* Idem tenet *lib. 11. Methodi, cap. 17.* & Aëtius *lib. 13. cap. 20.* negans illas adhiberi in principiis morborum. Ergo nec scarificandæ. Tum quia, non æquè evacuant ex venis majoribus, in quibus continetur plethora. Ergo in illa non utendum scarificatis cucurbitulis.

§. IV.

Quando cucurbitulæ scarificatæ substituantur pro venæ sectione? B

RESolvendum *tertiò*, quod viribus pro phlebotomia renuentibus, cucurbitulæ scarificatæ possunt esse illius vicariæ.

Probatur *primò* ex Galeno *lib. 4. de sanit. tuend. cap. 4.* ubi docet, quod si vires non subsistunt pro venæ sectione, utendum remedio quod tantundem valeat: Sed scarificatæ cucurbitulæ sunt quæ suo modo possunt tantundem valere: Ergo possunt substitui.

Probatur *secundò* ex Celso. Melius est anceps experiri remedium, quàm nullum: Ergo si vires non tolerant phlebotomiam, deveniendum ad scarificatas cucurbitulas.

Probatur *tertiò*. Cucurbitulæ scarificatæ in urgente fluxione cum lapsis viribus, proximè accedentes parti affectæ, solutione proximarum venarum proximiùs ad se trahunt, & evacuant humores in partem proximiorem fluentes, contentosque; & partes proximas patienti debilitant, ut & illos recipiant. Ergo loco phlebotomiæ possunt substitui.

§. V.

De usu scarificationum in cucurbitulis.

RESolvendum *ultimò*, quod in scarificandis cucurbitulis aliqua observanda sunt.

Probatur. Tum, quod scarificationes indicantur à morbo magno pendente ex vitio sanguinis, determinanturque à virium debilitate, non sufficiente pro ferenda phlebotomia. Tum scarificationes permittuntur à viribus mediocribus, inferioribus pro phlebotomia, ab ætate puerili, & senili, nisi obstet plenitudo. Tum à viribus, & morbi vigore præscribendus numerus, longitudo, & profunditas illarum, sanguinisque extrahendi quantitas. Tum locus scarifica-

A tionis observandus: si evacuandum, à parte affecta: si derivandum, à viciniori: si revellendum, à distantiori: si in febribus, ad evacuandum, non in dorso, sed in partibus extremis, brachiis, aut cruribus, femoribus, natibus; non verò in dorso, ne fiat attractio in focum.

RESOLUTIO DECIMA.

Utrum venæ sectio per hirudines sit utilis in febribus.

§. I.

De instrumentis venæ aperiendæ, & de venis pro hirudinibus aptis.

SCalpello communiter secantur venæ pro sanguine mittendo: sæpe & hirudinibus, quæ sunt quædam animalia oblonga, parva, virulenta, in aquis degentia, ex Galeno *lib. de hirudinibus.* Applicantur præcipuè, dum venæ parum C apparent, ut in infantibus, & in variis partibus, retro aures, in fronte, in brachiis, in cruribus; sed præcipuè in venis hæmorrhoïdalibus, quarum apertio per scalpellum non fit sine periculo. Hæmorrhoïdales venæ aperiuntur etiam per folia ficulnea, aut frictione pannorum, non sine labore, & molestia, sæpe inutili; ideo præcipuè in febribus frequentior est applicatio hirudinum pro aperiendis hæmorrhoïdibus. Vena est vas oblongum, rotundum, fistulæ modo ex- D cavatum, simplici, & pertenui tunica omni villorum genere texta instructum, ab hepate ortum, continendo, distribuendo, & coquendo sanguini à natura dicatum. Venarum origo sunt vena cava, & vena portæ. Cava est omnium amplissima, & oritur ex gibbis partibus hepatis, & spargitur per omnes ferè corporis particulas. Vena portæ ex cava oritur parte, divaricatur in ventriculum, lienem, epiploon, intestina: deponit in jecur materiam chylosam, disseminatur E per mesenterium per varios ramulos, qui dicuntur venæ mesentericæ. Horum major attingit lienem, & jecur à melancholico succo expurgat in illum, à quo antequam in lienem ingrediatur, nascitur alius ramus, qui per mesenterium, & intestina fertur, & terminatur in partem internam recti intestini, ad quem etiam venæ cavæ descendentis descendunt ramuli in partem externam per multos disseminati in ultima externa parte intestini.

De

De venis in intestinum terminatis conceertant juniores, quales præcipuè dicantur hæmorrhoïdales, quæ sunt rami portæ, an quæ sunt rami cavæ descendentis? Adhærent veritati, qui venas hæmorrhoïdales dividunt in internas, ortas ex ramis venæ portæ; & externas, ortas ex ramis venæ cavæ descendentis. Sed videtur, quod cùm hirudines applicentur in venis externis hæmorrhoïdalibus, nunquam per hirudines posset lien expurgari, sed tantùm fieret evacuatio à ramo cavæ descendentis. Solvitur hæc dubitatio per hoc, quod ramuli venæ portæ perveniunt in musculos, conjunguntur cum ramis venæ cavæ descendentis, commiscentur, & mutuò inter se inseruntur, & divaricantur per varias anastomoses; & ideo hirudines applicatæ attrahunt ab utraque vena, cava, & porta.

§. II.

Per hirudines fit utilis venæ sectio in febribus.

Resolvendum *primò*, quod hirudines sunt aptum instrumentum pro vena secanda in febribus, & aliis morbis.

Probatur *primò* de omnibus morbis, in quibus vires non subsistunt pro venæ sectione, in quibus confugimus ad sanguisugas.

Probatur *secundò* in febribus, quæ sive foveantur ab humoribus in vena cava contentis, sive ramis venæ portæ, pro utrisque venæ continentes illos aptè secantur, appositis hirudinibus.

Probatur *tertiò*. Medicus est imitator naturæ in eis, quæ rectè operatur. Sed evacuando per venas hæmorrhoïdales per sanguisugas humores melancholicos Medicus imitatur naturam. Ergo rectè operatur apponendo hirudines. Probatur minor ex Hippocrate. Tum 6. *Epid. comm. 6. text. 36. Qui hæmorrhoïdas habent, nec pleuritide, nec furunculis, nec therminthis, forsan nec lepra, & forsan nec aliis laborant, seu corripiuntur.* Tum Galenus *in comment.* sic tenet, quia à natura evacuantur per illas venas vitiosi humores, ex quibus prædicti morbi solent causari. Tum idem Galenus *lib. 3. de humoribus, cap. 16. lib. 11. aphor. 11. lib. de plenit. & lib. 4. de sanit. tuenda, cap. 4.* docet plenitudinem deponi per venas hæmorrhoïdales, simul & cacochymiam, præcipuè melancholicam: quod testatur experientia, per quam patet plurimùm sanguinis in plerisque evacuari per hæmorrhoïdes. Quod si in assuetis non contingat, debet ab arte suppleri per sanguisugas hæmorrhoïdalibus venis applicatas. Quod docet Hippocrates *lib. 6. Epidem. comm. 36. §. Aliquos impunè subitò fuisse curatos à gravissimis morbis.* Cui Galenus assentitur, docens opportunè per hæmorrhoïdes fuisse curatos eos, qui nec sanguinis detractione per circuitus, nec medicamentis subductoriis expurgabantur. Ergo pro iis morbis & febribus ex eis causis ortis utilis est evacuatio per hirudines applicatas.

Probatur *quartò*. Nam sanguinis missio per hirudines hæmorrhoïdibus applicatas, non solùm evacuat vitium sanguinis contenti in venis exilibus, & tenuioribus; sed per ampla orificia evacuat à ramis majoribus, & ex ipsis venis, ex quibus scalpello sanguinem mittimus, & in tota ea quantitate, quæ per illas extrahi potest cum scalpello: immò potiùs in majori, ut patet in majori difficultate uniendi venas hirudinibus apertas. Ergo illarum usus utilis pro febribus curandis.

§. III.

Proponuntur aliqua observanda in applicatione hirudinum.

Resolvendum *secundò*, quod pro rectà applicatione hirudinum aliqua sunt observanda.

Probatur: Tum quia attendenda electio hirudinum, quæ utiliores quæ colliguntur in locis minùs cœnosis, in quibus mucor abstergitur cum spongias quæ per plures dies retinentur in aquis liquidis cum saccharo, & quæ non sint nimis parvæ. Tum ex Galeno *lib. de hirudinibus, c. 21.* ibi: *Cum eis uti volumus, locus cui hirudines applicandæ, nitro fricandus, aut sanguine alicujus animalis, vel argillâ liquidâ inungendus, vel fovendus, vel unguibus scalpendus: promptiùs enim apprehendent, atque ubi adhæserint, oleum tepidum particula, ne refrigeat, infundendum. Quod si etiam eis, ubi repletæ fuerunt, uti oportuerit, vel quia paucæ hirudines præsto sunt, vel quia paucæ apprehenderint, earum caudas forcipe incidere oportet: nam fluente sanguine, trahere nunquam desinunt, quousque vel salem, vel nitrum, vel cinerem earum oculis inspergamus.* Tum invenit usus, quod impleri sinantur usquedum decidant; & postea per venas sanguis transcolatur pro necessitate, vel saltem si æger sedeat in aqua calida. Tum si sanguis

sanguis nimiùs profluat, sistendus, ut tenent Practici, vel linteolo aceto infecto, vel impone gallas combustas cum vino, & aceto, aut muria extinctas, vel spongiam imbutam pice liquida, & combustam, redactam in pulverem, vel fuliginem in sartagine inhærentem, exceptam cum albumine ovi, aut gypsum ustum, cum telis aranearum combustum, vel crustâ inditâ ex oleo thuris cum melle, vel oleum calcanthi cum succo porrorum, vel aquam porri destillatam, vel linteolum cum atramento scriptorio.

Tum attenditur modus, quo indicatur venæ sectio per hirudines, pro earum applicatione in variis partibus, quatenus per illas intendimus evacuare, derivare, aut revellere. Tum timimur hirudinibus in partibus, in quibus scalpello uti non est tutum, ut in venis infantium, in fronte, retro aures, in aliis venis capillaribus, & præcipuè in hæmorrhoidibus, in quibus licèt appareant applicari in solis venis externis, simul tamen evacuant ab internis, & ramis venæ portæ, propter internarum, & externarum complicationes, & communem anostomosin inter illas in musculis extremis, & externis intestini recti? & ideo aut simul, aut seorsim possunt deponi per venas hæmorrhoïdales plenitudines venæ cavæ, & venæ portæ. Ideò & rectè potest dici, quod evacuationes, quæ fiunt per venas hæmorrhoïdales, simul possunt habere rationem sanguinis missionis, evacuando plenitudinem per ramos venæ cavæ; & rationem purgationis, evacuando humores cacochymos, qui solent contineri in ramis venæ portæ. Hæ autem evacuationes, usúsque hirudinum, licèt non fuerit receptus apud antiquiores, ut patet ex Galeno *lib. de hirudinibus*, maximam tamen præstat utilitatem in febribus curandis, ut fatetur Argenterius *comm.* 13. *in artem parvam*, & admittunt Manelphus, & Claudinus.

RESOLUTIO UNDECIMA.

Utrum scarificationes sint remedium utile pro febribus curandis.

§. I.

Proponitur propria acceptio scarificationum, & propria differentia.

Scarificationes sunt utriusque cutis corporis, & partium carnosarum, ab arte factæ solutiones continui, ad sanguinis evacuationem, & alios fines. Aliæ fiunt post cucurbitulas, aliæ sine illis. Confundunt utrasque Arabes sub uno capite: dividunt Græci, & Latini, veteres, & juniores. Differunt enim in esse instrumenti curatorii; nam cucurbitularum scarificationes nondum sunt venæ sectiones, licèt scarificationes venæ sectiones aliquando dicantur. Differunt etiam ratione modi scarificandi. In cucurbitulis enim per scalpellum, in veris scarificationibus per novaculam, aut rasorium operamur. Differunt etiam ratione modi, inquit Oribasius ex Antillo *lib.* 7. *collect. cap.* 10. Scarificationes enim præcipuè fiunt in inferiori parte malleoli, per sectiones cum æquali distantia, & magnitudine incisionum. At priusquàm fiat sectio in scarificatis cucurbitulis, illæ præcedunt. Pro veris scarificationibus aquâ calidâ perfunditur pars, aut ad ignem, aut solem calefit. Galenus *lib. de scarificationibus*, tradit modum scarificandi, dicens: *Infigendæ sunt incisiones, in cruribus, per longitudinem, seu rectitudinem: & in abdomine, in thorace, & dorso, & cervice, eodem modo, in capite verò secundùm positionem capillorum: in fronte per transversum. Quod autem pertinet ad magnitudinem, inter se sint inæquales incisiones, & quæ inter eas sunt intervalla, inter sese æqualia sint, scarificationisque initium ab infernis partibus sumatur.* Cucurbitularum scarificationes nequeunt fieri novaculis, sed scalpellos; nec fiunt à parte inferiori ad superiorem, sed punctim, & brevissimo tempore.

Prosperus Alpinus *lib.* 3. *de Medic. Ægyptior.* latissimè prosequitur, quàm frequentissimus fit apud illos usus scarificationum, loco venæ sectionis usitatæ apud nostros: & quod exercent illas per scalpellum, præsertim in pueris, mulieribus, eunuchis, & cunctis molli carne præditis. Scatificantur ab illis variæ partes corporis, aures, nares, labia, gingivæ, & quæcumque partes externæ inflammatæ, gangrænatæ, æstiomenatæ, pustulis, aut cutis tumore detentæ, suppuratæ, in quibus partibus tentatur evacuatio. Pro sanguine ex toto mittendo, præcipuè in pueris, scarificant aures, in aliis & nares, & crura. Juniores Ægyptii Medici tenent, quod triplex est scarificatio: alia superficialis, utilis pro magnis cutaneis evacuationibus: alia media, quæ in carnosis partibus prodest pro tumoribus deponendis, aut pro partibus gangræna affectis ventilandis: alia fit

fit profundior, quæ pervenit ad majores venarum ramos aperiendos; & per hanc fit similis evacuatio ac per scalpellum ex ipsis venis; & de hac præcipuè inquirimus, an sit ex usu pro febrium curatione. A

§. II.

Admittitur profunda scarificatio in febribus.

Resolvendum, quod præcipuè profundæ scarificationes possunt esse instrumentum pro sanguinis missione in febribus, loco venæ sectionis. B

Probatur *primò* ex Oribasio *lib. de cucurbitulis, cap.* 19. *§. Ast sanè, dum pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, multosque perdidisset, meque etiam morbus attigisset, secunda morbi die remissione febris factâ, crus scarificavi, duasque ferè sanguinis libras detraxi, hacque de causa periculum vitavi. Plerique etiam alii hoc præsidio superstites evasere; erant enim plenitudinis signa, illique præcipuè salvabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant.* Ergo confetunt pro febtibus curandis scarificationes profundæ. C

Probatur *secundò*, quod scarificatio sit similis venæ sectioni, ex Galeno *lib.* 13. *Methodi*, dicente: *Cogimur Ergo aliàs sanguinem mittere, idque aut vena incisa, aut membris iis, quæ læsa non sunt, scarificatis; manu enim laborante, scarificabis crus; altero crure malè habente, reliquum.* Ergo idem valet scarificatio, ac venæ sectio. D

Probatur *tertiò*, ex communi usu Ægyptiorum, quos frequentiùs febres curare scarificationibus, tenet Alpinus *lib.* 3. *cap.* 9. dicens: *In omnibus febribus putridis, in principiis uberiorem sanguinem hac viâ detrahunt.* Et superaddit: *Hujus itaque præsidii usus frequentissimus est ad omnes putridas febres, quibus sanguinem per venam sectam convenisset evacuare: quandoquidem vires præ debilitate minimè patiuntur, potissimùmque in continuis, acutis, malignis, atque pestilentibus.* Reddit rationem, quia parum debilitant crurum scarificationes, & à partibus nobilioribus revellunt noxios humores. Ergo ex communi usu constat in omnibus febribus posse esse remedium scarificationes. E

§. III.

Scarificationum usus recessit ab Europæis.

Resolvendum *secundò*, quod scarificationum usus, licèt suppleat pro venæ sectione, meritò in Europæis abrogatus est, & recessit ab usu pro febribus curandis.

Probatur: Tum quia curatio petit fieri tutò, citò, jocundè: Sed hæc potiùs per scalpellum, quàm novaculâ perficitur, ut patet inspicienti utramque operationem. Tum quia, Galenus *lib.* 14. *Methodi, cap.* 13. idem firmat dicens: *Debitum sanè optimæ rationis tripliciter indicatur, tum ex temporis curæ brevitate, tum ex curandi modo citra dolorem, tum ex citò curando.* Sed hæc ex venæ sectione pet scalpellum securiùs consequuntur. Tum patet ex eodem *lib.* 12. *Methodi, cap.* 1. *§. Esto autem terminus, quem non transgreditur is, qui ex parte morbos generosè oppugnat, ut tutò medeatur: qui autem ultrà progreditur, crudelis hominis officium facit.* Ergo qui minùs tutò operatur, minùs in artis operibus admittendus.

Resolutio XII.

Utrum sensibiliter evacuantia alios humores à sanguine, sint admittenda pro febribus curandis.

§. I.

Proponitur ratio totius difficultatis.

Præter sensibiles evacuationes sanguinis, quæ fiunt ab arte pro febribus, & aliis morbis curandis, de quibus disputavimus, aliæ etiam exercentur evacuationes sensibiles, quæ fiunt pet ustiones factas pet, pyrotica, seu caustica medicamenta. De iis nondum constat ab antiquis, an comprehendantur sub synapismis, seu rubificantibus. Vessicantia ultra rubificationem, cuticulam, veramque cutem ustione solvunt, & escaram inducunt, & calefaciendo vessiculas excitant, & per has evacuationes alii succi à sanguine evacuantur, tenuiores à vessicantibus; crassiores à pyroticis, de quibus plura diximus *tom.* 3. *prompt.* 34. De vessicantibus præcipuè inquirimus, an sint remedium utile pro febribus curandis?

Vario modo solent præscribi à junioribus. Manelphus in curatione febrium inquit:

inquit: *Nostri enim temporis vessicantia fieri solent cantaridibus pulverizatis, carthamo, synapi, interdum etiam cum euphorbio, & aliis.* Claudinus *de ingressu ad infirmos, lib. 2. cap. 7.* sic proponit.

℞. Cantaridar. præparat. ℨ. vj. sinapi ℨ. ij. fermenti acris ℨ. ß. seminis ameos ℨ. j. Misce & cum aceto scillitico, vel aqua ardente fiat pasta.

Inter recentiores Doncelli *p. 3. cap. de vessicat.* sex proponit vessicantium formulas. Primò,

℞. cantarid. ℥. ß. euphorbii, fermenti, ana ℨ. ij. cum aceto scillitico fiat pasta. Secundò,

℞. cantaridar. ℨ. ij. sinapis ℨ. iij. fermenti recentis ℥. j. Fiat pasta. Tertiò,

℞. cantaridar. ℥. j. pulver. seminis ameos, euphorbii, ana ℨ. ij. fermenti ℥. iij. aceti scillitici q. suf. Fiat pasta. Quartò,

℞. cantaridar. ℥. ß. pulpæ ficuum ℥. ß. pinguedinis porci ℥. j. euphorbii ℨ. ß. Fiat massa. Quintò,

℞. cantaridar. & euphorbii ana ℥. ß. pulpæ ficuum ℥. ij. acet. scillit. q. suff. Fiat massa. Sextò,

℞. cantarid. ℨ. ß. ung. basiliconis ℥. j. Misce, fiat pasta pro vessicatorio.

Usus vessicantium admittitur pro variis morbis curandis, pendentibus vel ex acri materia, vel ex frigida, & rebelli, ut tenent citati à Sitonio *tract. 44.* Septalius *de peste, lib. 5. c. 22. & lib. caut. Medic. cap. 18. 44. 45.* Zacchias *quæst. Medico-legal. lib. 2. tit. 2. q. 9. 10.* Zecchius *Consult. Medic. 26. 27. 55.* Bocangelinus *de morb. malign. cap. 30.* Guargantus *de febre pestil. cap. 3.* Ferdinandus *Histor. Medic. 13.* Mercur. *lib. 2. consult. 6. & lib. 3. cap. 79. & lib. 5. pract. cap. ult.* Trincavel. *de rat. curand. part. corporis, lib. 3. cap. 13. lib. 12. cap. ult.* Capivacius *lib. 1. pract. cap. 19.* Augenius *lib. 3. cap. 2.* Adrianus *in Thesauro Medico-Chymico,* Chiocus *in Musæo calceolar.* Sennertus *lib. de febre maligna, cap. 6.* Paræus *lib. 18.* & Alpinus *de Medicina Ægyptiorum.*

§. II.

De usu vessicantium in febribus, proponitur pars negativa.

Licèt, ut nuper cum Sitonio proposuimus, quamplurimos allegaverimus admittentes vessicantia esse utilia pro plurium febrium curationibus, tamen non est uniformis hæc opinio inter omnes juniores: partem enim negativam contentiosè conatus fuit defendere Massarias *in Apologia contra Herculem de Saxonia,* cui adhærent Gerardus Columbus, *in peculiari disputatione,* Fonseca *de febribus pestilentibus,* Septalius *lib. 5. cautton.* Lælius à Fonte *disp. 2.* Angelutius *lib. de febre maligna.* Sed majori conatu Vanhelmont *lib. de febrib. c. 7.* pro suo more irruens in Dogmaticos, vessicatoria, & similia alia remedia pro febribus impugnat. Tum *primò,* quia sunt auxilia inutilia, cùm fiant circa corporis superficiem, & morbus sit in centralibus. Tum *secundò,* quia non expellitur causa morbi, sed cruor, qui à vessicantibus corrumpitur, & convertitur in aquam, aut in succos, qui expelluntur, aut in aquam salsam, quæ foras truditur. Tum *tertiò,* quia vessicantia tam periculosa sunt, sicut venæ sectio, quæ utilem cruorem evacuat. Tum *quartò,* quia causant dolorem, & sæpe ulcera periculosa.

Massarias & ejus alumni impugnant vessicantia in febribus, præcipuè malignis, & pestilentibus, & ante signa coctionis. Tum *primò,* quia ex Hippocrate *lib. 2. aphor.* docemur quod *concocta medicari oportet, ac movere, non cruda.* Ubi per *movere,* intelligit quemcunque humorum motum, aut commotionem. Sed per vessicantia agitantur, & commoventur humores. Ergo ante declinationem non debent applicari. Nec etiam in ipsa, quia cocta est jam materia morbi, & accidentia sunt remissa. Tum *secundò,* quia Galenus *lib. 11. Methodi, cap. 9. & lib. 4. de sanit. tuend. cap. 5. & 6.* prohibet frictiones, exercitationes, balneum, fomenta calida, quæ corpori applicantur, nisi corpus sit evacuatum: & ex Hippocrate *lib. 1. de humoribus,* tantùm permittit humorum motionem post coctionem. Ergo negat vessicantia. Tum *tertiò,* quia in febre maligna nullum est indicans vessicantium. Non à causa, aut febre, quæ potiùs petunt attemperationem, quàm ustionem vessicantium. Nec à symptomatibus; nam Galenus *lib. 1. ad Glauconem, cap. 14.* agens de illorum curatione, & correctione, non meminit vessicantium, nec ustionum. Nec ratione malignitatis, cùm vessicantia sint venena, & magis valeant augere malignitatem. Tum *quartò,* quia augent intensionem febris, viscera urunt, & intendunt febrium accidentia. Tum *quintò,* quia vessicantia non solùm augent putre-

dinem humorum, & illorum juvant corruptionem; sed putrida ulcera in carne producunt, & quandoque valde lethalia. Tum *sextò*, quia à vesficatoriis proveniunt dolores vehementissimi, vigiliæ, & virium exsolutiones, quæ obstarent eorum usui, etsi essent indicata vessicantia. Ergo nunquam possunt esse ex usu pro febribus curandis.

§. III.

In febre vehementi vessicantia debent vitari.

Resolvendum *primò*, quod si febris sit vehemens, ustiva, & colliquans, vitanda sunt vessicantia. Sic tenet Fonseca *tom. 2. consil.* 78. adhærens Saxonio.

Probatur. In febre ardente ustiva, & colliquante properat vitæ periculum ob urentem calorem, & colliquationem vires dissolventia, & corporis substantiam colliquantia: Sed à superadditis vessicantibus, seu pyrotris, cùm sint ustiva, C & colliquantia, necessariò debent intendi ustiva illa accidentia mortem præcipitantia. Ergo omninò sunt contraindicata, & prohibita in iis febribus.

§. IV.

In febribus non urentibus, malignis, aut pestilentibus, qualiter indicentur vessicantia.

Resolvendum *secundò*, quod in febribus putridis non urentibus, malignis, aut pestilentibus, sæpe urget necessitas utendi vessicatoriis in principiis, aut vigore, ob vehementiam symptomatum. Adhæret huic doctrinæ Sitonius, & nuper citati ab illo. Saxonia *lib. de usu vessicantium, & in practica Medica de febribus, cap.* 28. Marcellus *in disput. particulari*, Claudinus *de ingressu ad infirmos*, Obicius *in decisione de vessicat.* Bocangelinus *de morb. malign. cap.* 30. Grosius *cap. de febre puncticulari.* Zecchius *consil.* 47. Minodaus *de febrib. malign. cap.* 8. Chiocus *sect.* 6. Roboretus *de febribus*, Sennertus *de febr. malign.* Riverius *lib.* 7. *praxeos*, in febre maligna adhibet vessicatoria pro delirio in femoribus; & si sit stupor, aut somnolentia, etiam in cervice. Horstius *tom.* 2. *lib.* 1. *observat.* 30. consulit emplastrum vessicatorium de cantaridibus ad utrumque carpum. Manelphus parum exercitatos judicat in praxi, negantes vessicantia.

A Quid enim rationibus est opus ubi sensus fidem facit?

Probatur. Tum *primò*, quia Medicus est imitator naturæ: Sed dum viscera malignis humoribus infestantur, ac venenosis, natura molestantes illos humores trudit in partes externas, & in ignobilioribus abscessus procreat, ut docuit Hippocrates *lib.* 6. *Epidem. sect.* 2. *text.* 10. *§. Abscessus, veluti bubones, signum quidem sunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipuè vasorum: ma-* B *ligni autem sunt ii.* Ergo Medicus debet per vessicantia hos avocare malignos humores. Tum vessicantia in febribus malignis non urentibus indicantur ratione loci putredinis succorum, quibus malignitas, aut pestilens qualitas est conjuncta. Ergo debent exerceri tanquam remedium indicatum. Probatur antecedens. Nam dum intra viscera, aut circa cor communicant suas venenosas qualitates, indicatur illarum revulsio, & attractio ad partes exteriores, in quibus minùs nocere valeant. Sed hujusmodi succi pestilentes à nullo alio auxilio ita promptè valent ad extra trahi. Ergo tale auxilium est maximè indicatum. Tum, etiamsi vessicantia non essent indicata ad revellendum pestilentem humorem foventem malignitatem in visceribus, sæpissimè sunt indicata ratione accidentium lethalium supervenientium in iis febribus. Ergo ob hanc indicationem sunt ex usu. Probatur antecedens; nam per illa fit revulsio humorum causan- D tium deliria, lethargum, & alia plurima symptomata. Tum si in sola declinatione, & post coctionem materiæ deberent vessicantia applicari in febre putrida, maximè quia faciliùs valent tunc attrahere materiam coctam: Sed non applicantur pro materia jam regulata, sed pro materia cruda, pestilente, maligna, & de qua timetur, quod nequit regulari, quæque minatur periculum. Ergo in principio petit remedium. Tum si quid obstaret usui vessicantium in febribus E malignis, maximè quia plures noxas inferunt calefaciendo, intendendo dolores, inferendo vigilias. Sed hæc non obstant, cùm sine illis posset subsequi mors, quæ ex iis evitatur. Ergo nihil contraindicat remedium vessicantium, Probatur minor. Nam non minores noxæ timentur ex purgante pharmaco exhibito dum partes internæ sunt inflammatæ: Sed illud permittit Galenus, dum sine illo nequit vita salvari. Ergo & vessicantia

ficantia sunt permittenda. Probatur minor ex Galeno *lib. 11. Methodi, cap. 1. §. Et læsio, quæ à medicamentis imminet, potius eligenda quàm mors: quæ si magna non sit, eam sarcire spatio longiori licebit; & si magna, ita ut prolixo spatio sanari nequeat, hanc ipsam eligendam potiùs remur, quàm ut homo pereat, &c.*

§. V.

Solvantur rationes contrariè opinantium.

AD imaginaria fundamenta Vanhelmontii dicimus. Tum pro *primo*, quod curamus per vessicantia morbum, non quia operentur intra viscera, sed quia attrahunt ad partes externas causam intra illa morbum foventem. Tum pro *secundo*, quod sentibus se ostendunt humores alit à sanguine, qui per vessicantia trahuntur, & nihil sanguinis apparet; nec sanguis valet in illos converti à vessicantibus; nec si valeret, morbus curaretur per vessicantia, ut demonstrat C experientia. Tum pro *tertio*, quod tam venæ sectio, quàm usus vessicantium sunt utiles, ut pluries demonstravimus. Tum pro *quarto*, quod vessicantia sunt utilia in superficie, quia ad illam attrahunt humores foventes morbum in visceribus, & per dolores attrahunt ab illis, & per ulcera illos euacuant.

Ad communiores Rationalium rationes dicimus. Tum pro *prima*, quod Hippocrates intendit docere, quando humores debent purgari de cura regulari, & de cura coacta. *Primò* docet, quod D de cura regulari, *concocta medicari*: in secunda parte docet, quod de cura coacta, si materia turget, aut urget, sit purgandum in principio, aut augmento: sed præter turgentiam plures alias alibi nos demonstravimus urgentiæ causas, quæ cogunt ad purgandum in principio morbi. Tum pro *secunda*, quod Galenus cum Hippocrate, de cura regulari docent, non conturbandam coctionem, si natura sufficit pro illa: sed de cura coacta, dum est impotens ad illam, docet E Hippocrates, *In principiis morborum, si quid tibi videtur movendum, move*: & Galenus dicit, *Sive per sanguinis missionem, sive per purgationem*. Et Hippocrates in turgentia admittit purgationem in principio: & nos in urgentia in malignis, & perniciosis febribus, cogimur movere materiam foventem morbum lethalem. Tum pro *tertia*, quod indicantur vessicantia à causa morbifica,

A prout in tali loco fovet morbum lethalem, & indicat sui revulsionem, seu evacuationem; quia vergit quò non oportet: & ab ipsis symptomatibus indicantur vessicantia ad revellendum fluxum humorum in alias partes. Tum pro *quarta*, quod licèt aliqua accidentia superveniant contraindicantia, sunt admittenda; quia minor est illorum noxa, quàm mors, quæ timetur sine illis. Tum pro *quinta*, quod liberant à majori peB riculo, & ulcera sunt curabilia, & minoris periculi, quàm mors quæ timetur sine illis. Tum pro *sexta*, quod minora sunt illa incommoda, quàm mors quæ subsequeretur sine illis: & ut diximus ex Galeno, *hanc noxam potiùs eligendam remur, quàm ut homo pereat.*

RESOLUTIO DECIMATERTIA.

Utrum cucurbitulæ sint ex usu pro curandis febribus.

§. I.

Quale instrumentum curationis sunt cucurbitulæ.

CUcurbitulæ instrumentum curationis sunt, inter ea quæ insensibiliter evacuant. Sunt aliæ cum scarificatione, de quibus suprà egimus: aliæ sine scarificationibus, de quibus agimus nunc. Hæ sunt vasa ventricosa, à forma cucurbitæ sic dicta, quæ corpori affiguntur ad violenter trahendum, ut tenet Galenus *4. Method. cap. 7.* ubi docet, quod sunt instrumentum violentum, à Medicis excogitatum ad aliquid trahendum. Sumuntur earum differentiæ à materia ex qua fiunt, ob quam aliæ sunt vitreæ, aliæ æneæ, aliæ argenteæ. aliæ corneæ: aliæ ex utraque parte patent, ut tenet Sennertus, & sine flamma apponuntur, aëre superiori ex parte ore attracto, foramine ex quo attrahitur occluso. Reliquæ imponuntur cum flamma, quâ aër arraratur, & raritate deficiente, caro elevatur ad vitandum vacuum. Triplex, inquit Claudinus, est illarum usus, ad evacuandum à parte affecta, ad revellendum ad partem distantiorem, ad derivandum per partem proximiorem.

Plures ex Galeno traduntur usus cucurbitularum. *Primò*, si affigantur loco è directo contrario habenti communionem vasorum, revellunt: ideo Hippocrates *lib. 5. aphor. 50.* in menstruis immodicis illas affigit in manibus; si profluat

sanguis ex jecore, in dextra; si ex liene, in sinistra Galenus *lib.* 5. *Method. cap.* 3. apponit. *Secundò* valent derivare humorum fluxum in parte; ideo in lethargo, & phrenitide, & dolore capitis in scapulis eas consulit Galenus *lib.* 13. *Method. cap.* 11. Tertiò valent attrahere partem in suum locum, ut si uterus sursum vergat, per cucurbitulas trahitur in proprium locum. *Quartò*, flatus discutiunt; & ideo Galenus *lib.* 12. *Methodi, cap. ultimo*, appositis cucurbitulis in ventre, tenet subitò dolorem solvere. *Quintò* ex B Galen. *lib. de cucurbitulis, cap.* 3. prodest cucurbitula in ventriculo ad coctionem juvandam, & retinendum cibum. Sed de usu illarum pro febribus restat examinandum.

§. II.

Pro febrium curatione apparet cucurbitulas nullum usum praestare.

PRima opinio est aliquorum, qui levibus fundamentis negant usum cucurbitularum sine scarificationibus in C febribus, vel saltem ante universales evacuationes. Quibus favet Angelutius. Tum *primò*, quia cucurbitulæ igne affiguntur in parte, & ad illam movent tenuiores & calidiores humores, qui commoti, attenuati, agitati calefaciunt, & in toto corpore calorem augent, & febrem intendunt. Ergo non scarificatæ in nulla febre sunt utiles. Tum *secundò*, cucurbitulæ trahunt ad partes, in quibus apponuntur, & replent illas: Sed à repletione defectu ventilationis fit major pu- D tredo, à qua febris intenditur. Ergo ante omnes evacuationes sanguinis missionis requisitas non debent applicari. Tum *tertiò*, veteres non utebantur cucurbitulis ad deponendam plenitudinem, donec usi fuissent sanguinis missione, aut scarificationibus, post quas utebantur illis ob usum topicorum. Ergo non priùs sunt apponendæ. Tum *quartò*, Galenus *lib. de hirudinibus, c.* 3. *& lib.* 13. *Methodi, c.* 19. docet modum applicandi cucurbitulas, supponendo semper universales evacua- E tiones. Ergo, quia ante illas non sunt ex usu in febribus.

§. III.

Usum cucurbitularum admittimus in febrium curatione.

REsolvendum *primò*, quod cucurbitularum usus in febribus, & aliis morbis utilissimus est. Sic tenent veteres, & admittunt juniores, Benedictus A Manelphus, & communior pars Practicorum.

Probatur *primò* ex Cornelio Celso *lib.* 2. *cap.* 11. cui assentitur Paulus *lib.* 6. *cap.* 41. inquit enim Celsus: *Cucurbitula vicem gerunt phlebotomia, qua ex vena fieri non potest, cùm vires non patiuntur. Idque auxilium, ut minùs vehemens, ita etiam magis tutum est, neque unquam periculosum, etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in eruditate adhibeatur. Ideoque ubi sanguinem mittere opus est, si incisâ venâ vita periculum est, aut si in parte corporis etiam vitium est, huc potiùs confugiendum; cum eo tamen ut sciamus hîc, ut nullum levius præsidium esse, ita nec posse vehementi malo, nisi aquè vehemens auxilium succurrere.* Ergo sunt securum remedium pro febribus, præcipuè si vires sint debiles.

Probatur *secundò*: cucurbitulæ attrahendo ad partem, in qua affiguntur, habent vim evacuandi, derivandi, & revellendi. Sed in febribus omnes hæ indicationes possunt supervenire. Ergo ob illas adimplendas cucurbitulæ possunt esse utiles. Probatur minor; nam ut diximus ex Celso, si vires non subsistant pro venæ sectione, cucurbitulæ vicem gerunt phlebotomiæ. Tum si in febre humor confluit in principem aliquam partem vicinam, derivare expedit per cucurbitulas appositas in parte proxima. Si vergat versùs illam, & foveatur motus à parte distantiori, per ipsas revellendum ad illam; inquit enim Galenus *lib. de cucurbitulis: In iis affectibus, dum gignuntur, non quidem membris ipsis, sed eis qua laborantibus conjuncta sunt, revulsionis gratiâ, cucurbitula imponenda sunt.* Et *lib.* 13. *Meth. cap.* 18. inquit: *Generandis autem adhuc vitiis, minimè ipsis membris, qua laborare incipiunt, sed iis qua continua iis sunt, cucurbita imponi debet, revellendi in contrarium causâ.* Ergo ob has omnes indicationes possunt cucurbitæ esse ex usu pro febribus curandis.

Probatur *tertiò*: In febribus malignis, & pestilentibus, non solùm ob defluxum humorum versùs partes principes sunt necessariæ cucurbitulæ, sed ad attrahendos malignos humores à partibus internis ad cutem. Ergo admittendæ pro illis curandis. Probatur consequentia; nam nullum aliud remedium ita aptum potest in illis inveniri ad extrahendos malignos humores, & exanthemata.

§ IV.

§. IV.

Cucurbitulæ, licèt raro, possunt tamen aliquando in febribus applicari ante venæ sectionem.

RESolvendum *secundò*, quòd licèt petant cucurbitulæ imponi regulariter post venæ sectionem; tamen ante illam quandoque erunt ex usu.

Probatur. Tum quia si vires non subsistant pro venæ sectione, supplent eam ex parte, quia melius est levius reme- B dium, quam nullum. Tum, si nulla apparet plethora, aut morbus non sit vehemens, hoc indicatum clemens remedium erit utile. Tum, si nimia sit revellendi urgentia, ante plenitudinis depositionem poterunt humores revelli per cucurbitulas. Ergo sine omnimoda depositione plenitudinis erunt cucurbitulæ utiles pro febribus curandis.

§. V.

Proponuntur solutiones pro rationibus dubitandi. C

AD argumenta respondetur: Tum pro *primo*, quod cucurbitulæ ideo apponuntur, ut attractione ad se, ne detur vacuum, subjectas substantias ad seipsas commoveant, & per hanc attractionem à partibus nobilioribus in minus nobiles derivent, revellant, aut evacuent substantias in illis contentas. Et licèt possit subsequi aliquod incommodum, tamen semper sunt utiles, quia majus est commodum quod recipitur, & D nullum est medicamentum ita proficuum, ut docet Galenus, quod aliqua ex parte non noceat. Tum pro *secundo*, quod ante reliquas universales evacuationes non apponuntur cucurbitulæ supra partes quæ possunt inflammari, sed in distantioribus, ut revellant, aut derivent; nec per illas tentatur evacuatio, nisi urgente necessitate, aut non apparente plenitudine. Tum pro *tertio*, quod juniores sequuntur veterum præcepta, nec nisi ob nuper propositas rationes E utimur cucurbitulis. Tum pro *quarto*, quod etiam nos insistimus in Galeni doctrina, non attrahentes per cucurbitulas humores ad partem plenitudine oppressam, sed potiùs in vicinas, aut remotiores.

A

RESOLUTIO XIV.

Utrum picationes sint ex usu pro febrium curatione.

§. I.

Dropacis quidditas, & differentia proponuntur.

PIcationes insensibiliter etiam evacuant, & trahunt ad partes externas. Dropaces ad emplastrorum formam proximè accedunt, ut tenet Renodæus. Dropax est duplex: simplex, qui ex pice & oleo perficitur, qui psilotrum vocatur, ut pilos extrahat. Dropax compositus, & picem, & oleum recipit, & resinam, colophoniam, nitrum, sulphur, & euphorbium, sic:

℞. picis navalis ℥. iij. sulphuris ℥. j. piperis, synapis, pyretri pulverisf. ana ʒ. iij. euphorbii ʒ. ij. Fiat emplastrum super alutam. Confert præcipuè simplex; sed calefaciendum pro membris frigidis, ad roborandum: pro extenuatis, ad sanguinem alliciendum: pro consumptis, ad retinendum in partibus debilibus, defectu caloris: pro iis adhibetur in facilè vomentibus, in cœliacis affectionibus, in cruditatibus, in partibus extenuatis, & consumptis. Impositus pro acoribus utilis, & in tinea capitis. Dropacis applicatio pro picationibus, ex Claudino fit pilis abrasis in parte: accipitur corium in quo extenditur pix navalis fusa, & liquida; applicatur parti, & dum firmiter hæret, magna vi à parte separatur, & evellitur: & tamdiu repetitur, donec pars rubeat, & intumescat. De dropacibus pro tinea compositis agit Paschalius in sua praxi. Solent applicari percussiones cum ferulis factæ in aliquibus partibus pro picationibus: quod docuit Galenus 4. *Meth. cap.* 14. adducens exemplum in puero per illas curato breviter; qui nates excarnes habebat. De omnibus iis inquirimus, an sint ex usu pro febribus curandis.

§. II.

Qualiter picationes sint ex usu in febribus.

REsolvendum, quod licèt picationes non indicentur à febribus, possunt tamen in illis esse ex usu, remittendo aliqua accidentia impedientia curationem.

Patet

Patet id dum carnes sunt resolutæ in hecticis febribus, in quibus datur necessitas instaurandi illas. Tum in nimia ventriculi debilitate, quæ in febribus impedit alimenti coctionem in ventriculo, aut retentionem, & virium instaurationem. Tum ex Galeno 4. *Methodi, cap.* 14. idem constat. Tum in quavis febre chronica, si admodum carnes extenuentur. Ergo in febribus sunt ex usu pro earum curationibus.

RESOLUTIO XV.

Utrum frictiones præstent utilitatem pro febribus curandis.

§. I.

Quid sint frictiones, & earum differentiæ?

FRictio, ut tenet Godofredus *lib.* 2. *cap.* 7. est manus injectio, vel circunductus ad eum, cujus corporis habitui qualitatem aliquam volumus imprimere, C vel quem exercitiis beneficis volumus afficere. Galenus *lib.* 2. *de sanit. tuend. cap.* 6. aliquas frictionum adducit differentias. Alia enim est frictio gymnastica, seu præparatoria: alia est Medica, debita & sanis, & ægris corporibus, de qua agimus. Galenus dividit in præparatoriam, & apotherapeuticam. Præparatoria præparat corpus ad exercitationem, ne quid rumpatur, aut obstruatur. Fit in illa modica calefactio, emollit solidas partes, attenuat humidas, D laxat meatus: perit esse exigua. Fit per linteolum, quo calefit corpus, ut & oleum recipiat: oleo inducto, nudis manibus mediocriter corpus perungitur, ut tenet Perdulcis, qui frictionem penes quantitatem dividit in multam, parvam, & mediocrem: penes qualitatem, in duram, mollem, mediam: mollis carnem laxat, mollit, & meatus aperit: dura cogit, siccat, adstringit: pauca leviter carnem remittit, reddit contrectabilem: multa liquat, & extenuat; si simul sit dura, contrahit, & corporis molem deprimit: mediocris modicè calefacit, juvat distributionem, auget carnes; ideo in morbis fit frictio ad reficiendum, vacuandum, & revellendum. Modum adhibendi proponunt Manelphus, & Claudinus, attendendo ad hoc, quod frictiones aliæ sunt siccæ, aliæ humidæ: siccæ administrantur vel solis manibus, vel pannis asperis, vel saccu-

A lis repletis simplicibus moderatè calidis, & detergentibus, aut aliquibus aliis. De locis in quibus petunt fieri, admittunt, quod sunt venter, crura, femora, dorsum, scapulæ, humeri, brachia. In capite fiunt pectinationes. Frictionum modum proponit Manelphus, dicens quod petunt fieri in mollioribus corporibus, seu imbecillioribus. Primò linteis corpus rarefaciendo, à supernis ad inferiora sensim manus deferendo, à brachiis & manibus sumpto initio, de-

B inde ad pectus, & ventrem, deinde ad crura exactiùs fricandum, ut aliquid defluat à superioribus. Frictiones humidæ sunt quæ fiunt manibus inunctis oleo, aut alio liquore madefactis, aut vino, aut alio decocto, juxta varias indicationes evacuandi, derivandi, aut revellendi.

§. II.

Qualiter in febribus indicentur frictiones.

RESolvendum, quod pro febrium curatione frequentissimum remedium sunt frictiones. Sic tenent Hippocrates *libro de Medici officina, comment.* 3. Galenus *lib.* 2. *de sanit. tuenda, cap.* 3. & 4. & *lib.* 3. *cap.* 2. & est communis.

Probatur. Tum ex Hippocrate *lib. de Medici officina*, ubi docet, quod frictio habet vim solvendi, deuniendi, carnem progignendi, augendi, imminuendi, devincendi, quæ dura est; solvendi, quæ mollis; minuendi, quæ multa; incrassandi, quæ mediocris. Sed in febribus solent hæ indicationes supervenire. Ergo frictiones in illis erunt ex usu. Tum utimur frictionibus loco evacuationis in debilibus, & in longis febribus, & in extenuatis. Tum Galenus in putrida febre illas consulit humidas cum oleo, *lib.* 11. *Method. cap.* 9. cum aliquibus conditionibus. *Prima*, quod totum corpus fuerit evacuatum: *secunda*, quod oleum sit ex illis, quæ habent vim calefaciendi, ut chamæmelinum: *tertia*, quod fe-

E bris nec sit magna, nec exurens, ne nimio calore exsiccetur corpus. Ex quibus Aëtii frictiones cum nitro, patet quod debent prohiberi. Tum quia licèt Angelutius damnet frictiones in febribus malignis, quia non trahunt à partibus internis, possunt tamen prodesse, quia poris arraratis, ipsa natura trudit malignas qualitates per vaporosas malignæ febris evaporationes, quales sunt puncticulæ, quæ apparent in febribus malignis. Ergo

Ergo licèt non attrahant à centro; juvant tamen pro expulsione. Tum quia, licèt non habeant vim trahendi humores, per accidens tamen attrahunt causando calorem in partibus, in quibus fiunt. Tum patet de frictione curatoria, quæ non petit esse levis, sicut gymnastica; sed tanta, ut cutem laxet, calefaciat, rubore diffundat, si mediocris; si ultrà procedat, attractum consumit, dum animus est attenuare corporis habitum, ut contingit in frictionibus, quæ fiunt in febribus malignis.

RESOLVTIO XVI.

Utrum lotiones sint ex usu pro febrium curatione.

§. I.

Proponuntur lotiones, de quibus agimus.

SUnt lotiones inter auxilia, quæ insensibiliter evacuant. Oribasius, & Paulus lotionem sumunt pro balneo aquæ frigidæ. Nos loquimur de lotione, quæ particularis est, & fit in particulari aliquo morbo, & in determinato membro, quatenus illius est ablutio, facta præcipuè cum decocto medicato ad sordes auferendas, ad corrigendam intemperiem, ad humorem digerendum, ad partem roborandam, ad dolorem mitigandum, ad somnum conciliandum, vel ad pediculos necandos, pilosve tingendos. In hunc finem, ut tenet Perdulcis, abluuntur axillæ graveolentes decocto astringente, & odorato: dentes impuri vino, & aquâ: os fœtidum decocto radicis cyperi, caryophyllatæ, galangæ, ireos Florentinæ, ligni aloës, corticis citri, cinamomi, caryophyllorum. Lavamus os ulceratum cum aqua hordei, cum melle, vel syrupo rosato: manus scabiosas cum sero lactis, decocto furfuris, fumariæ, lapathi: manus tremulas, cum vino, & aqua, in quibus ebullierit salvia. Pedes ad callos emolliendos, decocto malvatico: ad tollendam laxitatem, diaphoretico. Pro febrium curatione dubitavimus, an aliquæ lotiones sint ex usu.

§. II.

Pars affirmativa sancitur, & fulcitur.

REsolvendum, quod in febrium curatione variæ lotiones possunt prodesse.

Probatur: Tum ex Galeno *lib. 9. Methodi, & lib. 11.* aliisque in locis, in quibus, & balnea, & lotiones aquæ consulit pro febribus diariis, & aliis. Tum lotiones aquæ tepidæ proponit Galenus in cruribus pro attemperanda febre ustiva, pro humectando in illa, pro somno conciliando. Tum lotiones cum decoctionibus foliorum frigidorum, & humectantium in pedibus, & capite, communes sunt pro conciliando somno in febribus, cum herbis somniferis, cum lacte, cum quibus fiunt irrigationes, vel cum decocto foliorum malvæ, violariæ, lactucæ, vitis, nenupharis, & seminibus papaveris. Doncelli sic proponit:

℞. folior. malvæ, lactucæ, vitis, violæ, nenupharis, ana m.j. radicis mandragoræ ℥.ß. folior. melissæ m. ij. capita confracta papaveris albi, n. iij. Fiat decoctio in aqua.

RESOLVTIO XVII.

Utrum insensibilis perspiratio à natura sit utilis pro febrium curatione.

§. I.

Proponitur quanta, & qualis sit insensibilis transpiratio humani corporis.

VEterés Medicorum Principes docuerunt necessariam esse insensibilem transpirationem nostri corporis, & quàm varii morbi proveniant, si cohibeatur, præcipuè febres. Admittunt juniores, quorum alii omnes febres à cohibita transpiratione judicant provenire: alii verò quamplurimas saltem. Quanta autem sit communis transpiratio, non elaborarunt explicare usque in nostram ætatem, in qua Sanctorius *libello de Statica Medicina*, dilucidavit hanc doctrinam, à quo in usum transtulit Sennertus *tom. 2. lib. 2. cap. 7.* & nos alibi ex illis aliqua protulimus; & nunc pro illâ dilucidanda aliquas transferemus aphoristicas propositiones.

Hæ à Sennerto sic proponuntur. Perspiratio insensibilis solet esse longè plenior, quàm omnes sensibiles simul unitæ. Tum *sect. 1. aphor. 4.* si cibus, & potus unius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere solet ad quinque libras circiter. *Sect. 1. aphor. 6.* si corporis pondus plus solito augeri incipiat, sine majori cibi, aut potus additione, vel sensibilium excremen-

torum retentione, facta est adiapneustia. *Sect.* 1. *aphor.* 9. si ex staticis deprehendatur impeditam esse perspirationem, diebus sequentibus vel succedet plenior perspiratio, vel aliqua evacuatio sensibilis plenior, vel cacochymiæ vestigium, vel febris. *Sect.* 1. *aphor.* 11. perspiratio quæ salubriter aufert ex corpore multum, idque inutile, pondus non est, ut quæ cum sudore fit; sed ille halitus invisibilis, qualis hieme una die naturali ad quinquaginta uncias, & ultra exhalare potest. *Sect.* 1. *aphor.* 21. corpus ob externa errata non labitur in morbum, nisi antea aliquod viscus habeat præparatum. Præparatio hæc cognoscitur ex solito majore, seu minore pondere, non sine aliqua præcedente molestia acquisito. *Sect.* 1. *aphor.* 39. natura dum in perspirandi officio est impedita, incipit statim in multis deficere. *Sect.* 1. *aphor.* 40. prima morborum semina potiùs cognoscuntur ex alteratione insolitæ perspirationis, quàm ex læsis officiis. *Sect.* 1. *aphor.* 42. dum caput dolore gravatur, statim corpus incipit minùs perspirare, & ponderosius reddi. *Sect.* 1. *aphor.* 41. si ex ponderatione videris consuetum perspirabile retineri, & in sudorem, vel lotium post aliquos dies non facessere, inde cognosces retentum prænuntiare futuram putredinem. *Sect.* 1. *aphor.* 43. si perspirabile, nec à natura, nec à calore febrili resolveretur, corpus illico in malignam febrem præparatur. *Sect.* 1. *aphorism.* 46. febricitantes in pejus æquè incidunt, si à Medico imperito, medicamentis importunè exhibitis, illorum perspiratio divertatur, ac si ab erratis ægrotantium. *Sect.* 1. *aphor.* 47. magis occulta, & insensibilis transpiratio nos sublevat, quàm omnes sensibiles unitæ: à somno enim ante excretionem sensibilium excrementorum quisque sentit se liberiorem, quia reverà factus est levior solito tribus libris circiter. *Sect.* 1. *aph.* 53. spatio unius noctis sexdecim unciæ lotii, plus minusve; quatuor coctorum excrementorum per alvum; quadraginta, & ultra per occultam perspirationem evacuari utplurimùm solent. *Sect.* 1. *aphorism.* 58. pluribus unica die naturali per insensibilem transpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim diebus. *Sect.* 1. *aphor.* 60. si aëri æstivo frigus superveniat, illa die, supposita eadem vivendi libertate, tertiam partem circiter perspirationis ex ore prohibet, quæ nisi fiat sensibilis, facilè ad putre-

A dinem, vel ad cachexiam disponit. *Sect.* 2. *aphor.* 9. æstate corpora temperata sunt minoris ponderis, quàm hieme, tribus libris circiter. *Sect.* 2. *aphor.* 23. æstivo calori superveniente frigore, eodem die libra circiter excrementorum sensibilium magna ex parte, difflare prohibetur. *Sect.* 2. *aphor.* 29. ab æquinoctio autumnali ad solstitium hiemale qualibet die libram minùs circiter perspiramus; inde usque ad æquinoctium vernale incipimus liberiùs perspirare. *Sect.* 2. *apho-*
B *rism.* 41. perspirabile retentum, ut acre, febres, erysipelata, apostemata, destillationes, vel cachexiam facit. *Sect.* 2. *aphor.* 51. stomachus cibo repletus, si inter dormiendum absolvat primam coctionem, illius noctis perspiratio magna ex parte ascendit ad quadraginta uncias; si non absolvat, ad octodecim circiter. *Sect.* 3. *aphor.* 1. cibi multùm nutrientes, excepta carne vervecina, à cœna ad prandium non solent perspirari usque ad octodecim uncias. *Sect.* 3. *aph.* 4.
C cibi copiosi, sed tenuis nutrimenti, noctis spatio in plurimis ultra quadraginta uncias perspirare possunt. *Sect.* 3. *aphorism.* 5. caro vervecina facilè coquitur, & est vaporosa, perspirat noctis spatio trientem libræ magis quàm cætera solida edulia. *Sect.* 3. *aphor.* 8. non solùm incoctus cibus ut quantus reddit corpus ponderosum, sed etiam ut qualis, quatenus scilicet perspirationem impedit. *Sect.* 3. *aphor.* 17. usus carnis suillæ, & boleto-
D rum, malus: tum quia non perspirant: tum quia non permittunt cætera edulia simul ingesta transpirare. *Sect.* 3. *aphor.* 23. melones parum perspirant, sed quadrantem circiter auferunt consuetæ perspirationis. *Sect.* 3. *aphor.* 24. edulia apta perspirationi non corrumpuntur; immò post nocturnas vigilias hominem conservant sine læsione, & aggravatione. *Sect.* 3. *aphor.* 59. edulia non perspirantia, obstructiones, corruptelas, lassitudines, mœstitias & pondus efficiunt. *Sect.* 3. *aphor.* 60. in utente moderato victu per-
E spiratio nocturna aliquando ascendit ad tres libras: in habente plenissimum stomachum, præexistente vacuo, & robusto, potest ascendere ad quinque. *Sect.* 3. *aphor.* 68. dormiens septem horas occultè, simpliciter, & sine violentia, solet duplo magis quàm vigilans perspirare. *Sect.* 4. *aphor.* 2. somnus inquietus impedire solet trientem solitæ transpirationis. *Sect.* 4. *aphor.* 5. duplo magis dormiens perspirat vigilante. Hinc illud

famo

famosum: Duæ horæ quietis in vigilante perinde juvant ac una somni. *Sect.* 4. *aphor.* 19. perspirationem insensibilem cursu septem horarum in dormiente juvene esse quadraginta unciarum: in vigilante, viginti. *Sect* 4. *aphor.* 20. prohibito somno, si quid perspirationis cohibetur, manet febris periculum. Ex iis restat inquirere, an transpiratio sit in febribus pro remedio tentanda?

§. II.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

Videtur, quod non. Tum *primò*, quia febris syncopalis minuta est maximè lethalis, ex Galeno *lib.* 12. *Method.* Sed hæc provenit ex transpiratione spirituum per cutem. Ergo transpiratio in febribus debet timeri. Tum *secundò*: Perspiratio nocet in diariis, properat ad marasmum in hecticis, impedit coctionem in putridis. Ergo in omnibus nocet. Tum *tertiò*: cuilibet evacuationi annexus est casus virtutis. Sed perspiratio est reliquis intensior. Ergo magis nocebit.

§. III.

Perspiratio pro febrium curatione est remedium.

Resolvendum, quod pro febribus curandis, in quibus impeditur perspiratio, ipsa est præstantissimum auxilium.

Probatur *primò*. Quando retentio evacuationis est causa morbi, ejus reductio est medela sanitatis. Sed perspiratio cohibita, fit causa febrium. Ergo ejus reductio est remedium. Probatur minor. Tum ex Galeno *lib.* 5. *de sanit. tuenda*, *cap.* 11. ubi refert plures, qui quia se abstinebant ab exercitatione, ægrotabant ob defectum transpirationis. Tum *lib.* 8. *Method. cap.* 1. refert febrem ortam ex cohibita transpiratione in balneo aluminoso, quam curavit pororum apertione, & reddita perspiratione. Tum *lib. de causis procatarticis*, *cap.* 2. similem refert historiam. Tum *lib.* 5. *de sanit. tuenda*, *cap.* 12. docet quod abstinens à balneo incidebat in febres Primigenes Mythilenæus: & idem refert de aliis, quos curavit balneo, laxando cutem. Tum *lib.* 9. *Methodi*, *cap.* 4. Galenus febrem synochum ortam ex obstructionibus curavit phlebotomia deponente plenitudinem impedientem perspirationem. Tum Avicenna *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. agens de

A febribus ortis ex impedita perspiratione, plures adjecit differentias, quas curat auferendo causas impedientes perspirationem. Et *cap.* 39. pro curatione febris ortæ ex condensatione cutis, curat arrarando cutem, ut perspiret. Et capite sequenti laxat cutem, ut fiat transpiratio in curatione febris ortæ ex ejus densitate. Ergo in febribus ortis ex impedimento perspirationis, ipsa transpiratio est remedium.

Probatur *secundò*. Utilius remedium
B est, quod est magis indicatum. Sed pro febrium curatione perspiratio maximè indicatur. Ergo admittenda pro illarum remedio. Probatur minor. Nam indicatur tanquam necessaria in sanis & ægris, tanquam determinata evacuatio excrementorum, ad quæ evacuanda est à natura destinata. Tum quia præcipuè est necessaria in febribus ad evacuandas fuligines ex putredine elevatas. Ergo ut utile remedium in febribus.

Probatur *tertiò* ex communi Practicorum usu, qui variis utuntur remediis ad
C promovendam perspirationem per cutem, tanquam per utiliorem regionem. Tum per externas frictiones, per cucurbitulas, per inunctiones. Tum promovendo ab internis ad externas partes, per aquas cardui benedicti, buglossæ, papaveris rubri, scabiosæ, fumariæ, tormentillæ, zedoariæ, cum lapide bezoar, & aliis electuariis. Galenus *lib.* 11. *Meth. cap.* 9. consulit vinum, apparente coctione in febre non ustiva. Spagyrici pluribus utuntur aquis theriacalibus, bezoar
D metallico, extracto angelicæ, præcipitato diaphoretico, sale cardui benedicti, spiritibus tartari, trifera majori. Ergo ex communi usu Practicantium constat necessitas commovendi perspirationem in febribus, & varius usus medicamentorum, quæ ars adinvenit in illum.

§. IV.

Solvuntur rationes dubitandi, quæ proposita fuerunt.

E Respondetur. Tum pro *prima*, quod proponimus pro febrium curatione perspirationem, dum ab ejus impedimento provenit febris, aut ab aliis causis impeditur: vel dum malignæ fuligines retentæ fovent febrem, & accidentia illius. Tum pro *secunda*, quod perspiratio in diariis ortis ex ejus retentione, prodest, ut diximus cum Galeno, & Avicenna. Prodest etiam in febribus hu-

moralibus, præcipuè malignis, & pestilentibus, in quibus non solùm indicatur evacuatio excrementorum, ad quæ evacuanda est ordinata perspiratio; sed etiam evacuatio fuliginum, quæ elevantur per putredinem; ac etiam exanthematum, & fuliginum venenosarum, quas trudit natura per cutem. Tum pro *tertia*, quod licèt cuilibet evacuationi annectatur lapsus virtutis, si est ultra modum, si evacuatio est à natura præscripta, parum nocet; & etiam dum major, majus sequitur commodum, quàm virium dispendium, ut in perspiratione.

Hinc notandum venit, cum quanto incommodo Medici permittant febrientibus, & præcipuè in accessionibus, quod nimio utantur usu externorum infrigidantium, à quibus impeditur fuliginum & excrementorum perspiratio, ex quorum retentione maxima sequuntur incommoda, quorum aliqua patent ex aphorismis primò adductis. Vidi laborantem febre ardente, qui in accessione se contulit in solum aquâ frigidâ irroratum: & licèt juvenis & robustus, diu tamen immoratus obiit in refrigerio.

SECTIO VI.

De Remediis pro febribus, desumptis ex Pharmaceutica.

PHARMACEUTICA plura præstat instrumenta pro febrium curatione. Est enim ars, ut docet Celsus, quæ docet modum medicamenta seligendi, & miscendi. Materia medica completur ex medicamentis simplicibus, & compositis. Composita fiunt ex simplicibus: simplicia sumuntur ex plantis, animalibus, & mineralibus. Ab his variæ prodeunt facultates medicinales, quarum aliæ sunt occultæ, aliæ manifestæ. Sub occultis sunt aliæ purgantes per alvum; & hæ, aliæ laxando, aut comprimendo; aliæ occultis viribus, qualia sunt cholagoga, melanagoga, phlegmagoga, & hydragoga. Aliæ facultates occultæ sunt alexipharmacæ, quæ venenis resistunt: aliæ sunt venenosæ. Sunt & aliæ facultates medicamentosæ, à tota substantia corroborantes, cephalica, ophthalmica, splenetica, thoracica, cardiaca, stomachica, hepatica, cystica, hysterica.

Sub medicamentis, quæ operantur viribus manifestis, alia sunt primi, alia A secundi, alia tertii ordinis. Primi ordinis sunt calefacientia, refrigerantia, humectantia, & siccantia. Sub secundo attenuantia, detergentia, resolventia, emollientia, suppurantia, rarefacientia, laxantia, incrassantia, emplastica, compingentia, indurantia, repellentia, scarotica, anodyna, narcotica, vesficantia, epulotica, catheretica, glutinantia. Sub tertio ordine sunt diuretica, sudorifica, lithontriptica, menses moventia & sistentia, lac generantia, errhina, apB phlegmatismata. Inter medicamenta operantia à tota substantia, communiora pro febribus sunt purgantia, de quibus primò agemus.

RESOLUTIO PRIMA.

Utrum purgatio propriè sumpta, sit utilis pro febrium curatione?

§. I.

C *Proponuntur varia purgationis acceptiones, & dissentientium sortes.*

PRopriè dicuntur purgantia, quæ selectiva vi humores per ventrem movent, qualia sunt cholagoga, melanagoga, phlegmagoga, & hydragoga, & lenientia dicta. Galenus tamen latiori acceptione, *lib. 1. simplic. cap. 20.* vocat purgationem, Evacuationem à quocumque alio medicamento, & per quamcunque regionem factam. Juxta hanc acceptionem, ut prosequitur Claudinus, variæ D sunt purgationes, per vomitum, per sudorem, per secessum, per sputum à capite, per expectorantia à thorace. De propria expurgatione, quæ fit per alvum, inquirimus, an sit utilis pro febribus curandis, præcipuè humoralibus.

Inter vetustiores Medicinæ Dogmaticæ professores multa apparent suadentia, ad hoc quod purgatio selectiva propriè sumpta non sit admittenda pro febrium curatione. Tum *primò*, quia Hippocrates *lib. de medicam. purgant.* timet usum E purgantium medicamentorum; inquit enim: *Quicumque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non oportet; carnes enim ipsorum, & ventres, cùm calidi sint, medicamentum absumunt, & febris major fit.* Ex quibus apparet, quod saltem in febribus renuit purgationes. Tum *secundò*, ex eodem Hippocrate *lib. 5. Epidem.* & aliis in locis, constat suo tempore plures ob assumptas potiones purgantes mortuos fuisse,

fuisse, ut Scamander in Larissa, Theophorbi filius, Hecason in Omilu, adolescens ex Eubœa veniens, serva barbara, homo Eubœus, Antander, & alii. Tum *tertiò*. Plinius *lib. 26. cap. 3.* refert quod Asclepiades damnavit vomitiones, & usum potionum purgantium. Tum *quartò*, Celsus *lib. 2. cap. 12.* si alvus vehementer ducitur, tenet quod huminem infirmat. Ergo potiones purgantes non sunt admittendæ pro febribus curandis, ex doctrina Dogmaticorum.

Empirici purgationes admittebant, nullis attentis indicationibus; sed solùm quia observatiunibus didicerunt, aliquos ipsis usos fuisse. Methodici in morbis in adstrictione utebantur remediis laxantibus, & in hunc finem utebantur purgantibus in ipsis febribus. Vanhelmontius, ut deviaret à Dogmaticis, Rationalibusque Medicis, conatus fuit rejicere ab usu Medicinæ purgationem, quod suis deliramentis conatur suadere, ut diximus *tom. 1. Resol. Medicar. p. 4. disp. 2. sect. 3. resolut. 1.* & deduximus ex illo *lib. de febribus, cap. 5.* Tum *primò*, quia omnia medicamenta purgantia, sive vehementia, sive benigna, sunt venena, & ex illis sæpe sequuntur mortes. Tum *secundò*, quia in quodam Senatore Brabantino, qui sanus purgatus fuit, à pharmaco assumpto obiit. Tum *tertiò*, quia falsò asserunt Dogmatici, quòd purgantia attrahunt determinatos humores, & illos purgant, cùm potiùs carnes, & cruorem mutent in putrilaginem, & hanc evacuent. Quod confirmat: nam si sanus homo purgetur, ob propriæ substantiæ evacuationem incidit in tabem, ob sanæ propriæ substantiæ putrilaginem, quàm demonstrat fœtor in purgatione superveniens. Tum *quartò*, quia in superpurgatione tanta evacuatur cupia materiæ putrilaginosæ, ut exsuperet quantitatem omnium humorum, & viventium partium demonstret per putrilaginem transmutationem in copiosam materiam, quæ evacuatur. Ergo nulla purgatio potest esse utilis pro febribus curandis.

§. II.

Purgatio admittitur utilis pro curatione febrium, humoralium præcipuè.

Resolvendum quod pro febribus præcipuè putridis curandis, purgatio est remedium utile, & magna ex parte necessarium. Receperunt hoc dogma omnes Medici, exceptis imaginariis, Dogmatici, Empirici, Methodici, & Spagyrici, qui ex suis fornacibus varia eduxerunt pharmaca purgantia.

Probatur *primò*. Debilitas est intellectus, quærere rationem ubi sensus fidem facit, ex Aristotele. Sed per innumeras ætates convincit sensus ex communi usu, & experientia Medicorum omnium Sectarum, quod in febribus putridis purgatio minorativa, radicativa, per epicrasin, aut lenitiva, in turgentia, in urgentia, tam in continuis, quàm in intermittentibus febribus, quamplurimos liberaverit à periculo mortis, reduxeritque ad integram sanitatem. Ergo admitti debet tanquam utile remedium pro curandis febribus.

Probatur *secundò*. Febres pendentes ex cacochymis humoribus, petunt curari per causæ ablationem, & evacuationem, à qua dependent: Sed hæc non evacuatur per sanguinis missionem, quæ indicatur à morbo pendente ex vitiò sanguinis, ut demonstravimus *tom. 1. Resolut. Medic.* sed per purgationem, quæ indicatur à morbo magno pendente ex humuribus cacochymis. Ergo pro iis curandis in febribus purgatio est necessaria.

Probatur *tertiò* ex depravatis imaginationibus Vanhelmont, in quibus firmat sua deliria. Tum quia febrem constituit in depravatione Archæi, ob pravos succos depravantes illum. Ergo illorum purgatio, ut remedium, est admittenda ab illo; quia manente causâ, semper permanebit effectus. Tum quia nec obstat purgationi, quod sæpe subsequantur incommoda & superpurgationes; quia hæc non fiunt vi medicamenti, si rectè applicetur, ut apparet in bonis eventibus; sed aut inscitiâ Medici proponentis, aut Pharmaceutici malè præparantis. Tum quia Vanhelmont negat, dari humores purgandos intra corpus, quos in febribus ante, & post purgationes experimur diversos in colore, substantiæ modo, & accidentibus. Tum quia iidem diversi humores cognoscuntur intra corpus redundantes, juxta diversas intemperies; quas valent causare, juxta diversos morbos, qui proveniunt ex illis, juxta diversas species febrium, quæ causantur ex illis; quantumvis imaginarius iste contendat confundere hecticas, & diarias cum humoralibus; & has omnes cum malignis & pestilentibus, quæ lethaliores sunt, etiamsi ipse

imaginetur esse salubres. Tum quia frustra intendit Vanhelmont, quod semper noceant purgantia, cùm à reliquis omnibus Medicis securissima experiantur, si cum debitis cautionibus offerantur, in debito tempore morbi, in debita quantitate juxta vires ægri, & juxta excessum humoris cacochymi, & non nisi indicata à cacochymia, & vitando externas causas, quæ obstant purgationi, nimium calorem, nimiam frigiditatem, & quæ intus prohibent, ut internæ inflammationes, & ardentissimæ febres: vitanda etiam purgatio in nimia naturæ propensione ad ventrem, quia timorosum est solvere ventrem supra ventris solutionem: corrigenda ventris adstrictio humectantibus, reddendo corpora fluida. Ergo iis prævisis, secura erit purgatio.

§. III.

Solvuntur objectiones primò propositæ.

AD rationes ex Dogmaticis propositas respondetur. Tum *primò*, quod Hippocrates non prohibet purgationes, immò librum scribit, docens purgantium medicamentorum usum. Proponit tamen cautiones in exhibendis medicamentis purgantibus, quæ maximè sunt evitanda in vehementissimis febribus, & internis inflammationibus, præcipuè si sint vehementissima, qualia fuerunt, quæ sua ætate cognita erant. Tum *secundò*, quod mortes eorum, quas supervenisse meminit Hippocrates, tribuendæ sunt vel indebito usui purgantium; qui nondum erat cognitus veteribus; vel violentiæ purgantium illius ætatis, in qua nondum erant cognita benigna & securiora medicamenta, quæ ab Arabibus & aliis nobis sunt manifestata. Tum *tertiò*, quod Asclepiades metuit pharmaca, & usum pharmacorum vehementiorum sui temporis, qualia sunt elaterium, veratrum, & similia, quæ & ventriculo, & nostræ naturæ sunt vehementissima, & nociva. Tum *quartò*, quod Celsus eadem renuit medicamenta, & ex illis timet superpurgationes; non tamen benignas purgationes.

Ad Vanhelmontii placita dicimus, pro *primo*, quod sine correctione purgantia, præcipuè vehementiora, sunt venenosa: correcta verò sunt securissima; ideo inquit Paulus, quod omnia illa sunt venena malè administrata: verùm rectè administrata sunt manus Dei. Tum pro *secundo*, quod in Senatore, &

A aliis, mala administratio medicamentorum potest mortem causare. Idem contingit in alimento, & aliis rebus malè administratis, quæ debitè exhibita sunt pro sanitate conservanda utilia. Tum pro *tertio*, quod solus Vanhelmont, credens suæ imaginationi, ob conatum contradicendi doctrinis Dogmaticorum, dissentit à propria suorum sensuum cognitione, contenditque suadere reliquis, ut contra sensuum evidentiam credulitati suæ adaptentur: sine putrilagine
B enim à medicamento purgante causata, in spontaneis evacuationibus humorum contingunt copiosæ evacuationes humorum, qui superfluunt in corpore; vitiatis enim officinis ex communi alimento, generatur in illis sine putrilagine tanta substantia excrementitia, ut vix posset credi, nisi experientia id attestaretur, ut patet in hydrope, in qua sine purgante pharmaco, & sine putrilagine, tanta evacuatur copia seri, ut vix credi possit, in corpore contineri.
C Tum pro *quarto*, patet ex dictis, tantam copiam excrementorum in corpore ob vitium officinarum generari sine corporis sensibili imminutione, ut nec ex toto illo transmutato in extraneam substantiam posset exspectari, quod non arguit putrilaginem à pharmaco causatam, sed vitium officinarum producentium. Nec Senatoris mors, si vera fuit, convincit pharmacorum vim putrefactivam, sed Medici offerentis inscitiam: nec pharmaceutici præparantis ignorantiam,
D sed malevolentiam Helmontii in Dogmaticos, qui tacuit innumeros quos interfecit, quia non purgavit illos, & purgati viverent, nisi ab ipso omissione, aut malitiâ, proficua purgatio denegaretur.

RESOLUTIO SECUNDA.

Utrum ante omnem purgationem præ-requiratur præparatio humorum?

E
§. I.

Qualis sit coctio, qua præparantur humores ante purgationem?

PRæparatio ad purgationem alia est humorum, alia viarum, per quas fit. Humorum præparatio est illorum dispositio, quâ aptiores redduntur ad expurgationem. Fit per primas, aut secundas qualitates, juxta diversitatem humorum, qui expurgandi sunt, quorum alii sunt

sunt sanguini commixti, integrantes massam sanguinariam; alii sunt supernatantes, separati à sanguinis commixtione, sive intra eadem vasa sint simul cum sanguine, sive extra illa permaneant: & ii cacochymi fiunt, & propriis nominibus insigniuntur, vocanturque jam non sanguinariæ massæ partes, sed bilis, melancholia, pituita, aut serum, qualiter contingit in lacte, in quo dum butyrum, caseosa pars, aut serum sunt commixta, dicuntur lac: dum verò separantur à commixtione, sive sint in eodem vase, sive in diversis, jam non dicuntur lac, sed butyrum, aut nata, caseus, sive serum.

Dum humores sunt commixti sanguini & putrescunt, præparantur per coctionem in juvativo, si manent apti pro nutricatu; in nocitivo, qui licèt inepti nutritioni, possunt reduci in benigniorem statum per coctionem, de qua dicit Galenus, quod facit cessare putredinem. Propriè sumpta coctio est perfectio viventium à natura, quæ maturatio vocatur ab Aristotele *lib. 4. meteororum*. Coctio circa alimentum, elixatio est, non autem perfecta coctio: à Medicis tamen pro coctione usurpatur, quia est quædam illius elaboratio, per quam perficitur in suo substantiæ modo, & fit aptum, ut assimiletur. Per coctionem in juvativo, putrescentes humores, qui erant commixti sanguini, separantur ab ejus commixtione, & fiunt cacochymi, objectum expellentis, & indicant purgationem: & hæc coctio in febribus putridis, communior est humorum præparatio requisita ad illorum purgationem, de qua loquitur Hippocrates *lib. 1. aphor. 22.* dicens: *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principiis morborum.* Hinc constat, quod pro purgatione in febribus duplex est præparatio, alia per quam humores commixti sanguini præparantur, ut per coctionem separentur ab ejus commixtione, & fiant cacochymi, & apti ut purgentur. Alia est præparatio humorum, qui sunt jam cacochymi, & separati à sanguinis commixtione; & talis præparatio fit per ea quæ auferunt impedimenta, quæ possunt obstare expulsioni illorum, qualia sunt crassities, glutinositas, densitas, nimia tenuitas, & quæ reserant vias purgationis impeditas; quæ præparatio docetur ab Hippocrate dicente: *Oportet corpora fluida facere.* De utraque præparatione inquirimus, an requiratur in febribus pro purgationibus.

§. II.

Varia opinantium proponuntur placita.

Variæ sunt opinantium sortes. Mercurialis *lib. 2. aphor. 9.* tenet nullam prærequiri in febribus præparationem pro peccantium humorum purgatione. Tum *primò*, quia eo ipso, quod humores sint cacochymi, sunt omninò præternaturales, & irritant facultatem expultricem ad illorum expulsionem, tanquam objectum proprium illius. Ergo sine alio præparante expellet illos. Tum *secundò*, quia natura per facultatem expellentem est potens expellere humores noxios, & nequit impediri in illorum expulsione à facultate retentrice, à qua detinebantur dum erant commixti sanguini. Ergo sine præparatione petunt purgari. Alii tenent, quod humores purgandi, aut sunt tenues, & ii sunt apti moveri sine præparatione; aut sunt crassi, & indigent præparationne per medicamenta attenuantia. Avicenna *fen. 1. 4. tract. 2. c. 7.* tenet quod humores tenues, ante purgationem petunt præparari, & incrassari: contra Rasium. Probat, quia non possunt purgari, nisi recipiant impulsum facultatis expellentis: Sed ob tenuitatem nequeunt illum recipere: Ergo ante purgationem petunt præparari per incrassantia.

§. III.

Qualis præparatio requiratur in febribus putridis pro humorum purgatione.

Resolvendum, quod in febribus pro putridis purgandis humoribus, requiritur illorum præparatio per coctionem.

Probatur ex Hippocrate *lib. 1. aphorism. 22.* dicente: *Concocta medicari, ac movere, non cruda.* Ergo ex Hippocrate pro purgatione in febribus humorum putrescentium, requiritur illorum coctio.

Probatur *secundò*: Humor qui est sanguini, aut cum utilibus commixtus, donec separetur, non fit cacochymus, nec objectum expultricis, sicut nec in ventriculo excrementa alimento commixta, non sunt objectum expultricis, donec coctione separentur. Ergo & humores putridi sanguini commixti non sunt objectum expultricis, nec apti purgationi, donec

donec per coctionem separentur à commixtione sanguinis. A

Probatur *tertiò*. Humores, sanguini commixti causantes febrem, non sunt apti purgationi, donec desinant esse objectum retentricis. Sed dum sunt sanguini commixti, manent objectum retentricis. Ergo inepti purgationi. Probatur minor. Toto tempore quo putrescentes humores sunt utilibus commixti, ob illorum utilitatem retinet natura inutiles, ut patet in omnibus coctionibus corporis, in quibus non expellit inutile B commixtum utili, donec ab utili illud separet, ut apparet in excrementis quæ separantur in ventriculo; in bile, & melancholia, quæ separantur in jecore; in sero, quod separatur in tertia regione.

Probatur *quartò*. Licèt coctio humorum fiat à natura concoquente, fit medio calore, & aliis coadjuvantibus proportionatis. Sed calor ut concoquat, potest proportionari, & coaptari. Ergo per plura potest tentari humorum coctio. Probatur minor. Tum respectu bilis, C quæ dum fit tenuissima, & calidissima, petit attemperari, & incrassari, ut tenet Sennertus: ad quod conferunt cichorium, endivia, sonchus, scariola, condrilla, hordeum, borrago, buglossa, semina frigida, succus citri, granatorum, ribes: quibus, ut tenet Claudinus, utimur sub variis formis, sub liquida, sub solida, sub diluta: sub liquida fiunt syrupi: sub dilutis sunt jus, præcipuè pullorum, cùm herbis attemperantibus; sunt aquæ instillatitiæ, & macerata in D liquore. Sub forma solida fiunt rotulæ, & boli. Tum pro adjuvanda coctione pituitæ, prosunt incidentia, & attenuantia, ex parte materialis causæ, ut hyssopus, capilli veneris, agrimonia, syrupus de bizantiis, uterque acetosus, oxymel, syrupi de duabus radicibus, & de quinque radicibus. Tum pro humore melancholico utimur humectantibus, & attenuantibus. Sic pro quartana conferunt polypodium, borrago, scolopendrium, violæ, ceterach, capparum, glycyrrhiza, ex quibus fiunt syrupus borraginis, bizantinus, fumariæ, buglossi, E scolopendriæ, lupinorum, oxysaccharum, simplex, & compositum. Tum præcipuè pro remittenda intensione febris impedientis coctionem, utimur syrupo citri, agrestæ, granatorum, de succo limonum, cum aquis tormentillæ, cichorii, endiviæ, sero lactis, prisana, & aliis attemperantibus nive refrigeratis.

§. IV.

Præparatio humorum separatorum à commixtione sanguinis, qualis sit?

RESolvendum *secundò*, quod humores separati à sanguinis commixtione, licèt nequeant concoqui, tamen aliis indigent præparantibus.

Probatur. Tum ex Hippocrate *2. aphorism. 9.* dicente: *Dum quis purgare voluerit, oportet corpora fluida facere.* Et *lib. 7. aphor. 68.* inquit: *Et si suprà sistendum; si verò infrà, humectare.* Idem docet Galenus *in comment. & lib. 6. Epidem. comm. 5. text. 29.* Tum ex illis recepit usus pro purgatione humorum cacochymorum ventrem humectare, & emollire per clysteres ante purgationem. Tum pro impedientibus excrementis ad purgationem utimur etiam clysteribus emollientibus, & abstergentibus. Tum si evacuandi sunt humores crassi, & terrestres, viscidi, aut glutinosi, utimur medicamentis attenuantibus, incidentibus, humectantibus, laxantibus, sub variis formis. Ergo pro cacochymis humoribus præparandis ad purgationem, utendum variis remediis in id conducentibus.

§. V.

Solvuntur rationes primò proposita.

AD rationes primò positas respondetur. Tum pro *prima*, quod humores commixti sanguini, etsi putrescant, non fiunt cacochymi, donec separentur ab ejus commixtione: separantur autem per coctionem; & ideo coctio est eorum præparatio, per quam separati desinunt esse objectum retentricis, & fiunt objectum expultricis, & indicant purgationem. Tum pro *secunda*, quod natura per expultricem expellit humores, qui separati à commixtione sanguinis, fiunt tales, & indicant sui purgationem: quæ ideo rectè perficitur, quia ut docet Galenus *1. aphor. 22.* habemus *naturam adminiculantem.* Pro Avicenna fatemur, quod humores tenuissimi petunt incrassari.

RESO

RESOLUTIO TERTIA.

Quid sit purgatio, quotuplex, & à quo indicetur.

§. I.

Describitur purgatio. Partitur primò.

Resolvendum *primò*, quod purgatio in sua latiori acceptione est evacuatio aliorum succorum, præter sanguinem. Alia fit à natura; alia fit ab arte: alia est universalis, quæ fit à toto; alia est particularis, quæ fit à parte determinata corporis, ut à pectore, aut capite.

§. II.

Purgatio magis propria definitur, & dividitur.

Resolvendum *secundò*, quod Magis recepta Medicis purgatio est quæ vi medicamenti tentatur à Medico per medicamenta humores commoventia à prima, aut secunda regione. Hæc alia fit per vomitum, tentata per medicamenta vomitoria: alia per ventrem, excitata per pharmaca solutiva.

§. III.

Definitur purgatio sumpta in sua propria acceptione.

Resolvendum *tertiò*, quod purgatio propriissimè accepta, est evacuatio per ventrem facta vi medicamenti purgantis, indicata à morbo magno pendente ex humorum cacochymia. Sic tradidimus *tom.1. Resol. Medic.p.4.disput.2. sect.3.resolut.4.*

§. IV.

Dividitur purgatio propriissimè accepta.

Resolvendum *quartò*, quod purgatio alia est lenitiva, quæ leniter, sine vi perveniente ad secundam regionem, primæ regionis commovet succos ad ventrem, quam loco nuper citato deduximus ex Hippocrate *lib.de natura mulier. & lib.7. Epidem. & lib.1. acutor.* Alia est purgatio selectiva, quæ vi selectiva pharmaci humores trahit maxima ex parte à secunda regione, commovet in primam, & quàm maximè per ventrem movet, ut deduximus *loco citato*, ex Hippocrate *lib.de medic.purgant.1.aphorism.22.24.29.& 4.aphor.* Sunt Pharmaca propriè purgantia in triplici differentia: alia benigna, seu moderata: alia mediocria: alia violenta. Inter benigna sunt cassia, manna, succus prunorum dulcium, syrup. violat. aut rosarum persicarum, serum lactis, pulveres lactis mechoacan. Sunt mediocria rhabarbarum, agaricus, senna, aloë, turbith, hermodactylus, polypodium, mirobolani. Sunt violenta, colocynthis, scammonium, elaterium, peplium, helleborus, thymelæa, chamelæa, thapsia, cataputia.

§. V.

Proponitur proprium indicans purgationis in febribus.

Resolvendum *quintò*, quod proprium indicans purgationis in febribus, est morbus magnus, pendens ex succorum cacochymia. Sic tradidimus, & probavimus *tom. 1. p.4. disp. 2. sect.3.* contra communem assensum Medicorum, qui humores qualitate peccantes tenebant esse indicans purgationis: ubi latè manet comprobata hæc doctrina, quæ deducitur ex Galeno 13. *Methodi, cap.6.* dicente: *Succorum vitium cacochymiam appello, quoties vel flava bile, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus corpus repletum fuerit, quæ purgatione, quæ cuique superanti succo sit commoda, corrigitur.* Ubi succorum cacochymiam proponit pro purgationis indicante. Idem confirmat *lib. 6. Epidem. comm. 2. & 2. aphor. 37.* dicens: *Quæ evacuanda sunt, qualitatem indicant: hoc verò id est, num aquosa, ac tenuia vacuare expediat, num pituitosum humorem, num biliosum, num atram bilem, num horum quædam, num etiam omnia?* Hic pro indicante purgationis cacochymos refert humores.

RESOLUTIO QUARTA.

Utrum in omni cacochymia competat purgatio?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & fulcitur.

Purgationem diximus indicari à morbo magno pendente ex humorum cacochymia. Dubitatur nunc, utrum in omni morbo magno pendente ex cacochymia humorum, statim competat purgatio, sine eo quod ob aliquod impedimentum debeat retardari, aut impediri. Videtur quod datâ cacochymiâ, à qua fovetur

fovetur morbus magnus, semper statim debeat exerceri purgatio, nullâ aliâ adhibitâ consideratione. Nam Medicus debet tunc temporis exercere remedium, dum manet indicatum; quia indicatio est insinuatio agendorum, ex Galeno, & per quam invenit occasionem, & naturam remedii. Ergo semel indicata purgatione, non est immorandum in illius exequutione.

§. II.

Qualia coindicare, aut contraindicare valent purgationem?

Resolvendum *primò*, quod præter cacochymiam indicantem purgationem in morbo magno, sunt plura, quæ valent impedire, aut coadjuvare pro remedio indicato.

Probatur *primò*. Eadem currit ratio pro exercenda sanguinis missione indicata, ac pro exercenda indicata purgatione. Sed sanguinis missio non exercetur, licèt sit indicata, si obstent contraindicantia. Ergo nec purgatio. Probatur minor ex Galeno *lib. de sanguinis missione, cap.* 11. qui tradens occasionem mittendi sanguinem, inquit, quod est exercenda sanguinis missio, non solùm dum est indicata, sed dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium.

Probatur *secundò*. Pro exercenda purgatione non solùm attenditur ad cacochymiam, & morbum pendentem ex illa; sed ad alias causas, ad symptomata, ad temperamentum ægri, ad ambientem, ad ætatem, ad consuetudinem, ad peculiarem ægri naturam, ad sexum, ad exercitia, ad morbi longitudinem, aut brevitatem, ad membrorum temperiem, ad morborum tempora, ad passiones, ad vires & syderum influxus, & ad alia, à quibus prima indicatio potest impediri. Ergo adhuc præsente indicatione purgandi desumpta à cacochymia, non statim petit exerceri purgatio.

Probatur *tertiò* ex variis Hippocratis, & aliorum locis, ex quibus ab iis patet impediri indicatam purgationem. Tum ab ipsismet febribus, à quibus indicatur; inquit enim Hippocrates *lib. de medic. purgant. Quicumque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamentum purgans dare non oportet, donec remiserit febris, saltem non intra quatuordecim dies. carnes enim ipsorum, & ventres, cùm calidi sint, medicamentum absumunt, & nihil repurgatur, & febris major fit, & calor evertitur, & morbi regii speciem præsefert.* Et 1. *aphor.* si urget necessitas, raró, & cum præmeditatione audet purgare. Tum ex accidentibus in febre orta ex cacochymia, solet impediri purgatio. Sic Galenus *lib.* 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 14. si fuerit febris cum profluvio ventris, tenet, *quod non est opus alia evacuatione.* Et Hippocrates *in prorhet. comm.* 2. tenet non esse purgandos ob accidentia cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox, claususque, ob prædicta accidentia. Tum ratione temperamenti in morbis ex cacochymia, tenet Galenus quod impeditur purgatio, *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. ubi inquit, quod quicumque calidi, & sicci naturâ sunt, ii omnes facilè offenduntur ab integris evacuationibus. Tum à partibus affectis impeditur purgatio in febribus, indicata ab humore cacochymo. Sic Hippocrates tenet, quod erysipelas ab extra ad intra malum. Ideo in illo sanguinem mittimus, & non purgamus. Et 4. *aphor.* 18. à doloribus infra præcordia tenet infernam purgationem prohiberi. Tum à virium debilitate indicata purgatio impeditur; inquit enim Galenus 3. *Meth. cap.* 7. & 9. *Meth. cap.* 13. quod *major habenda ratio virium, quàm morbi.* Hippocrates *lib. de loc. in homine,* inquit: *Si morbus debilis, & fortis agrotus, fortiori, quàm morbus est, medicamento utendum: si verò morbus fortis, & debilis agrotus, debilibus pharmacis curabis.* Ubi purgatio cohibetur à viribus, adhuc indicante cacochymia. Tum ambiens aër impedit purgationem in cacochymia. Hippocrates post canem, & ante canem, difficiles judicat purgationes. Galenus *de purgandi rat.* à canis ortu per plures dies prohibet purgationem. Paulus *lib.* 2. *cap.* 37. præcipuè prohibet in æstate, si æger sit calidi temperamenti. Tum in cacochymis ætates prohibent purgationem, vel aliqualiter impedire possunt, quia ut inquit Hippocrates *lib. de genitura: Habenda est ratio hominis, ætatis, & speciei:* ideo *in Epidem.* refert, ægrotantium & ætates, & sexus pluries: & in prima ætate, & ultima sæpe recusamus purgationem. Tum renuit purgare sæpe ratione consuetudinis, ex Galeno 1. *ad Glauc. c.* 14. Hippocrates *lib. de medicam. purgantibus*, inquit quod si alicui pharmacum dare voles, sive sursum purgans, sive deorsum, interrogare ipsum oportet, an

A an priùs biberit melicratum, & an alvus excitata moventibus sit, an celeriter obediat, an dura. Ex nimis enim concitata alvo, ex consuetudine cognitâ prohiberi debet purgatio, quia ex eodem, turpis est calamitas exhibito pharmaco ægrum perire. Tum, natura peculiaris ægroti potest impedire usum purgationis, ex Galeno 1. *ad Glauc.c.* 14. vel ratione antipathiæ cum medicamentis purgantibus, vel quia corpus facile est resolvi à medicamento, vel quia abhorret ventriculus. B Tum sexus solet prohibere purgationem, præcipuè ratione fœtus in utero, vel ratione lactationis. Tum duratio morbi, si vires prosternit, purgationem impedit; inquit enim Hippocrates 1. *Epidem.* de Scamandro in Larissa, quod videbatur multò tempore quod potuisset morbum ferre, nisi ex pharmaci vi periisset. Tum morbi tempora prohibent purgationem, dum in illis nondum manifestatur cacochymiæ præsentia: ideo Hippocrates in principiis morborum; crudâ existente C materiâ prohibet purgationem, nisi ab orgasmo manifestetur cacochymia. Tum accessiones valent impedire cacochymiæ purgationem. Hippocrates 4. *Epidem.* tenet accessiones considerandas esse, & quando redeant: & *in aphorism.* ait: *In accessionibus abstinere oportet.* Et Avicenna inquit: *In accessionibus nihil moveas.* Tum solent impedire indicatam purgationem, ex Hipp. *lib. de aere, & loc.* magnæ temporum mutationes; ambo solstitia, & æquinoctia, dies caniculares, Arcturi exortus, Pleiadum occasus, D plenilunia, conjunctiones, dies quarti lunæ, si commodè vitari possint purgantia; sin minus, ut inquit Vallesius, minima omnium indicationum est, quæ sumitur ab Astris. Constat ergo ex dictis, quod adhuc data cacochymia fovente febrem, sunt plura, quæ possunt impedire quo minus statim propinetur medicamentum purgans. Attendendumque semper inter indicans, & contraindicantia, ad id quod magis urget, alterò non neglecto. E

§. III.

Solvitur ratio dubitandi primò adducta.

AD rationem dubitandi, respondetur ex dictis cum Galeno, quod indicatum remedium magnum petit exerceri dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium.

RESOLUTIO QUINTA.

Utrum dum timetur recidiva in febrium solutione, sit utilis purgatio.

§. I.

Proponitur, & fulcitur ratio dubitandi.

TOmo 1. *Resolut. Medicar. disp. unica,* egimus de morborum recidiva, quæ est rediens ejusdem morbi jam soluti ex toto paulò antea in seipsum, ex vi morbi soluti: & hæc vocatur recidiva propria: impropria vocatur quæ sine omnimoda morbi remissione supervenit. Recidiva propria alia est legitima, quæ oritur ex materia relicta ex morbo recidivante post imperfectam judicationem, ex Hippocrate 2. *aphor.* 12. Recidiva illegitima est duplex, alia proveniens ex intemperie calida in jecore, aut internis partibus relicta, alia proveniens ex indebito victus usu.

Proposuimus cum Mercuriali, *in tom. 1. Resolut. in aphor. comm.* 12. quod si timetur recidiva, nihil moliendum, quia *multa nocent mota, quæ si non moverentur, non nocerent*, ex Hippocrate: & purgatione commoti humores interturbantur à coctione in intervallo intentâ à natura; & ideo Hippocrates morbò ad judicationem eunte, tenet quod melius est quietem habere.

§. II.

Quid tenendum, resolvitur ex loco citato.

REsolvendum, quod juxta recidivæ causas adaptatur purgandi ratio. Sic tradidimus *loco citato, resolutione ultima.* Probatur: Tum, quia si recidiva timetur ex eis quæ relinquuntur, si timetur, quia nondum erat perfectè cocta materia, non purgandum, ne interturbetur coctio, quam tentat natura pro perficienda morbi terminatione, si relicta est materia; quia maligna, & perniciosa vires resolveret, & debiles non potuerunt illam expellere; & quanto citiùs pharmaco removetur, citiùs vires prosternit ex toto, & perit animal. Ergò dum ab iis causis timetur recidiva, non est tentanda purgatio. Tum si timetur recidiva ab intemperie calida in visceribus relicta, viscera & humores petunt attemperari, & repugnat purgantis pharmaci exhibitio; quia seipso calefacit,

& calidos humores commovet in partes internas calore intemperatas. Tum si ex indebito victus usu timetur recidiva, lenitiva purgatio proderit, auferendo causam. Ergo dum in febribus timetur recidiva, juxta causas diversas, ob quam timetur, sumenda est ratio purgandi.

§. III.

Ad dubitandi rationes respondetur.

AD fundamenta pro Mercuriali adducta, respondetur quod licèt in superabundante cacochymia ex indebito usu in victus ratione, non negamus pharmaci lenitivi usum; in reliquis tamen causis recidivæ nullum admittimus in metu recidivæ in febribus pharmacum, ob propositas rationes pro Resolutione.

RESOLVTIO SEXTA.

Utrum Purgatio per vomitum sit utilis pro febrium curatione?

§. I.

Quid sit vomitus, & de variis ejus differentiis.

ARs imitatur naturam, hæc molitur evacuationes per omnes corporis regiones, ut inquit Quercetanus, & sursum, & deorsum: & alias efficit universales, alias particulares. Generales evacuationes tentat per ventrem & vomitum, per sudores, & urinas. Frequentiores generales evacuationes consequitur per secessum, & per vomitum. Per secessum tentatur purgatio per pharmaca solutiva, quæ indicantur modo quo suprà proposuimus, per os sumpta, vel per clysteres in ventrem injectos, de quibus infrà agemus: nunc verò de vomitu.

Vomitus est ventriculi depravatus motus concussivus, quo vis expultrix irritata, contractis fibris partis inferioris, laxatisque superioris, materiam in capacitate contentam, sibi molestam, sensibiliter per superiora violento impetu rejicit. Vomitus alter est naturalis, alter artificialis. Naturalis, aut supervenit sine morbosa constitutione, vel præsente morbo: & ut sic vomitus aut est periodicus, aut criticus, aut symptomaticus. Periodicus solet fieri in aliquibus, quia assuetus, præcautionis causâ: criti-

A cus supervenit in febribus, in quibus materiâ coctâ, intendit natura illam expellere per vomitum. Symptomaticus dicitur, qui per febres, aut alios morbos contingit, materiâ crudâ, diminutus, aut concitatus, sine ægri levamine. Vomitus artificialis dicitur, qui provenit ab externis causis, præcipuè concitatus per medicamenta vomitoria. De quo præcipuè agimus, inquirentes an possit esse remedium pro febribus curandis.

B

§. II.

Proponitur ratio dubitandi, & vomitoriorum varius usus.

QUæ superfluunt in prima regione, ut tenet Claudinus *lib. 2. de ingressu ad infirm. cap. 3.* si deorsum inclinant, potiùs per clysteres petunt evacuari; si sursum, per vomitum; si in media ventris regione, per lenientia. Sursum inclinare demonstrant nausea, perturbatio

C ventriculi, aut repletio in illo: stat enim sub lenitiva purgatione, quæ ventrem deponit, evacuatio per vomitum, per lenientia, & per clysteres exhibita. De vomitu nunc agimus, non qui fit à causis internis præternaturalibus, sed de illo, qui tanquam purgatio lenitiva, tentatur à Medico, præcipuè in febribus; & fit concitatus à medicamentis vomitoriis.

Medicamenta vomitoria, alia apud Dogmaticos sunt recepta, alia apud Spa-

D gyricos superaddita, adaucta, & decantata. Quæ communia Dogmaticis in usu habentur, ex Galeno 3. *de sympt. causis:* vel ventriculum nimiâ copiâ gravant, & quantitate molestant, aut qualitate acri & mordicante vellicant, & lancinant, aut à tota substantia, aut quia venenosa, sunt omninò contraria: hinc vomitoria dicuntur benigna, mediocria, vel violenta, ex Galen. *lib. 1. de aliment. cap. 1. de sesamo, & lib. 15. de usu part. c. 4.* Claudinus mitiora componit, & Quercetanus ex aqua tepida cum syrupo ace-

E toso, vel oxymelite simplici, vel oleo olivarum, vel amygdalarum dulcium, quæ exhibentur in magna quantitate. Mediocria fiunt ex decoctione raphani cum radice & semine atriplicis, erucæ, nasturtii, cepæ, vel ex decoctione asari, quibus additur syrupus acetosus, vel oxymel scilliticum, aut hydromel compositum cum radice asari, vel cum diasaro. Fortissima vomitoria ac violentissima fiunt ex veratro albo, vel ex u

tro-

que helleboro, thymælea, chamælea, peplio & aliis similibus.

Inter vomitoria inventa à recentioribus, proponit Quercetanus plures formulas à Rulando præscriptas, qualia sunt spiritus aureus, aqua benedicta Rulandi, aqua terræ sanctæ, vinum maceratum in calice chymico, crocus metallorum, ad pisi magnitudinem maceratus per horas xxiv. in ℥.iv. vini albi. Doncelli pro provocando vomitu laudat acetum scilliticum, aquam de Æsculapio, crocum Metallorum, flores antimonii, meteurium vitæ, sal vitrioli, syrupum vomitorium Arthomani, vel Gralingii, turpetum minerale, vinum reguli antimonii: quorum formulas præscribit in sua Pharmacopœa Dogmatica Spagyrica. Hodecus plures continet *art.*11. *de vomitu.* Vvillis *tom.*3. *sect.*2.*cap.*3. varias ex Spagyricis formulas refert. Doncelli præter alias plures formulas, tres proponit. Pro vomitorio levi,

℞. aquæ communis, vel aquæ hordei, aut flor. arantiorum ℔. j. syrupi acetosi ℥. iij. Misce, sumatur tepidum. Pro mediocri,

℞. salis vitrioli ʒ.j. fiant pilulæ cum syrupo cinnamomi: vel loco illius repone ʒ.j. crystalli vitrioli depurati. Commendat sal vitrioli multis encomiis cum Angelo Sala. Vel

℞. Mercurii vitæ ℈. xij. infunde in ℥. vj. vini per horas xij. in loco calido: cola, bibatur vinum. Vel

℞. turpethi mineralis ℈.x. confectionis hyacinthorum q. sufficiat. Fiat pilula. Vel

℞. vitri antimonii pulverizati ℈. x. vini potentis ℔. ß. Fiat vomitorium. De iis omnibus inquirimus, an eorum usus sit utilis pro febribus curandis.

§. III.

Pars negativa proponitur & fulcitur.

Videtur, quod vomitus non sit utilis in febribus. Tum *primò*, quia Celsus damnat illius usum, dicens: *Illud scire oportet, omne ejusmodi medicamentum, quod potui datur, ægris non semper prodesse, semper verò nocere sanis.* Tum *secundò*, Valleriola *lib.*3. *enarrat.* meminit constitutionis febrium, in qua supervenіente vomitu, ægri animi deliquiis tentabantur. Ex quo apparet vomitum in febribus esse suspectum. Tum *tertiò*, vomitus atræ bilis ex Hippocrate 4. *aphorism.* 22. est lethalis. Ergo si concitatus vomitoriis, in febribus, potest mortem causare. Tum *quartò*, per febres ventriculus fit debilis, & ægri fiunt graciles. Celsus in iis prohibet vomitum, ne per illum rumpatur vena. Tum *quintò*, vomitus apud veteres fuit frequens, & ob varia ejus incommoda recessit ab usu nostris temporibus, quia corpus violenter movet, deturbat, agitat, irritat, & plura commovet symptomata: quod maximè obstat in febribus, præcipuè in habitu carnoso, ex Hippocrate 4. *aphor.*7. & præcipuè in iis, qui collum habent longum, pectus angustum, si sint ad tabem dispositi, ventriculo debili, obnoxii inflammationibus, & faucium abscessibus, & aurium, ac oculorum doloribus, ut prosequitur Quercetanus. Ergo pro febribus vomitus est inutilis.

§. IV.

Pars affirmativa fulcitur, & sancitur.

Resolvendum, quod vomitus, & medicamenta vomitoria, præstantissimum solent esse remedium in febrium curatione.

Probatur *primò*, in febre, quæ supervenit ex ventriculi cruditate, de qua egit Galenus *lib.* 8. *Methodi*, *cap.*5. & Avicenna *fen.*1. *lib.*4. *tract.*1. *cap.*15. de eadem agit sub titulo *de febre Ephemera ex nauseativa satietate*, à qua febrem oriri tenet Galenus *lib.*8. *Methodi*, *cap.*5. dicens: *Quoniam igitur diariæ febres ex hujusmodi corporum temperamentis, sæpe numero etiam ciborum cruditatibus succedunt.* Et Avicenna idem tenet, dicens: *Quandoque accidunt ex nauseativa satietate vapores multi, ex quibus accenditur caliditas, & inflammantur spiritus, quare accedit febris.* Sed ventriculo gravato, indicare evacuationem per vomitum, docet Galenus *lib.* 7. *Methodi*, *cap.*13.*lib.*11. *Method. cap.*1. & *lib.* 2. *ad Glauc.cap.*2. inquit: *Indicationes ex parte situs, ventriculum autem per vomitum, intestina autem per inferiores excretiones evacuare.* Et idem confirmat 1. *ad Glauconem*, *cap.* 14. dicens: *Qui ex vitiosis humoribus os ventriculi vellicantibus dissolvuntur, hos post aquæ calidæ, aut hydrelæi potum, fac evomere.* Et Avicenna in cura nauseativæ satietatis, inquit: *Et si fuerit aliquid cibi, aut fæcis, aut gravitatis remanens in stomacho, oportet, ut facias vomere ipsum.* Ergo in febre orta ex ventriculi cruditate vomitus est remedium.

Probatur *secundò*: In febribus continuis, in quibus si fiat crisis per vomitum, qui sit diminutus, sunt ex usu vomitoria; inquit enim Avicenna *fen.* 3. *lib.*3.*tract.*5.*cap.*8. *De vomitu quidem critico, & qui confert febribus acutis.* Et superaddit: *Et vomitus quidem criticus est liberativus.* Ergo diminutus debet vomitoriis juvari in febribus.

Probatur *tertiò* de febribus particularibus. Tum de febre quotidiana inquit Galenus, quod utilis est vomitus in illa; & Avicenna in ejus curatione in- B quit: *Et vomitus fiat cum aqua raphani, & raphano infuso in syrupo acetoso.* Tum in quartana intermittente, in ejus cura inquit Avicenna: *Et vomitus iterum, & propriè ante cibum, & post cibum etiam est conveniens: & propriè in die paroxysmi, & ante paroxysmum.* Tum de febribus intermittentibus biliosis idem patet ex Galeno; qui *lib. quos, quibus, & quando purgare oportet*, inquit, bilem, & pituitam interdum debere purgari per vomitum, seu per superiora. Ergo pro iis fe- C bribus confert vomitus.

Probatur *quartò* ratione. Pro humorum evacuatione, sumitur indicatio à parte affecta, & ut suprà diximus, juxta hanc indicationem, si humores infestent ventriculum, petunt purgari per vomitum, exhibito vomitorio; si mediam regionem, per leniens medicamentum sumptum per os; si in inferiori & in intestinis remanet causa molestans, per clysteres. Ergo læso ventriculo, nausea, aut vellicationes demonstrantes copiam hu- D morum per vomitum, indicant purgationem per illius usum.

§. V.

Solvuntur rationes primò oppugnantes.

AD fundamenta contrariorum respondetur. Tum pro *primo*, quod Celsus damnat continuum usum vomitoriorum, qui ab antiquis introductus fuerat, & per violentissima medicamenta, à quibus & ventriculus lædebatur, & E varia superveniebant accidentia. Tum pro *secundo*, quod Valleriola narrat pestilentem constitutionem febrium, quæ symptomaticis vomitibus terminabantur, quæ non petebant juvari vomitoriis; benè tamen juvant, qui sunt utiles, & per quos utiliter evacuatur ventriculi sarcina faciens febrem. Tum pro *tertio*, quod Hippocrates prohibet vomitoria pro atrabiliariis humoribus, propter damna quæ possunt supervenire ex illorum commotione; non tamen in reliquis humoribus, qui tutò & securè possunt evacuari per vomitum. Tum pro *quarto*, quod si ægri, vel ex propria constitutione, aut ab aliquo morbo debiles sunt, aut in illis sit stomachus summè debilitatus, est in iis contraindicans pro vomitoriis, præcipuè violentioribus: nec tollit quod nequeat vomitus esse utilis, in quibus hæc non obstant. Tum pro *quinto*, quod loquimur de usu vomitoriorum in febribus, dum non sunt contraindicantia, quæ impediant illorum usum; quia ex Galeno *lib. de sanguinis missione*, tunc debent exerceri remedia, dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium.

RESOLUTIO SEPTIMA:

Utrum clysteres sint ex usu pro febrium curatione.

§. I.

Proponuntur ventrem moventia per infernam alvum.

EOrum quæ superabundant in ventre, inferuntque læsionem, tria assignamus loca, in quibus maximè apparent læsiones, ventriculus, media intestinorum regio, & inferior pars. Quæ in iis redundant partibus, petunt evacuari per medicamenta largo modo dicta lenientia, quæ aut per os sumuntur, ut vomitoria, & quæ purgant mediam ventris regionem; vel per ea quæ injiciuntur per inferiorem ventris regionem. Hæc si sint solida, dicuntur suppositoria; si liquida, ænemata, seu clysteres, de quibus intendimus agere.

Suppositorium paratur sub forma solida, rotunda, & oblonga. Est duplex: alterum, lene, & facile paratu, ex radice, germine, aut caudice malvæ, betæ, atriplicis, brassicæ, mercurialis, salso butyro inunctis, vel sapone: vel parantur ex farina cocta in aqua, & sale, vel candela oleo inuncta, aut ex ficu inversa, aut lardo commixta cum grumo salis. Alia sunt communia in officinis ex melle cocto ad consistentiam cum sale. Fit fortius suppositorium si inspergatur cum hiera, agarico, sale gemmæ. Vel

℞. pulver. hieræ picræ, & logodionis, ana ʒ.j. salis gemmæ ʒ.j. cum melle Persico fiat suppositorium filo appensum. Vel ex eisdem ingredientibus fit nodulus

lus cum oleo, syrupo, aut adipe, sub forma molliori.

Sub forma liquida parantur clysteres, ut injiciantur per anum, quæ ænemata, seu injectiones dicuntur, de quibus præcipuè disputamus, quia illorum usus frequentior est apud Dogmaticos.

Acceptio clysteris est multiplex. Celsus *lib.* 1. *cap.* 10. clysteres vocat infusiones, seu immissiones: & ut sic, juxta partes, in quas injiciuntur, variant in nominibus; si in aures, auriculares, seu otenchytæ dicuntur: si in vessicam, syphones, sive catheteres: si in uterum, metrenchytæ: si per anum in ventrem, propriè clysteres, seu ænemata nominantur, quorum usus communissimus semper fuit apud Medicos Rationales, inter quos annumerantur Aëtius *lib.* 3. *cap.* 15. Paulus *lib.* 1. *cap.* 44. Actuarius *lib. de composit. medicam.* Avicenna *fen.* 4. *cap.* 17. Galenus *lib. artis medicinal. c.* 89. *de rat. vict.* & 8. *Method. cap.* 5. 11. aliisque in locis.

§. II.

Quid sit clyster, & quotuplex, ratione finis.

Clyster, & ænema communiter pro eodem usurpantur. Alii pro clystere intelligunt instrumentum, quo injicitur: pro ænemate materiam quæ injicitur. Nos clysterem dicimus esse injectionem materiæ liquidæ, per anum receptæ in intestina, sanitatis causâ. Ratione finis, ob quem injicitur clyster, & ratione materiæ, ex qua fit, aut dicitur nutriens, aut adstringens, aut detergens, aut anodynus, aut acris, aut alterans, aut emolliens, aut purgans, de quo præcipuè agimus, quatenus sub lenitivis admittitur. Hos fines consequuntur injectiones ob varia ingredientia, ex quibus componuntur, quas varii Authores proponunt, inter quos Perdulcis, Claudinus, Quercetanus, & Doncelli: ex quibus transferemus aliqua.

Clyster nutriens prodest dum aliter nequit cibus offerri, vel quia æger abhorret cibos, vel non concoquit ventriculus, vel non retinet: & ideo per inferiorem ventrem per injectiones subministratur substantia nutriens, ex qua attracta à jecore, post aliquam elaborationem in intestinis præstat pro illis materiam in febribus. Talia sunt vinum cum hordei decocto, lac cum vitellis ovorum, vel sine illis, lac cum melle, jus pulli, cremor hordei, in validiori febre

A carnis decoctum cum herbis refrigerantibus. Dosis ad ℔. ß. Apparet hujus usus maximè pro febribus.

Clyster adstringens est qui injicitur ad fluxum ventris compenscendum. Fit ex decoctione adstringentium, sive radicum bistortæ, aut symphyti, sive ex foliis, aut cortice quercus, sive ex plantagine, polygono, bursa pastoris, foliis myrthi, lentisci, nucibus cupressi, gallis, glandibus, myrtillis, sumach, aut
B balaustiis, malicorio: sive cum pulveribus gummi Arabici, tragacanthi, bolo Armeno & similibus.

Clyster detergens contrà fit, dum indigent ablutione intestina ab humoribus acribus, aut ulcerantibus. Fit ex decocto pro injectione, in quo coquatur hordeum, furfur macrum, orobus, lupini, fabæ, agrimonia: dissolvitur in colatura mel, saccharum, aut syrupus, cum ovorum vitellis.

C Clyster anodynus, sive sedativus doloris, pro diversitate affectionum solet parari per injectiones illis appropriatas, refrigerantes, & malacticas, pro renum dolore, laxantes pro calculo, vel arenulis, ex malacticis pro colico dolore, pro doloribus ex lumbricis per injectiones partim dulces, partim amaras.

Clyster anodynus pro intestinorum doloribus variat etiam juxta causas; si enim procedant ab induratis fæcibus, ex malacticis, seu laxantibus fiunt injectiones: ad intemperiem verò pro usu sunt
D aquæ pollentes contrariis viribus: si sit ulcus, detergentibus utendum: si sint flatus, discutientibus: si crassa pituita, incidentibus, & discutientibus: si urget vehemens dolor, narcoticis.

Clyster acris est ex usu pro excitandis consopitis facultatibus, & ad revellendum ex capite. Ad hunc usum fiunt injectiones ex muria, vel fit decoctum betæ, siclæ, atriplicis, mercurialis, brassicæ, pulegii, origani, thymi, centaurii minoris: dissolvatur mel anthosatum, confectio hieræ, diacolocynthidos, sal
E gemmæ, pilulæ cochiæ.

Clysteres, de quibus maximè dubitamus, & qui in frequentiori sunt usu pro febribus, sunt cathartici, & purgantes, malactici, sive emollientes. Simplices fiunt ex oxymelite, hydrelæo, ptisana, vel solo oleo, pinguedine, jure: vel fiunt ex decocto radicum althææ, liliorum, malvæ, parietariæ, mercurialis, violariæ foliis, ex prunis, passulis, seminibus hordei, lini, fœnugræci, meliloti,

loti, camomilla, atriplice, brassica; & ex A purgantibus, cum hiera, benedicta, diaphœnicone, catholicone. Pro bile superadditur cassia, diacassia, catholicon, diaphœnicum simplex, & solutivum. Pro pituita infusio agarici, aut colocynthidos. Pro melancholia, mel anthosatum, buglossatum, hamech simplex, aut compositum. Pro serosis succis, benedicta laxativa, diacarthamus, succus ireos: olea verò in purgantibus hebetant. Purgantes hi clysteres maximè reducuntur ad purgantia lenientia, & de B iis præcipuè inquirimus, an sint remedium aptum pro febrium curatione.

Doncelli ab Spagyricis deducit clysterem appropriatum ad expurgandum ventrem, ad mitigandum dolorem, ad cruditates expurgandas, ad humores tartareos, & reliquos quoscumque humores, ad lumbricos, quem divinum vocat: ideo placuit illum præscribere.

℞. croci metallorum ʒ. ß. vel ʒ.j. infundatur per xxiv. horas in ℥. vj. vini, aut aquæ appropriatæ; cui pro injectione C superaddantur ℥.iij. juris: aut fiat sufficiens dosis pro clystere.

§. III.

Pars negativa proponitur à Vanhelmontio.

VAnhelmont avidus exterminandi omnia remedia Dogmaticorum ab usu Medicinæ, ridiculis, imaginatisque fundamentis impugnat clysteres. Tum *primò*, quòd clyster est remedium pudendum, & belluinum, ab anu quadam D edoctum. Ergo indignum hominibus. Tum *secundò*, quia clyster est peregrinus, & molestus intestinis, ex quo patet, quod illis sit ingratus. Tum *tertiò*, quia præcipuè solutivi clysteres, qui applicantur in febribus, sunt inutiles pro illarum curatione, cùm nec materia illarum expellatur per illos, nec febres curentur. Ergo frustra applicantur pro illarum curatione. Tum *quartò*, quia qui habet adstrictam alvum, curatur laxando illam, & pro hoc affectu curando E potest prodesse clyster, & non pro febre, cui non opponitur laxatio ventris. Ergo frustra pro febribus adhibetur clyster.

§. IV.

Communis doctrina præfertur, & fulcitur.

REsolvendum, quod aliqui clysteres possunt prodesse in febribus, laxantes, & lenientes; sunt enim utilissimum remedium pro ipsarum curatione. Admittunt eorum usum, præter imaginarium Vanhelmontium, quicumque non delirant, & sic consentiunt omnes Sectæ Medicorum, & tenent Magistri Dogmaticorum.

Probatur *prima pars* Resolutionis, quod scilicet præter lenientes, reliqui clysteres possint prodesse in febribus. Nam dum plures complicantur affectus, ex Galeni *lib. 1. de arte curat. ad Glauc.* doctrina, *curantis consilium debet dirigi ad id quod magis urget, altero non neglecto.* Sed morbi, ad quos sunt ex usu reliqui clysteres, possunt complicari cum febribus, & ipsam fovere febrem. Ergo pro illis auferendis morbis, causaque fovente febrem, erunt remedium utile clysteres, per quos curantur febres.

Probatur *secunda pars*, quod scilicet lenientes clysteres sint sæpe necessarii ad febrem curandam. Tum quia pro febrium curatione eadem est indicatio ad evacuandum per clysteres contentum in infima regione ventris, atque ad evacuandum per vomitum, quod continetur in ventriculo fovens febrem. Sed quod obstat in ventriculo curationi febrium, petit vomitu evacuari. Ergo quod in inferioribus intestinis obstat, petit evacuari lenientibus clysteribus.

Probatur *secundò*. Illud remedium est necessarium pro febre curanda, quod evacuat id quod potest habere rationem causæ pro ipsa febre intendenda, aut conservanda. Sed tam excrementa retenta, quàm pravi alii humores contenti in inferioribus intestinis, possunt in febribus in illis putrescere, & febrem intendere. Ergo clysteres lenientes illos evacuantes sunt necessarium remedium febrium.

Probatur *tertiò*. Licèt clyster non indicetur per se à febre, prout est calor; indicatur tamen per accidens ab humoribus, pravisque succis contentis in intestinis, prout sunt causa conservativa febris, prout sunt impedimentum pro exercenda missione sanguinis, & pro aliis remediis, per quæ petit febris curari. Ergo ut utile remedium eligendus clyster.

Probatur *quartò*. Debilitas, & depravatio intellectus est quærere rationes oppositas eis quæ manifestè percipiunt sensus sani hominis. Sed manifestis experientiis convincitur, si non delirant sensus, quod per omnes ætates, in omni temperie, in qualibet febre sit utilis

utilis usus clysterum emollientium. Ergo frustra nuda fronte contrarium levibus vellicationibus intendit suadere Vanhelmont.

§. V.

Figmenta Vanhelmontii rejiciuntur.

AD Vanhelmontii objectiones respondetur. Tum pro *prima*, quod belluina objectio Vanhelmontii potiùs irridenda, quàm ei satisfaciendum; est enim belluinum fundamentum, quod homo non utatur ratione, nec per illam eligat quod sibi utile, illudque quod natura per instinctum fecit cognosci à brutis, quæ per illum fugiunt contraria, appetunt verò & prosequuntur utilia: eligunt sibi propria alimenta, renuunt venenosa, & inutilia: proprias sibi eligunt medicinales herbas, loca eligunt commoda pro sui habitatione, sanguinem deponunt, dum sentiunt illius pondus: ventrem deponunt, dum illius gravitatem sentiunt. Belluinum ergo esset hominem per rationem non eligere ea quæ sibi utilia, & quæ eligi à brutis per instinctum cognoscit. Tum pro *secunda*, quod alimentum petit esse familiare naturæ, medicamentum autem dissimile; & ideo clyster qui non offertur ut alimentum, sed ut medicamentum, non petit esse familiaris, sed displicens intestinis, ut irritata prorritent quæ inutilia retinent. Tum pro *tertia*, quod per clysteres evacuatur causa conservans, aut fovens febrem; & ideo licèt non indicetur clyster per se à febre; indicatur tamen per accidens, tanquam ab ejus causa. Tum pro *quarta*, quod clysteres lenientes simul fiunt etiam purgantes, & apti non solùm ad laxandum ventrem, sed simul ad purgandos pravos succos contentos in intestinis.

RESOLUTIO OCTAVA.

Utrum lenientia per os sumpta, sint in febribus utilia.

§. I.

Quæ sint lenientia propriè accepta, & quot eorum differentia.

LEnientia propriè sumpta, ad quæ reducuntur vomitoria, & injectiones, dicuntur medicamenta, quæ per os sumpta ventrem solvunt sine vi occulta: alia purgant leniendo, ut manna: alia

A comprimendo, ut mirobalani: alia lubricando, ut docuit Mesues agens de horum differentiis. Differunt etiam ratione formæ, sub qua assumuntur, aut in potione, aut bolo, aut forma solida, quod commune est pro lenientibus, quæ sine delectu purgant, & pro purgantibus selectivè. Lenientia primas vias exonerant, aut lævigando intestinorum interiorem tunicam suâ substantia pingui, vel emolliendo fæces induratas, vel abluendo aquea humiditate, & simul abB stergendo, ut aqua hordei. Dum simul intendimus per lenientia emollientia deonerare ventrem à fæcibus recentis, & simul à contentis pravis succis in illo stabulantibus, utimur pharmacis solutivis levioribus, quales sunt cassia fistula, mirobalani, manna, syrupus solutivus, & alia: inter hæc enim communiter annumerantur ab Arabibus ea medicamenta purgantia, quæ ab ipsis vocantur benedicta, sub quibus est cassia Arabum, quæ calefacit, & humectat in primo orC dine, cujus pulpâ utuntur Medici aliquando in potione, sæpiùs in bolis cum saccharo formatis. Manna continetur sub his lenientibus, quæ temperata sunt, & in jure dissolvitur, & exhibetur ab ℥.iij. ad ℥.iiij. Solet exhiberi cum aliis purgantibus commixta. Tamarindi etiam sunt lenientia, quorum frigiditas in frigidis ventriculis corrigenda, & solent commisceri cum cassia, aut manna pro potu. Mirobalani sub iis sunt solutivis pharmacis, quorum sunt quinque genera, flava, chebula, Indica seu nigra, D emblica, bellerica. Rarior est horum usus nostris temporibus. Aloë est frequentior: sicca est ordine tertio, calida ordine primo: purgat præcipuè biliosos succos, simul & crassiores: in aliquibus frequens est illius usus; non tamen sine noxa. Inter composita lenientia etiam recensentur aloes, pilulæ masttichinæ, & de tribus, syrupus rosaceus solutivus, & syrupus violaceus solutivus, electuarium lenitivum, diasebesten, diacassia, diaprunis: de quibus inquirimus, an sint E ex usu pro febribus curandis.

§. II.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

VIdetur quod lenientia communiter recepta, non possint esse ex usu pro febrium curatione, & quod in illis nullam præstent utilitatem.

Tum *primò* patet de lenientibus be-

 nignis,

nignis, quæ vocantur benedicta, qualis est manna, cassia fistula, quæ non solùm movent ventrem, sed vi selectiva attrahunt alios humores: quæ cùm nondum sit cocta materia causans febrem, non debent exhiberi in principiis morborum, ex doctrina Hippocratis.

Tum *secundò* patet de comprimentibus, quales sunt tamarindi; nam suâ vi adstringente retinent excrementa, & alios succos pravos, qui retenti curationi febrium obstant, & fovent ipsas febres.

Tum *tertiò*, idem probatur de emollientibus, & lubricantibus, qualis est aqua hordei, aut jus, pruna, sebesten, tartarum, brassica, terebinthina. Nam ab iis non sequitur evacuatio, quia solùm vim habent humectandi, & laxandi; nec habent locomotivas facultates, per quas moveant succos contentos in ventre, aut in prima regione contenta. Ergo nullo sunt ex usu pro febrium curatione.

Tum *quartò*, lenientia non differunt à medicamentis minorantibus. Sed minorantia, vel nunquam sunt ex usu in febribus; vel non nisi ratione urgentiæ, & cum maximo periculo exhibentur in illis. Ergo nec lenientia. Probatur major. Nam utraque exhibentur in febrium principiis, & utraque habent vim selectivam purgativam humorum. Ergo non differunt lenitiva, & minorantia pharmaca.

§. III.

Lenientia per os sumpta prosunt in febribus.

Resolvendum, quod si pravi humures, aut redundantes fæces redundant in ventre, præcipuè circa medietatem intestinorum, necessaria sunt in febribus lenientia in principiis. Sic tenent Rationales Medici.

Probatur *primò*. Dum redundant pravi succi in ventriculo, aut in inferioribus intestinis, in principiis febrium est necessaria purgatio, ut nuper probavimus, per lenientia indicata à regione superiori, aut inferiori ventris, per vomitum, aut clysterem. Sed æquè indicatur purgatio lenitiva à superfluis succis mediæ ventris regionis per propria lenientia. Ergo petit exerceri.

Probatur *secundò* ex Galeno 9. *Method.* Si præcedat ciborum cruditas, venæ sectio differenda, donec excrementa A descendant. Sed possunt in febribus detineri in media ventris regione, vel alii succi impedientes sanguinis missionem. Ergo petunt evacuari per lenientia indicata à contentis in media ventris regione.

Probatur *tertiò*. Si quid obstaret in febribus pro usu lenientium, maximè quia hæc medicamenta possunt coadjuvare febris causam, & illam intendere. Sed neutrum valent efficere. Ergo debent admitti. Probatur minor, quia sunt me- B dicamenta benigna & benedicta, ut experientia comprobat in annumeratis, in manna, cassia fistula, succu pomorum dulcium, syrupo solutivo rosarum persicarum, & violarum, in sero lactis, in pulveribus lactis mechoacan, in lacte seminis carthami: & inter recentiora, apparet in aqua Angelicali, syrupo Aureo solutivo, syrupo Regis, vel syrupo Principis. Aqua Angelicalis sic præscribitur.

℞. flor. cordial. p. j. pulver. tartari C vini albi ℈.j. folior. sennæ orientalis ʒ.iij. Fiat decoctio secundùm artem, in sufficiente quantitate aquæ fontis, & in ℥.x. decocti colati dissolve ℥. iij. mannæ elect. cum albumine ovi. Clarificentur omnia & trajiciantur per manicam Hippocratis: adde aquæ cassiæ ligneæ ʒ. j. Fiat potus.

Syrupus Aureus solutivus sic describitur à Sitonio *tract.* 32.

℞. rosar. communium, non perfectè D maturatarum, summo mane cum rore collectarum, succoque albo & foliis minutim incisarum ℔.iiij. sacchari fini clarificati ℥.viij. infundantur omnia in vase terreo vitriato per tres dies, tum ad ignem leviter unica ebullitione bulliant; deinde manibus optimè exprimantur; cui expressioni adde infusionis rosarum recentis juxta morem communem ℔. j. postea clarificentur cum duobus albuminibus ovorum, & ad ignem denuo ponantur, addendo sacchari pulverizati ℔. ij. Fiat syrup. secundùm artem, qui E per sacculum mundum toties coletur, donec clarescat. Dosis ab ℥.v. ad ℥.vj. cum aqua cichorii, vel endiviæ.

Syrupus Principis ex Aëtio originem trahit, qui illum componit cum melle. Mercatus componit cum saccharo, sic.

℞. succi rosar. Persicar. cum Aëtio, vel cum Mercato, rosar. rubrarum, colati partes tres, sacchari partem unam: ad ignem paulatim coquito, & in syrupi consistentiam redigito.

Syrupus

Syrupus Regius etiam est magistralis, A ex Mercato, & sic componitur:

♃. Folior. sennæ ℥. j. infunde in ℥.x. aquæ fœniculi: adde infusionis quintæ violar. infusionis novenæ rosar. Persicar. ana ℥. iiij. sacchari ℔. j. Fiat syrupus. Fortiorem illum præscribit Zacutus. Ergo à benignioribus iis medicamentis sine noxa potest fieri lenitiva purgatio.

§. IV.

Solvuntur rationes suprà propositæ.

B

AD rationes dubitandi respondetur. Tum pro *prima*, quod manna, cassia fistula, & alia similia, quæ habent vim selectivam, ita remissam habent, & ita benigna sunt, ut non perturbent humores intra venas, sed in ventre contentos leniter commovent, & contenta in prima regione benignè expurgant. Tum pro *secunda*, quod lenientia comprimentia intestina, etiam vias humores continentes comprimunt, & per hanc C compressionem ab ipsis excrementa, & humores contenti compressi expelluntur, sicut contingit extra corpus, ea quæ comprimuntur, expelli à re comprimente. Tum pro *tertia*, quod lubricantia dicuntur purgantia, non quia imprimunt impulsum in eis quæ expurgantur, sed quia auferunt impedimentum, quod obstabat expulsioni eorum, quæ resiccata, aut crassa resistebant impulsui facultatis expellentis viventis. Tum pro *quartâ*, quod ignari artis judicant purgationem D per lenientia esse minorativam, quia fit in principiis febrium: differunt tamen quàm maximè, quia lenientium purgationes fiunt ex contentis in prima regione tantùm, quia eorum selectiva virtus est benigna, & non pervenit ad secundam regionem. Quæ verò purgant minorando, sunt potentiora, & purgant à secunda regione humores, quos selectivè respiciunt. Tum quia lenitivâ purgatio solùm ordinatur à Medico pro expurgatione eorum quæ sunt superflua E in ventre: minorativa verò purgatio non respicit per se primò expurgationem primæ regionis, sed expurgationem humorum, qui putrescunt in secunda regione, & in illa causant febrem, & illam fovent.

RESOLUTIO NONA.

Utrum selectiva purgatio inter Dogmaticos admittenda?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & fundamenta aliquorum.

SUprà conclusimus contra Vanhelmont, dari purgantia, quæ sint remedium pro febribus curandis. Negat ipse, quia non admittit dari humores purgandos in corpore humano: in quo turpiter errat contra evidentem demonstrationem sensuum, qui tanquam judices suorum objectorum, illos cognoscunt, dum à corpore exterminantur. Minùs consequenter loquuntur aliqui Dogmatici, inter quos refert Zacutus Veigam, Foësium, Lemosium, & Jachinum, qui admittentes humores, negant quod ipsi, etsi cacochymi, petant purgari per medicamenta selectiva, his fulciti rationibus.

Primò, suaderi videtur ex Hippocrate, & Galeno, qui hæc selectiva medicamenta vel omiserunt, vel damnarunt, ut constat ex Hippocrate 4. *acut.* 7. ubi damnat illa, quia febrem accendunt. Sic docet 1. *aphor.* 24. & 2. *aphor.* 1. Tum *secundò*, Hippocrates *lib. de medicam. purgant. num.* 4. & 4. *aphor.* 5. idem confirmat, illique adhæret Galenus 1. *ad Glauc.* 14. & 2. *acutor.* 12. Hippocrates etiam 4. *acut.* 14. damnat purgantia, quia urinam conturbant, inquit enim: *Vrina non maturabitur, febrisque tum sine sudore, tum ad judicationem in longum protrahitur tempus.* Tum *tertiò*: Non sunt purgantia ex usu, nec in principio, nec in alio quovis tempore. Ergo nunquam offerenda in febribus. Non in principio, quia nihil in principio potest moveri in bonum, quia nondum humores sunt cocti: nec in statu, quia interturbaretur coctio. Et Hippocrates docet, quod *morbo ad judicationem eunte, melius est quietem habere.* Non in declinatione, quia morbo jam victo, & causâ morbificâ concoctâ, febreque remissâ, frustra adhibentur purgantia.

§. II.

Communis opinio recipitur, & fulcitur.

REsolvendum, quod selectiva purgatio in omni febre putrida, superveniente cacochymiâ, est indicata, & necessaria,

cessaria, nisi ab aliquo alio contraindicetur. Sic recepit omnis Dogmaticorum Schola, paucis renuentibus.

Probatur *primò* ex Hippocrate, qui *lib. de medic. purgantibus*, purgantium usum admittit, nisi omnino prohibeatur à vehementissimo febris calore. Tum *lib.1.aphor.22.* præscribit tempus exhibendi pharmacum solutivum in febribus, si non sit urgentia, in declinatione, dum materia est cocta, & sit cacochyma: si sit urgentia, aut turgentia, propter periculum superveniens ab humoribus cacochymis, in principiis febrium, & in quovis tempore exhibenda esse purgantia docet.

Tum comprobat Dogmaticorum communis assensus, qui usu, & experientiâ, & utilitate felicium eventuum confirmatorum purgantium exhibitione, necessitate coacti frequentes admittunt selectivas purgationes.

Tum quia illud remedium admittendum pro febribus curandis, quod in illis est indicatum. Sed in variis morbi temporibus contingit purgationem selectivam indicari ab humoribus cacochymis, à quibus foventur febres; cùm in declinatione sit concocta materia, & in reliquis temporibus fiant cacochymi ob ustionem, aut alias causas.

Tum patet ex varia sylva selectivè purgantium, quæ non sine necessitate producuntur à natura provida, quæ pro bile purganda plura chologoga nobis offert: mitiora, qualia sunt cassia fistula & manna: mediocria, qualia sunt aloë, rhabarbarum, syrupus rosatus solutivus, diacatholicon, diacassia, diaprunum solutivum, triphera, electuarium de succo rosarum, & variæ pilularum sortes. Tum pro melancholicis succis purgandis à natura, & ab arte sunt ex usu benigniora, senna, polypodium, epithymum, mirobalani Indi; & inter vehementiora, helleborus, lapis Armenus, lapis lazuli: ex compositis, hamech simplex & compositum, pilulæ Indæ & de fumaria. Tum pro purganda pituita, inter miriora sunt carthamus, mirobalani, hyssopus: inter mediocria, agaricus, mechoacan, jalapa: & inter vehementiora, colocynthis, turbith, euphorbium, opopanax, serapinum, pilulæ cochiæ majores, & fœtidæ. Tum pro serosis humoribus sunt sub hydragogis mitiora, ebulus, sambucus, mechoacan: inter vehementiora, soldanella, cucumer agrestis, succus radicis iridis, aut pulvis, esula minor, chamelæa, thytimelæa, gratiola, euphorbium, syrup. de rhamno, diaturbith, de sagapœno.

Spagyrici, quantumvis Paracelsus humores renuat admittere, varias proponunt formulas medicamentorum purgantium, inter quos Vvillis *tom. 2. sect. 3. cap. 2.* varias proponit medicamentorum purgantium compositiones, quales sunt potiones, pulveres, boli, electuaria, morsuli, sive tabellæ, atque cervisiæ, & vina medicata: pro quorum quolibet tres formulas præscribit, lenem, mediocrem, & fortem, quas in ipso & aliis longiori modo propositas inveniet cupidus materiæ Spagyricæ: sicut & nostrorum medicamentorum purgantium formulas in Pharmaceuticis Dogmaticis.

§. III.

Resolvuntur fundamenta contraria.

AD fundamentum ex Hippocrate, & Galeno respondetur, quod aliquando proponunt occasiones purgandi, aliquando omittunt doctrinam aliis in locis traditam: sæpe docent contraindicantia purgantium selectivè, quia calidissima, & præcipuè in febribus ardentibus, & dum in cura regulari materia morbifica nondum est cocta, nec separata à sanguinis commixtione. Tunc fatemur, quod expectanda est coctio, ut fiat materia morbifica cacochyma separata à sanguinis commixtione, ut indicata purgatione ab illa, habeamus naturam adminiculantem: dum verò ante declinationem manet materia incommixta, separata, & cacochyma, natura adminiculatur ad ejus expulsionem tentatam selectivo pharmaco.

RESOLUTIO DECIMA.

Utrum in omnibus temporibus febris putridæ possint esse ex usu selectivè purgantia, saltem ob urgentiam.

§. I.

Proponitur status difficultatis, & pars negativa.

REmedia quæ applicantur à Dogmaticis, alia sunt de cura regulari, ut quod in febribus putridis sine contraindicante mittatur sanguis in principio: & in febre salubri, sine turgentia humorum, non purgemus selectivo pharmaco in principio, donec materia sit concocta,

concocta, & in declinatione: & similis curatio dicitur regularis, quia communior, securior, & juxta rationem, & regulas artis fit; quia fuit indicata à causâ morbifica cum naturæ juvamine, sine contraindicante impediente. Alia est pro febribus curatio irregularis, sicut in aliis morbis, quæ licèt sit indicata, antevertit tamen tempus exequutionis, ut dum in febribus putridis, in quibus solet expectari declinatio, & concoctio materiæ morbificæ, supervenit quod humor separetur à commixtione sanguinis, & fiat cacochymus, & fiat turgens, aut irruat in partem principem, ob quod imminet periculum vitæ, si in quovis tempore, in quo supervenit, non evacuetur statim, non sanguinis missione, quæ non indicatur, quia non est vitium sanguinis; sed purgatione, quæ est indicata ab humore illo cacochymo, qui minatur periculum vitæ, ut contingit in humoribus turgentibus, & in febribus perniciosis, de quibus egimus *tom.3. nostrarum Resolut.* & de hac urgente necessitate purgandi ante declinationem in febribus in reliquis temporibus, in quibus urget periculum vitæ, disputamus. Alia est purgatio in febribus, quæ exercetur sine eo quod humor expurgandus sit separatus à sanguinis commixtione, nec sit cacochymus: quæ magis irregularis est, quia nec in illo statu indicat purgationem, sed potiùs sanguinis missionem, de qua in sequenti Resolutione disputabimus, an de cura coacta sit exercenda?

In Schola Valentina præcipuè, & in aliis ita tenaciter recepta fuit Hippocratis doctrina *lib.1.aphor.22.* tradita, *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principiis morborum*, ut non solùm renuant medicamenta selectiva in principiis febrium, sed simul & lenientia. Nos *tom.3.disput.2.sect.3. resolut.*12. dubitavimus, an ob urgentiam in omni tempore febris putridæ petat exerceri purgatio. Sancivimus, quod tenendum docemus, deducendo priùs ibidem sancitum, scilicet quod Hippocrates humorem luxuriantem in febribus vocat turgentem. Galenus *lib.6. Epid. comm.2. text.* 19. inquit: *Nam in morbis ad exitum paratissimis, & ad evacuationem properantibus, hac voce Turgere, uti videtur.* Idem tenet *lib.1. de crisibus, cap.9. & lib.4. aphor.* 10. ubi ponit turgentiam in hoc, quod materia urget, & premit. Verùm hanc firmat Marinellus *lib.4. aphor.*10. dicens: *Verbum Turgere, translatum est à verbo Orgio: melius tamen & forte rectius diceretur, mutata litera O, in literam V, & I, in E, ut evenire solet linguis iis, quæ ab alia originem ducunt; nam resultaret Urgeo, non Turgeo: Urgeo enim significat idem ac opus est, sive periculum continet mortis.* Ex quibus apparet, quod turgentia est idem quod urgentia, & quod urgens dicitur in Medicina, quod minatur periculum vitæ. Premit, aut urget periculum vitæ à morbo, si acutus; à symptomate, si gerit vicem gravioris morbi; à causa si pravis, & malignis qualitatibus sit prædita, vel decumbat in partem principem.

Pro renuentibus purgationem saltem selectivam ante declinationem, stat Hippocrates *lib.1. aphor.22.* in decantatâ illa sententia, quod oportet *concocta medicari, at movere, non cruda, nec in principiis morborum.* Cui sententiæ, nullâ adhibitâ distinctione, adhærent plures. Ergo in sola declinatione purgandum.

Secundò patet ex Galeno, qui in commentario tradens rationem, inquit, quod in declinatione debet in febribus fieri purgatio, quia materia est cocta, & separata à commixtione sanguinis; & ideò cacochyma, & objectum facultatis expellentis: & ideo tunc indicat purgationem, & habemus naturam adminiculantem ad illam.

§. II.

In febribus putridis quando expectanda declinatio pro purgatione selectiva.

Resolvendum, quod in febribus putridis, in quibus putrescens humor commixtus sanguini coctione separatur, & fit cacochymus, in declinatione tunc purgandum.

Probatur *primò* ex communi doctrina Hippocratis 1. *aphor.* 22. *Concocta medicari ac movere, non cruda, nec in principiis morborum.* Ubi omnes Commentatores in hac doctrina contestantur.

Probatur *secundò* à priori: De cura regulari purgatio debetur febri humorali, dum fovens illam humor indicat sui purgationem. Sed regulariter contingit, quod humor causans febrem, qui est sanguini commixtus, in declinatione fit coctus, separatus à commixtione sanguinis, cacochymus, & indicans purgationem. Ergo regulariter in illa petit purgari.

Probatur

Probatur *tertiò*. Indicationes mittendi sanguinem, & purgandi, sunt diversæ; quia humor putrescens sanguini commixtus, petit venæ sectionem: separatus à sanguinis missione, indicat purgationem, ut demonstravi *tom.* 1. *Resolut. Medicarum*. Sed in principiis febrium humor putrescens est commixtus sanguini, & indicat venæ sectionem. Ergo usque ad declinationem, in qua est separatus, non indicat purgationem.

Probatur *quartò*. Tum ex Hippocrate 1. *aphor.* 24. qui tradens hanc doctrinam, inquit: *In acutis morbis rarò in principiis medicamentis purgantibus utendum, & hoc cum præmeditatione*; quia ob urgentiam, aut curam coactam, solet Medicus cogi ad purgandum in principiis: quod rarò, & ideo cum præmeditatione debet fieri, & non nisi ratione urgentiæ. Tum *lib.* 4. *de rat. victus*, *sent.* 43. *&* 44. inquit: *Quando adest urina cruditas, quam indicant urinæ tenues, & sine colore, abstinendum à medicamentis purgantibus*; quia nondum est coctio separans utile ab inutili. Tum *lib. de Medic. purgant.* docet non exhibenda purgantia priùs quàm febris vehementia remittatur, aut saltem transeat dies decimaquarta. Adhæret Galenus 4. *de præsagat. ex pulsib. cap. ult. & lib.* 3. *de dieb. decret. cap.* 8.

§. III.

Admittitur purgatio selectiva regularis in aliis temporibus.

Resolvendum *secundò*, quod in quovis tempore, ante declinationem febris, in qua detur humor cacochymus separatus à commixtione sanguinis, à quo accidit urgentia, debet statim exerceri selectiva purgatio de cura regulari.

Probatur *primò* ex Hippocrate 1. *aphor.* 22. qui proponens tempora purgandi in febribus, designat declinationem, in qua regulariter materia, quæ fuit sanguini commixta, debet esse cocta, separata à commixtione sanguinis, & cacochyma: in secunda parte aphorismi docet, quod si materia sit cacochyma ob alias causas in principiis morborum, & talis materia turget, seu urget, & minatur quocumque modo periculum vitæ, si expectetur declinatio ad ejus purgationem, tunc statim, & eadem die debet selectiva purgatione evacuari. Quod firmat Celsus dicens: *Propera dum æger vivit, quia semel pereunti nulla remedia prosunt.*

Probatur *secundò* ex Gentile *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *dubio* 56. ubi plures proponit modos, per quos materia morbifica, & separata à sanguinis commixtione, potest dici turgens, seu urgens, & minari præceps vitæ periculum; inquit enim: *Mei prædecessores posuerunt quinque modos furiositatis materiæ, seu venenositatis materiæ. Primus ratione mobilitatis materiæ, seu venenositatis. Secundus ratione quantitatis, scilicet in materia multa. Tertius ratione præcipitati membri, ut in phrenesi. Quartus ratione accidentium, scilicet doloris colici. Quintus ratione nobilitatis partis impeditæ actionis, ut in squinantia, &c.* Sed omnes isti modi urgentiæ, seu furiositatis materiæ, possunt supervenire in quovis tempore febris à materia cacochyma. Ergo de cura regulari erit indicata purgatio illius humoris cacochymi, & ratione urgentiæ in quovis tempore debet exerceri. Patet consequentia ex doctrina Hippocratis, qui *lib.* 7. *Epidem. text.* 56. curans filium Pythonis in Pela febre acuta correptum, quia in principio ob humorum cacochymiam correptus fuit cataphorâ cum sopore, & vocis interceptione, statim in principio febris illum purgavit de cura regulari, indicata purgatione ab humore cacochymo, urgente periculo.

Probatur *tertiò*. De cura regulari non est expectanda coctio dum imminet periculum ab humore cacochymo. Tum quia non est aptus coctioni. Tum quia in mora imminet periculum vitæ: Ergo cùm indicet sui evacuationem ad vitandum vitæ periculum, regulari evacuatione petit purgari per pharmacum selectivum. Probatur minor à nobis *tom.* 4. ubi proposuimus varios modos, per quos humores fiunt cacochymi, & impermixti sanguini. Primo fit humor cacochymus, dum commixtus sanguini putrescens causat febrem, & per coctionem separatur, & fit cacochymus, & objectum facultatis expellentis, & tunc indicat sui purgationem: & Hippocrates hunc docet esse purgandum, *lib.* 1. *aphor.* 22. dum inquit, *Concocta medicari, &c.* & de hoc constat, quod petit purgari in declinatione, quia in temporibus antecedentibus non est perfectè coctus in nocitivo, separatus ab utili, & cacochymus: & hanc solam cacochymiam, & occasionem purgandi admittunt,

tunt, & cognoverunt plerique Medicorum. Secundo modo fiunt cacochymi humores in prima sua productione, dum in tanta generantur copia, ut non possint ex toto sanguini commisceri, ut contingit in hydrope: & ii separati à sanguinis commixtione, sive sint generati ante febrem, sive in illius temporibus, in quovis febris tempore, quia cachymi & inepti coctioni, & pro nutricatu inutiles, statim petunt purgari. Tertiò fiunt humores cacochymi, qui fuerunt priùs producti commixti sanguini intra venas, si nimis adurantur, aut per ustionem augeantur, & ob copiam, & ardorem separentur à sanguinis commixtione, & fiant cacochymi, & turgentes; & ii in quovis tempore febris, non expectata coctione, ad quam sunt inepti, petunt purgari, ex Hippocrate 1. *aphor.* 22. §. *Nisi materia turgeat.* Quarto modo fiunt humores cacochymi ob pravam, & venenosam qualitatem, seu pravum substantiæ modum, ex quo fiunt inepti pro commixtione cum sanguine, ob suam corruptelam; & ideo separati ab ejus commixtione, in quovis tempore morbi, seu febris indigent expurgari; ut in superabundante bile prasina, atra & aliis superhatantibus, & separatis à commixtione sanguinis: quod maximè contingit in humoribus cacochymis pestilentibus. Ergo pluribus modis possunt humores fieri cacochymi, & apti purgationi in quovis febris tempore.

Probatur *quartò*. Si in febribus materia fovens febrem, ac putrescens sit sanguini commixta, & petat expectari coctionem, ut separetur, & fiat cacochyma, & apta purgationi post statum febris; potest aliqua portio similis humoris superabundare in venis, & manere separata à sanguinis commixtione, ut contingit in turgenti humore; & si ipse irruat in partes principes, potest minari periculum vitæ. Ergo in quovis tempore irruat, non expectata coctione, ejus qui putrescit commixtus, erit exercenda purgatio. Patet hæc doctrina ex doctissimo Fernelio *lib.* 3. *Methodi*, *cap.* 12. sic docente illam: *Est & alia ratione ante coctionem purgandi necessitas, si præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis, aut in visceribus, aut in ambitu corporis est, & cujus expectatur coctio; alia quadam vitiosa in ventriculo, in intestinis, aut circa præcordia adhæret, doloréque, æstu, nauseâ, amarore, aliisque signis fit manifesta: hæc enim omni tempore, etiam nondum ulla morbi apparente coctione, utiliter potest, adhibitâ præparatione, medicamento trahi.*

§. IV.

Solvuntur communes dubitandi rationes.

AD *primam* respondetur, quod Hippocrates tradit occasiones purgandi in febribus humores foventes febrem, & qui possunt concoqui & separari, ut regulariter purgentur: non tamen negat, quod reliqui non possint purgari in aliis temporibus; immò potiùs in secundâ parte aphorismi sic faciendum esse protulit, ponens exemplum in humoribus turgentibus coctioni ineptis.

Ad *secundam* respondetur, quod Galenus loquitur juxta mentem Hippocratis, de humore putrescente commixto sanguini, qui donec coctione separetur, non fit objectum expultricis, nec natura adminiculatur pro ejus expulsione; benè tamen in reliquis, qui in aliis temporibus sunt cacochymi, & indicant purgationem.

RESOLUTIO XI.

Utrum saltem de cura coacta humor putrescens sanguini commixtus, nondum cacochymus, possit purgari selectivo pharmaco.

§. I.

Proponitur pars negativa, & suadetur.

PArte 4. *tom.* 1. *disp.* 2. *resolut.* 10. proposuimus doctissimorum Medicorum Valentinorum opinionem, qui nimis inhærentes primæ parti aphoristicæ sententiæ 22. *lib.* 1. *aphor.* in qua Hippocrates ait, *Concocta medicari, ac movere, non cruda*, renuunt in principiis febrium omnem selectivam purgationem, immò & lenitivam, donec concocta sit materia; & quamcunque aliam purgationem vocant minorativam. Nos jam pluribus in locis demonstravimus, non solùm lenitivas purgationes esse utiles, & necessarias in principiis morborum, sed etiam selectivas, si sint humores cacochymi separati à sanguinis commixtione, & ab illis timeatur orgasmus, turgentia, seu urgentia, ut contingit in febribus perniciosis lethalibus. Major occurrit difficultas sub hac resolutione, utrum si febris putrida oriatur ab humore

more putrescente sanguini commixto, qui nec sit separatus à sanguinis commixtione, nec ideo sit cacochymus, si exsuperet naturæ vires, ita ut appareat, quod nequit ab illa superari, nec concoqui, nisi minoretur pars materiæ committentis febrem; an tunc debeat selectivo pharmaco minorari, quantumvis sanguini commixta, & cruda existat.

Pars negativa amplectitur ab aliquibus, tanquam recepta ab Hippocrate, quasi indefectibilis, ex 1. *aphor.* 22. *Concocta medicari oportet, nisi materia turgeat:* quæ in commixtis humoribus cum sanguine nequit turgere. Galenus in commentario idem confirmat, reddens rationem expectandi coctionem, quia per illam separati putridi humores à sanguinis commixtione, fiunt cacochymi, & objectum expultricis; & ideo pro evacuandis illis habemus naturam adminiculantem & coadjuvantem actionem medicamenti purgantis. Tum *secundò*, Hippocrates 4. *de rat. victus*, renuit purgare in principio morbi ante coctionem, dicens: *Quicumque ea, quæ inflammantur, morborum inter initia medicamento solvere conantur, ii nihil conferunt ejus, quod intentum est, cùm non cedat affectio cruda.* Tum tertiò, *lib. de medicam. purgantib.* non purgat Hippocrates donec remiserit febris. Tum *quartò*, Galenus 1. *aphor.* 22. & 24. idem confirmat, dicens: *Rarò Hippocrates purgat in principiis morborum, quia rarò materia turget.* Tum *quintò* idem *lib. 3. de præsagat. ex pulsibus, cap. 6.* ait: *Quæ inflammantur, non debent medicamento solvi ante coctionem.* Idem superaddit aliis in locis. Ergo sine præcedente coctione nulla selectiva purgatio admittenda.

Probatur *secundò* ex doctrina à nobis tradita. Eadem causa morbifica eodem modo se habens, non potest simul indicare sanguinis missionem, & purgationem. Sed decrevimus *tom. 1. resolut. p.* 4. quod humor putrescens, sanguini commixtus, indicat sanguinis missionem. Ergo nequit indicare purgationem, ut commixtus sanguini, donec per coctionem separetur ab ejus commixtione.

Probatur *tertiò*. Intra Scholam Dogmaticorum nullum remedium debet exerceri, quod non sit indicatum, vel à morbo per se, vel per accidens ab ejus causa. Sed nullo ex iis modis indicatur purgatio ab humore putrescente commixto sanguini. Ergo non debet exerceri.

A Probatur minor ex sancitis à nobis *tom. 1. p. 4. disp. 2. sect. 3. resolut. 3. § 3.* ubi definientes purgationem diximus, quod purgatio, *Est evacuatio per ventrem, facta vi medicamenti purgantis, indicata à morbo magno pendente ex humorum cacochymia.* Ergo eo ipso, quod humor sit commixtus sanguini, purgatio non indicatur, nec ab illo per accidens, tanquam à causa; nec à febre per se, tanquam à morbo; quia ut sic solam indicat B sui attemperationem.

§. II.

Pars affirmativa sancitur, & demonstratur.

Resolvendum, quod de cura coacta, licèt humor putridus causans febrem non sit separatus à sanguinis commixtione, nec coctus, nec cacochymus, si nullo alio auxilio potest vitari mors, C licèt non indicata sit purgatio, nec sine aliquo periculo possit exerceri; tamen debet Medicus Dogmaticus illam adhibere. Sic sancivimus *tom. 1. Resolut. Medic. loco nuper citato*, cum communi assensu eorum, qui minorativam purgationem admittunt, quam firmioribus sancimus fundamentis.

Ante probationem resolutionis proponam casum: Si æger febre corripiatur orta ab humore putrescente sanguini commixto, à quo indicatur sanguinis missio, & jam vires non sufficiant pro D continuandis venæ sectionibus, nec ut possint concoquere materiam relictam, nisi per evacuationem alicujus portionis illius, ut superior reddatur supra residuum natura; cùm æger nequeat liberari nisi per coctionem materiæ, & hæc nequeat concoqui, nisi aliqua portio minoretur, & hæc minoratio nequeat fieri sanguinis missione, solùm restat ut fiat selectiva purgatione, etiamsi humor nondum sit cacochymus, & separatus à commixtione sanguinis.

Probatur *primò* resolutio ex Hippo- E crate 1. *aphorism.* 22. ubi manifestè docet hanc doctrinam, & inquit: *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principiis morborum, nisi sit orgasmus;* idest materia turgens, aut urgens, idest quæ minatur periculum vitæ, si non evacuetur. Sed in proposito casu imminet inevitabile vitæ periculum, si non purgetur cruda materia, putrescens, & fovens febrem, cùm aliter concoqui nequeat, nisi minorata purgatione. Ergo

ex

ex Hippocrate selectivè purganda materiæ portio, adhuc si sit commixta sanguini.

Probatur *secundò*. Si de cura coacta non deberet minorari cruda materia in casu posito, maximè quia nequit purgari sine manifesto periculo. Sed illud non impedit remedium, dum sine illo inevitabilis sit mors, & cum illo sit dubia spes. Ergo isto non obstante, debet purgari portio materiæ crudæ remanentis. Probatur minor ex doctrina Celsi *cap. de esthiomene*, dicente in alio periculoso remedio: *Unicum, etsi miserabile, remedium restat, ut scindatur pars. Sed quid interest, quod miserabile sit, si hoc unicum est?* Cui adhæret Avicenna *fen. 7. lib. 4. §. Melior est abscissio unius membri, quàm mors totius.* Ergo non impedit, quod remedium sit periculosum, si hoc unicum est, & sine quo sperari vitæ conservatio nequit.

Probatur *tertiò*: Mors est inevitabilis in casu posito, si de cura coacta Medicus non purgat portionem materiæ crudæ, quæ adhuc de cura regulari non indicat sui purgationem. Ergo debet Medicus ob dubiam spem coactæ purgationis, illam potiùs eligere, quàm certam ægrotantis mortem. Probatur consequentia ex Galeno *lib. 12. Methodi, c. 1.* dicente: *Et læsio, quæ à medicamentis imminet, potiùs eligenda, quàm mors; quia si magna non est, eam sarcire spatio longiori licebit: & si magna, ita ut prolixo spatio sanari nequeat, hanc ipsam eligere potiùs remur, quàm ut homo pereat.* Idem docet Galenus *lib. 9. Methodi*, ex Thucydidis consilio, dicens: *Quibus enim alia salutis ratio non est, & quæ unica videtur, ea dubia est, necessarium videtur adversùs pericula ire.* Idem confirmat *lib. 10. Methodi, §. Quando semel ægro moriendum, à levibus inchoare præsidiis est inutile, quia melius est aliquid nos agentes periclitari, quàm ægrum spe ademptà, certò perire.* Ergo potiùs debet Medicus ob dubiam spem purgationis coactæ, & non indicatæ, illam eligere, quàm certam ægrotantis mortem.

§. III.

Solvuntur fundamenta contrariè opinantium.

AD fundamenta contrariorum respondetur, quod ex propositis Authoritatibus solùm probatur, quod de cura regulari cruda materia non debet A selectivè purgari; non tamen quod de cura coacta non debeamus purgare, aut dempta spe salutis ægrum sinere sine spe vitæ. Tum *secundò*, quod licèt de cura regulari, ab eadem causa non indicetur sanguinis missio, & purgatio; tamen potest de cura regulari indicari sanguinis missio, & de cura coacta purgatio. Tum pro *tertio*, quod de cura regulari Dogmatici non exercent remedium non indicatum; benè tamen de cura coacta, quia aliquando recedere B ab arte, ars est. De cura regulari debemus conservare omnes partes corporis humani, quia sunt illi secundùm naturam; sæpe tamen de cura coacta cogimur aliqua membra abscindere.

RESOLUTIO XII.

Utrum alexipharmaca sint ex usu pro aliquarum febrium curatione.

§. I.

C *Proponitur status hujus difficultatis.*

SUb occultis rerum facultatibus aliæ ob antipathiam, aliæ ob sympathiam agunt in similes, aut dissimiles alias. Aliæ in nostris corporibus, aut selectivè sunt purgativæ, cholagogæ, melanagogæ, phlegmagogæ, aut hydragogæ; de quibus jam egimus: aliæ sunt alterativæ. Si corruptivæ, dicuntur venena, malignæ, aut pestilentes, seu deleteriæ: D si confortativæ, & deleteriarum corruptivæ, dicuntur alexipharmacæ, seu Bezoarticæ. De iis Avicenna inquit, *Albezuar est remedium, quod pro sua proprietate conservat sanitatem, & virtutem in spiritu, ut veneni noxam à se pellat.* De alexipharmacis inquirimus, an conferant pro febribus curandis.

A qua causa proveniant operationes occultæ, quas experimur in mixtis, nondum apertè constat. De iis egimus *tom. 4. Resolut. disput. 3. resolut. 11.* Galenus, ut ibidem diximus *lib. 3. de simpl. medic.* E *facult.* librum promittit, in quo id doceat, qui si scriptus ab illo, ad nos non pervenit: aliqua profert *lib. 3. citato, cap. 6. lib. 5. cap. 1. 17. 18.* Fatetur aliis in locis, quod in iis quæ operantur à tota substantia, ignorat causam. Avicenna, Avenzoar, & alii idem fatentur. Ethnici à fato tenent, has, reliquasque actiones omnium entium provenire. Genethliaci non minùs impiè omnes etiam sublunarium operationes tenent causam

ab Astri s. Nos decrevimus, quod occultæ oper ationes mixtorum proveniunt ab occultis illorum facultatibus, tanquam propriè ab illis resultantes, quæ nec per seipsas, nec per instrumenta, per quæ operantur, sunt à nostris sensibus perceptibiles: pro quarum resultantia confert temperamenti substantifici determinatus mixtionis modus. De qualitatibus, seu virtutibus sic productis in alexipharmacis, inquirimus an prodesse possint pro curandis febribus, quibus complicatur deleteria qualitas.

§. II.

Apparet quod alexipharmaca non sint ex usu pro febribus curandis.

Contingit in febribus, quod aliæ in solo excedenti calore consistant, & de iis non inquirimus, an indigeant alexipharmacis: aliæ sunt quæ consistunt in calore modificato per deleterias qualitates, quæ plerumque sunt febres parvæ, & malignæ, infidis signis firmatæ, quæ quarto die, aut citiùs interimunt: & de iis præcipuè dubitatur. De malignis, & pestilentibus dubitatur, an inter Dogmaticos Medicos, propter has curandas febres sint ex usu alexipharmaca? Videtur quod non.

Primò: Medici Dogmatici pro febrium curatione utuntur remediis indicatis, vel per se ab ipsa febre, vel per accidens ab ejus causa. Sed alexipharmaca neutro ex iis indicantur modis. Ergo apud Dogmaticos non sunt ex usu pro febribus curandis. Probatur minor. A febre quæ consistit in præternaturali calore, per se indicatur frigiditas, quæ est contrarium illius: à causa, quæ causat, & fovet febrem, indicatur per accidens evacuatio humoris, à quo fovetur. Ergo à neutro horum indicantur alexipharmaca.

Secundò: Medici Dogmatici pro febribus curandis præcipuè utuntur remediis indicatione inventis pro febrium curatione. Sed pro alexipharmacis applicandis nulla possunt uti indicatione. Ergo nec curatione per illa. Probatur minor: Nam ex Galeno, ab eo quod non est, nulla sumitur indicatio, nec ab eo quod non cognoscitur. Sed Galenus, Avicenna, Avenzoar, Aphrodiseus, Fernelius, Scaliger, & quicumque agunt de occultis qualitatibus alexipharmacis, aut deleteriis, fatentur illas ignorare, tantúmque cognoscere ef-

A fectus, ignoratis causis. Ergo nec possunt sumere indicationem ab affectu, nec suum cognoscere contrarium, quod ab illo indicatur.

Tertiò: Curatio petit fieri per contraria in qualitate, in intensione, in gradu, ut apparet in manifestis qualitatibus; pro morbo enim in intemperie calida, frigiditate utimur, non in qualibet intensione, sed in determinata in gradu, & modo applicationis. Sed qualitates occultæ non cognoscuntur, nec

B in specie, nec in gradu, nec in modo, quo petunt applicari. Ergo nequeunt esse in usu pro ipsis applicandis, adhuc in curatione febrium malignarum.

§. III.

Admittimus communem usum alexipharmacorum pro curatione malignarum febrium.

Resolvendum, quod pro curandis febribus, quibus conjungitur delete-

C ria qualitas, sunt omninò necessaria alexipharmaca.

Probatur. Illa remedia debent admitti pro febrium curatione, sine quibus aut nequeunt curari, aut non æquè benè. Sed febres, quibus complicatur deleteria, aut venenosa qualitas, aut nequeunt curari sine alexipharmacis, aut non æquè benè. Ergo sunt necessaria pro illarum curatione. Probatur minor. Tum ex Avicenna *lib. 2. fen. 1. cap. 4.* qui sic definit alexipharmaca: *Alvezuar est re-*

D *medium, quod pro sua proprietate conservat sanitatem, & virtutem spirituum, ut veneni noxam à se expellat.* Sed hæc per se primò sunt indicata in febribus, cum quibus complicatur venenosa, ac deleteria qualitas, ab ipsa dissipante sanitatem, & virtutem spirituum, cùm sint illi contraria. Ergo à Dogmaticis Medicis debent applicari. Tum febris pestilens, aut maligna, de quibus maximè dubitatur, aut fiunt à qualitate pestilente, seu maligna per contagium commu-

E nicata, à quibus humores alterati putrescunt, & ab illa pendent, tanquam à causa conservante; aut fiunt à prava corruptela humorum, ex quibus fit ingentissima putredo, ex qua resultat venenosa qualitas concomitans febrem putridam, & illam fovens. Sed utroque modo indicata sunt alexipharmaca: si primo modo, quia deleteria qualitas causans febrem, est prima morbi origo, ad quam est deveniendum, ut curetur febris maligna:

si ratione putredinis resultat deleteria qualitas, sua malignitate fovet putredinem, & febrem, & tanquam illarum causa indicat sui evacuationem, & corruptionem, quæ alexipharmacis fit. Ergo hæc debet tentari à Medicis Dogmaticis. Tum si non essent in usu alexipharmaca pro malignis, aut pestilentibus febribus, maximè quia licèt ex se sint indicata, sunt contraindicata à manifestis qualitatibus mixtorum, cum quibus exhibentur. Sed possunt offerri sine eo, quod illa obstent. Ergo offerenda à Dogmaticis. Probatur minor, quia si alexipharmaca sint frigida, indicantur per se à febre: ut putrida indicantur à putredine, remittunt enim illam remittendo calorem putrescentem; & quia alexipharmaca, indicantur à venenosa qualitate complicata cum febre. Si alexipharmaca sint calida, possunt attemperari cum frigidis, & moderatè calidis, ex Galeno *lib. Artis Medicinal.* Juvant coctionem auferendo obstructiones impedientes illam: solumque abstinendum à nimis calidis, à quibus putredo intenditur, & febris, & malignitas, qualiter posset contingere ex usu theriacæ, quidquid Saxonia, Doncellinus & alii illam admittant: rectè enim theriaca & alia alexipharmaca calida damnantur à Vallesio *lib. 7. Epidem.* Si cardiaca sint humectantia, præcipuè cum liquidis oblata, si potestate simul sint sicca, putredinem cohibent, & simul opponuntur veneno. Ergo si cardiaca cum temperatis offerantur, dum nequeant nimis nocere febrem intendendo, putredinem augendo, maximè adstringendo, aut incrassando, semper utilia sunt. Tum pro variis temporibus febrium malignarum, ut tenet Riverius, contemperanda, & offerenda alexipharmaca, cum diversis præparationibus, in julepis, jusculis, emulsionibus, & sub aliis formis. *Primò* commiscendo alexipharmaca cum eis quæ sint frigida, & sicca, & modicè adstringentia, ut prohibeant putredinem, cor confortent, & venenum refrenent. Inter hæc sunt bolus Armenus, & terra sigillata, radix tormentillæ & pentaphylli. *Secundò* offerenda quæ sua tenuitate resistunt putredini, & coërcent malignitatem, ut spiritus sulphuris, & vitrioli. *Tertiò* conferunt diaphoretica, quæ à corde expellunt venenosos vapores, & movent ad circumferentiam, ut angelica, & zedoaria, scordium, carduus benedictus. *Quartò*, quæ sine excessu

A manifestarum virium specifica vi prosunt, ut lapis bezoar, cornu cervi, & trochisci viperini, quorum prima auxilia in principio, & augmento magis conferunt. Specifica alexipharmaca vera in statu, & declinatione magis prosunt. Itaque refrigerantibus magis, aut minùs utendum, quando magis, aut minùs indicantur à remissione, aut intensione febris. Ergo utendum alexipharmacis pro modo aut exigentia febris, cum ejus coindicantibus.

B Probatur *secundò* à posteriori. Per evidentes experientias constat, pro omnibus morbis curandis venenosis, inventa fuisse alexipharmaca, non solùm separatis à commixtione febrium, sed in commixtis, aut complicatis cum illis. Ergo pro complicatis cum febribus utendum alexipharmacis in earum curatione. Probatur antecedens. Tum de reliquis venenosis deleteriis qualitatibus, pro quibus debellandis inter juniores præter alia receptum est præservativum Orvietani, & alia ab Spagyricis recenter C inventa alexipharmaca: & ex vetustioribus ad nos pervenerunt mithridatum, & quamplures theriacæ, compositiones Democratis, Oribasii, Esdræ, diatessaron, ex pœonia, ex terra sigillata, quarum descriptiones transtulit Quercetanus ex Oribasio, Ægineta, Rhasi, Avicenna, Celso & aliis, præcipuè ex Mesuë, & Andromacho: quorum alii superaddebant carnem serpentum, alii denegabant in theriaca. Tum Juniores, qui egerunt de febribus malignis, & pestilenti- D bus, plures præscribunt descriptiones jam expertas alexipharmacas pro illarum curatione, præcipuè Sennertus & Cortesius in Miscellaneis, in Appendice ad curationem febrium malignarum, & pestilentium, ubi præscribit antidotum quo usus fuit Hippocrates in Athenis, antidotum Democratis descriptum à Galeno, antidotum aliud Guidoni adscriptum, aliud Mathioli, aliud Riccii, aliud proprium Cortesii, qui superaddit de- E scriptionem pulverum Foresti in hunc finem. Tum patet minor inter Juniores Spagyricos, qui plura superaddidere alexipharmaca: inter quos Doncelli in suo Pharmaceutico Theatro Dogmatico, & Spagyrico plures superaddit alexipharmacas descriptiones pro malignis, & pestilentibus febribus, inter quas ponit aquam Mercurii de Libavio, aquam theriacalem, bezoar fossile de Saxonia, bezoardicum solare, confectionem hyacinthorum,

thorum, cornu cervi, diamargaritonem frigidum, syrupum gemmatum, mercurium auratum, lapidem bezoar, spiritum vitrioli, tincturam corallorum, trochiscos viperæ. Ergo ex experimentis tot alexipharmacorum constat, in illis inesse virtutes ad curandos venenosos morbos, simul & febres deleteriis conjunctas qualitatibus. Tum innumera antidota videre licet in Hodego, apud Giesvvein.

§. IV.

Solvuntur rationes pro parte negativa proposita.

AD *primam* respondetur, quod cùm qualitas deleteria, & venenosa, quæ febri adjungitur, aut illam causat promovendo putredinem, & illam fovendo, se habet ex parte causæ, per accidens indicat sui curationem, & etiam per se, quatenus est morbus per se lædens operationes, & indicans sui curationem: ideo Dogmatici alexipharmacis utuntur indicatis in febribus pro harum curatione, quatenus auferunt putredinis causam, & quia conjunctum morbum venenosum extinguunt.

Ad *secundam* respondetur, quod ab eo quod non est, nulla sumitur indicatio, nec ab eo quod non cognoscitur, vel à priori, aut per sensus illud cognoscendo; vel saltem à posteriori, per suos effectus, & per experientiam; quæ cùm sæpe demonstret vires alexipharmacorum, illis cognitis, & expertis, ab eisdem venenis, quæ per illa curata sunt, sumitur illorum indicatio.

Ad *tertiam* respondetur, quod qualitates occultæ per experientiam inventæ sunt, & per illam virtus illarum, potestasque operandi patet; est enim experientia unum ex instrumentis, quo utuntur Dogmatici pro morborum curatione: à juvantibus enim, & nocentibus sumitur indicatio, ex Galeno *lib. 1. de loc. affect. cap. 4.* dicente: *Verùm considerare oportet, utrum illæsum sit hepar, an affectu quopiam laboret, & qualis sit ipsius affectus, an calidus, an frigidus, &c.* Et concludit: *Refrigerantibus medicamentis hominem juvari attendens, calidis lædi, vel econtrà, ab iis indicatio sumenda.* Zacutus tenet, quod in ignoratis morbis tentanda à juvantibus, aut nocentibus cognitio.

Plura sunt alexipharmaca inter Dogmaticos cognita, & communiter recepta A contra omnes venenosas qualitates, ac deleterias, ut observat Schenkius: inter lapides & gemmas sunt ophites, smaragdus, paxar, bezoar Malacensis: ex cornibus, asini Indici, equi Indici, rhinocerotis, monocerotis, camphura, pyrassoupum, furfur fossile, cornu cervi: inter herbas sunt ruta, galega, faalim, scorzonera, carduus benedictus: ex fructibus recensentur malum citrium, cotoneum malum: ex radicibus, anthora, contrayerva, moringa, drakena: ex lignis, B colubrinum, molucense: ex fungis, fungus cervinus. Inter composita alexipharmaca sunt antidotus Mathioli contra venenum Caravitæ, oleum contra venenum, antidoti Cardani contra venena, antidotus Morbani serenissimi Ferdinandi Bavariæ Ducis, contra venena, pestem, & febres pestilentes. Admirandum remedium pro toxicatis est, quod inclusi in recenter mactatis animalibus sudent, ut in mulis, equis, bobus exenteratis. Sunt & quamplura alia, quæ re- C tulimus, & in Pharmacopœis reperiuntur.

RESOLVTIO XIII.

Utrum alexipharmaca pro Gallicis, & aliis novis morbis deleteria vi præditis, sint ex usu in febribus complicatis cum illis.

§. I.

D *Proponitur difficultas: fulcitur pars negativa.*

PEr propiora nostræ ætati tempora morbi novi cœperunt apparere, ab antiquis nondum cogniti, qui lethali, & deleteria vi præditi, quamplurimos jugulare visi sunt, antequam aptum inveniretur remedium pro illis, præcipuè cùm occulta vi pollerent, nec cognita fuisset eorum deleteria vis: inter quæ est sudor Anglicus, de quo egit Polydorus Virgilius *Hist. Anglic. cap. 17.* Sudor hic E lethalis erat, & superveniens angebat caput, cerebrum, & ventriculum: ad hæc subsequebatur sudor, quo omnes moriebantur, aut ipso incipiente, aut paulò post, sæpe intra diem primum. Superveniens etiam fuit morbus Ungarus, seu pestis Polonica, de qua egit Balthazar Conradinus, quæ communis fuit Germanis, Burgundis, Belgis, Italis, Bohemis. Hæc lues incipiebat in tertia, aut quarta hora post meridiem, cum levi rigore.

rigore. Post horæ dodrantem æstus superveniebat, permanens per subsequentes noctes, & dies: sub sterni cartilagine apparebat dolor, sitis erat inextinguibilis: tertia die superveniebat delirium, & citò mors. Vervecinus dictus morbus per tempora invaluit, ut tenet Thuanus *historia* 72. Incepit in Italia, grassatus fuit in Hispania: fuit morbus communis, lethalis celeritate: occupabat primò spinæ inferiorem partem horrore, caput gravedine, membra languore, pectus gravabat. Intra quartum diem superveniebat febris, à qua mors. Deliis etiam novus supervenit morbus, ut tenet Æschines, pestilens, & lethalis, in quo vultus vitiligine replebatur, capillos reddebat albos, collum, & pectus fiebant tumida, sine febre, aut dolore, nec inferiorum partium læsione: lethalis erat eventus,& *Draveren* dicebatur. Novus etiam tempore subcrevit morbus, qui Vvestphalis, Gueldris,& Frisiis communis fuit, per intervalla excrucians in omnibus membris, præcipuè in dorso & lumbis afficiens primò; in aliis per aliquam particulam transibat in partes vicinas subitò, sæpe transiens à pedibus ad scapulas, postea ad manus, & inde in reliquas partes, cum dolore corrodente, in quo vermiculus musculos, & alias partes depascere videbatur; ideo morbus *Varen* vocabatur, quod apud illos lumbricum significat. Alter tempore alio apparuit morbus pestilens, ut tenet Ronseus *in Epistolis Miscellaneis, epistol.*69. in Ducatu Luneburgensi, incipiens cum extremorum paralysi, convulsione pugnum comprimente, qui nec à forti viro posset reduci, cum forti ululatu, quasi ab epileptico edito, cum catocho, & manuum tumore, nimio calore sensim in cor, & viscera refluente, ex quo multi citiùs peribant, & qui remanebant ægri, non ex toto ab omnibus liberabantur symptomatibus. Mentagra etiam invaluit apud Italos, ut inquit Plinius *lib.* 26. *cap.* 1. temporibus Pompeii Magni, pro specie elephantiæ recepta, in qua à facie incipiente, in nare prima velut lenticula apparebat, quæ invalescens, per totum corpus maculosa fiebat cum inæquali cute, & variis coloribus, in aliis crassa, in aliis tenuis, cum scabie, aut aspera, aut dura: tandem nigrescens, carnes cum ossibus comprimebat. Plica Polonica tanquam novus etiam morbus supervenit, seu contorsio capillorum: affectus est endemius Polonis

A recentior, proximioribus ejus regionibus antiquior, de quo egimus *tom.* 3. *prompt.*11. In illa firmatur morbus in pilis: primariò patitur jecur, periostia, & capitis membranæ, caput, externæ ejus partes, præcipuè capilli, à quorum contorsione affectio hæc dicitur contorsio, seu inviscatio capillorum, quæ fit ex quadam quasi critica expulsione materiæ foventis morbum, qui ut ibi diximus, est magnus, venenosus, exustioni conjunctus, contagiosus: in illo capilli B conglutinantur, inviscantur, ungues curvantur, contractione vexantur. Successu temporum apparuit etiam scorbutus, morbus novus, in Hollandia endemius ob pravitatem aquarum, qui atrocissima habet pathognomonica symptomata, ut sunt gingivarum rubor, pruritus, & putrefactio, sanguinis effusio, teterrimus odor, & horum extensio ad fauces, dentium nigredo, rubræ maculæ in cruribus, purpureæ, nigræ, serpentesque exulcerationes, difficilis re- C spiratio, dolores vagi, rheumatismus, genuum dolor, dolores hypochondriorum, febres putridæ, atrophia, lassitudines spontaneæ, ventris durities, alvi fluxus, frequens horror, inconstans lotium, & pulsus. De spinæ ventositate, egimus *tom.*3.*prompt.*14. qui affectus apparens, ab Avicenna, & aliis fuit cognitus non uniformi assensu. Avicenna corruptionem ossium ab humoribus acribus, & mordacibus in ossibus imbibitis, sive putredine, sive aliis viribus, vocat spinæ ventositatem, in qua est dolor pun- D ctorius membranæ periostii, ex progressu lento tumoris collectione facti in pessula articulorum peculiarium partium ex sera exulceratione.

Proximior nostræ ætati supervenit morbus Gallicus, cujus duæ ponuntur differentiæ à Beverovicio. Alter est bruno Gallicus: alter morbus Gallicus. Bruno Gallicus insolens est, & novus, ortus fuit in Bruno, in Narcomenis oppido, Gallico affinis, Bruno Gallicus dictus, in quo habuit originem, & nomen. Ap- E parent in illo torpor, pigritia, gravedo, animi dejectio, membrorum spontanea lassitudo, lividus oris color, qui statim mutatur in pallidum, aspectus torvus, circulus fuscus circa oculos: si imponantur cucurbitulæ, fiunt cicatrices cum rubore, sequuntur abscessus, & ulcera cum liquore pingui, mucore lento, lurida sanie. Apparebant postea maculæ atræ, plumbeæ, aut fusci coloris, non

absimiles impetiginibus: fiebant postea callis, ut tenet Beverovicius. Erat contagium subitò superveniens. Gallicus verò dictus morbus ab aliis fit causis, ab alia provenit origine, non circunscribitur in uno adstricto oppido, aut provincia, luxuriat per omnes universi regiones: de quo disputavimus *tom. 4. in Miscellaneis*: cujus sunt symptomata pustulæ fœdissimæ, ulcera, dolores, præcipuè in articulis noctu exacerbantes, nullis cedentes communibus auxiliis. Plures aspectu deformantur, inepti fiunt pro laboribus, tophis replentur, gummatibus, ossium corrosionibus, carie, lentis febribus corripiuntur, & post innumeros labores in mortem feruntur: & licèt sudoribus, & propriis alexipharmacis, & mercurii inunctionibus sæpe curati appareant, rarò tamen sine recidivæ periculo, ob Gallicum introductum sigillum, curantur. Variis nominibus hic morbus insignitur. Malabari vocant *Pua*: ab illis Hispani vocarunt *Buas*, postea *Bubas*. Aragonenses, morbum sancti Sementi dicunt: sic & Valentini, & Catalani: Genuenses morbum *de le Tavelle*: Thusci *de le Bule*: Lombardi *lo male del Enbrosale*: Itali vocarunt morbum Gallicum, Galli Italicum, & Neapolitanum: alii Hispanum, aliis *Patursa*, aut turpis Saturnina dicitur: Lehonicenus vocat Epium: Fracastorius Syphilidem: ab aliis vocatur *Porca*: Germani vocarunt Mevium; alii pudendagram, alii Jacobi morbum, aut scabiem, aut variolam magnam. De illius origine Paulus de Medeburgo tenet, ortum duxisse ex quadam magna Astrorum conjunctione anno 1487. Torella anno 1493. tenet hunc morbum incepisse in Alvernia, & per contagium fuisse communicatum per Europam. Alii ex aliis locis ejus originem trahunt. Nos de ejus ortu, loco citato jam diximus. Fabritius plura addidit de morbis iis. Constat ex variis eorum accidentibus, deleterias habere vires, quæ petunt propriis alexipharmacis curari, quibus pro illis utuntur Medici. De iis inquirimus, an liceat uti in febribus, si prædicti morbi superveniant cum illis.

Videtur quod non. *Primò*, quia febris est morbus periculosus, & lethalis, & in quo æger potest perire, nisi debitè, & sine obstaculo administretur ejus curatio. Ergo eo ipso, quod reliquorum morborum remedia impediant illius debitam curationem, aut aliquo modo impediatur hæc, illorum curatio est omittenda.

Secundò probatur præcipuè de morbo Gallico. In qualibet illius specie, seu differentia obstant remedia alexipharmaca illius curationi febris. Ergo non sunt exercenda. Probatur antecedens. Nam Gallici morbi remedia sunt lignum sanctum, salsaparilla, sassafras, & alia calidissima remedia, per quæ intenditur febris; & adhuc mercurii inunctiones magis obstant. Ergo quodlibet ex remediis pro Gallicis obstat febris curationi.

Tertiò, inter annumeratos morbos novos, plures tempore in putredinem abeunt, in partium putrilagines, in vehementissimas febres, ut patet ex dictis in illorum symptomatibus. Ergo quæcumque illorum remedia calida obstabunt præcipuè pro febre, & illius oppugnanda causa.

§. II.

De omnibus complicatis deleteriis viribus cum febre, quid sentiendum.

Resolvendum, quod in febribus complicatis cum deleteriis aliis morbis, pro utrisque exercenda remedia juxta eorum urgentiam.

Probatur *primò*. Tum juxta dicta resolutione antecedente. Tum ex Galeno, qui *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. lib. 7. Method. cap. 12. lib. 11. Methodi, cap. 1.* concurrentibus contrariis affectibus, docet consilium curantis debere dirigi ad id quod magis urget, altero non neglecto. Tum si alterius morbi indicationes non contrariantur indicationi febris, utrisque simul sine noxa est occurrendum. Tum si febris fovetur à deleteria qualitate, vel quia est causa putredinis, à qua fit febris; vel quia modificat calorem, ut fiat febrilis, præcipuè intendendum in alexipharmacis qualitati deleteriæ opositis, quia priùs unamquanque causam abscindere oportet. Tum in Gallicis idem apparet, in quibus si febris fovetur Gallica lue, utimur illius alexipharmacis, quantumvis calidis. Ergo pro iis morbis cum febre complicatis tentanda amborum curatio.

Probatur *secundò*. Eadem currit ratio curationis in morbis novis propositis, eorumque deleteriis viribus, ac in aliis quæ cum febre complicantur. Sed in aliis pugnamus pro febre, & deleteriis qualitatibus simul debellandis. Ergo idem tentandum in horum complicatione.

Probatur

Probatur minor ex communi praxi in febribus malignis, pestilentibus, variolis, & aliis quibuslibet communibus febribus, pro quibus utimur alexipharmacis.

Probatur *tertiò*. In venenatis aliis quibuscumque febribus, pro quibus sua proponuntur varia alexipharmaca, ut in Hodego proponit Giesvvein, quæ desumuntur tum ex vegetabilibus, qualia sunt quæ parantur ex foliis, & herbis acetosæ, acetosellæ, borraginis, cardui benedicti, cichorii, galegæ, persicariæ: ex floribus borraginis, scabiosæ, tormentillæ: ex seminibus acetosæ, aquilegiæ, cardui benedicti, citr. frig. maj. hordei: ex fructibus baccar. juniperi, berberum, granat. tamarindor. ex radicibus acetosæ, angelicæ, bardanæ, contrayervæ, fraxinellæ, pentaphylli, scorzoneræ: ex animalibus, ex cornu cervi, lapide bezoar, carne serpentum, unicornu: ex mineralibus, ex bolo Armeno, corallis, nitro, terra sigillata. Tum prosunt ex compositis acetum antimonii, bezoarticum Alexii, pireton Poterii, antidotus Mathioli, antimonium diaphoreticum, aqua Angelica Minderi & Dominici Salæ, febrifuga Scrœderi, scordii, scorzoneræ, theriacæ ex Artmano & Crollio, bezoar potabile Amysinchet, decoctum cornu cervi Simon. diascordium Fracastorii, electuarium Orvietani, lapis prunellæ, liquor diaphoreticus Myns. Mithridatum, Panacea sulph. Hartmani, sal cardui benedicti, sulphur antimonii fixum, theriaca Andromachi, tinctura antimonii Rosfinc. & alia hujusmodi. Ergo similiter appropriata auxilia pro novis morbis eruut ex usu.

§. III.

Solvuntur argumenta primò proposita.

Ad *primum* respondetur, quod si urgeat febris supra qualitates deleterias, ipsi primò occurrendum, sine eo quod omittantur remedia quæ conferunt pro complicatis morbis, veneficisve qualitatibus, pro quibus offerenda auxilia quæ reliquis morbis utilia, minùs valent febres intendere, aut illarum causas augere.

Ad *secundum* respondetur, quod morbi Gallici remedia suo modo possunt attemperari cum remediis quæ opponuntur febri; ideo sæpe utimur syrupis, qui attemperandi magna ex parte vim habent simul, & pro usu Mercurii superaddimus frigida unguenta, quæ illi commiscentur, simulque & pro ejus usu etiam lacte, & aliis utimur cibis, quæ vini habent remittendi febrem, & illius calorem.

Ad *tertium* respondetur, quod alexipharmaca pro morbis deleteriis, si sint in materia calida, exhibentur cum remediis frigidis: si ab illis fit, aut fovetur febris, urgentior indicatio sumitur à deleteria vi, tanquam à causa sine qua non.

Resolutio XIV.

Utrum conferant diuretica in febribus?

§. I.

Proponuntur variæ diureticorum sortes.

Medicamenta quæ per vias urinæ simul cum lotio alios humores movent, & expurgant, diuretica dicuntur, quæ varia sunt: alia sunt calida, alia sunt frigida, alia simplicia, alia composita, alia ex Dogmaticis recepta, alia ab Spagyricis. Calida sunt activiora, separant enim partes magis aquosas & serosas, ut à renibus attrahantur. Frigida expurgant cum urinis abstergendo, ut asparagi, parietaria, præcipuè humiditatem separando, ut althæa, semina frigida, cucurbita. Inter diuretica potentiora habentur calida, quorum simplicia sunt, ex Chymicis, spiritus sulphuris, vitrioli, salis tartari, aut terebenthinæ, vel sales baccarum hederæ, aut tartari, aut terebenthinæ, siliquarum fabarum. Inter Dogmaticos simplicia diuretica sumuntur calida ex radicibus petroselini, apii, eryngii, fœniculi, raphani, asari, valerianæ, ononidis: ex corticibus, medianis tamarisci, genistæ: ex foliis saxifragæ, pimpinellæ, apii, urticæ, fœniculi, camædryos, si simbrii, nasturtii aquatici, sabinæ: ex seminibus seseleos, apii, urticæ, levistici, milii solis, rubra cicera: ex fructibus, baccæ lauri, juniperi: ex floribus, genistæ, & chamomillæ: ex gummis, terebenthina: ex animalibus sanguis hirci præparatus, cantharides: ex mineralibus, carabes. Sub diureticis frigidis sunt radices asparagi, graminis, brusci, oxylapathi, acetosæ, folia capillor. veneris, acetosæ, parietariæ, herniariæ, bismalvæ: ex seminibus, quatuor frigida, acetosæ, & hordei: à fructibus, cucurbitæ, pepones,

nes, fragi: ex succis, limonum, granatorum acidor. Sic latè apparet in Hodego Medico, & ex iis composita plura fiunt diuretica, de quibus nos aliqua proposuimus *tom.3.Resol.tract.de febrib. cap.2.* vel pro potu

♃. radic. petroselini ℥. j. capill. Ven. viridium m.ß. ceterach p.j. Infunde in aquæ hordei ℔. ß. Fiat emulsio ex ℥. ij. seminum melonum: adde syrup. viol. ℥.ij. Misce.

Vel in longis febribus fiant juscula sic:

♃. carnis arietinæ, aut vitulinæ, ℔.j. cum pullo gallinaceo, foliis scariolæ, borraginis, pimpinellæ, cum capparibus, radice scorzoneræ, petroselini, graminis, cum ciceribus nigris fiat jus, cui superadde succum limonis & saccharum, & ʒ.j. crystalli tartari.

Claudinus in febribus ex decoctionibus diureticorum longiorem exhibet potum, à quo in hydrope abstinet.

♃. lexivium ex cinere, florum genistæ cum sale absinthii chymicè præparati, vel cum guttulis olei chalcanti, ad guttulas vj.

Beguinus præstantissimum parat ex terebenthina destillata, quod abstergit, ac purulenta educit.

Rulandus parat ex nucleis persic. maceratis in vino generoso per dies sex: fiat destillatio, vel silices albissimi ex flumine collecti, igniti vino generoso extingantur, ut reducantur in pulverem: vinum trajiciatur per filtrum pro potu. Crollius laudat sal succini volatile. De iis omnibus, & aliis inquirimus, an sint ex usu pro febrium curatione.

§. II.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

Pars negativa videtur suaderi. *Primò*, quia Galenus *lib.7. Methodi, cap. ult.* docet quod pars jecoris potest purgari per urinam, & per dejectionem. Sed eo ipso quod indicetur purgatio per dejectionem, non potest fieri per urinas, quia unum tantùm indicat unum, ut docet idem Galenus *lib.6. de indicat.* Ergo nequit in febribus fieri purgatio per diuretica.

Secundò, in eodem loco docet Galenus, quod humores contenti in jecore, petunt evacuari per intestina, si sint in parte cava; per urinas, si sint in parte gibba: & non docet evacuationem ex genere venoso, quæ petat fieri per uri-

A nas. Sed pro febribus deberet fieri evacuatio humorum, qui sunt intra venas. Ergo isti non petunt evacuari per diuretica.

Tertiò: Si diuretica convenirent pro febrium curatione, maximè quia præcipuè calida separant partes serosas, & tenues ab humoribus foventibus febres, & illas expurgant per urinas. Sed hoc fit cum incommodo febricitantium. Tum quia calefaciendo intendunt febres; attenuando, & separando partes humo-
B rum, coctionem interturbant, & properant evacuationes humorum ante debitum tempus. Ergo non sunt ex usu pro febrium curatione.

Quartò, diuretica nullam habent vim catharticam purgandi, aut attractricem humorum. Ergo nequeunt illos evacuare.

§. III.

Pars affirmativa sancitur, & fulcitur.

C Resolvendum, quod diuretica maximè sunt ex usu pro febrium curatione, præcipuè post manifestam coctionem humorum, aut in commixtis cum illis cacochymis aliis foventibus febrem. Deducitur hæc doctrina ex Galeno *lib.14. Methodi, cap.15. lib.1. ad Glauc. cap.4. lib.5. simpl. cap.13. & 20. lib. Artis Medicinal. cap.95. lib.7. local. cap.3. lib.7. Method. cap. ult.* & nos plura diximus *tom.3. prompt. ult.*

D Probatur *primò*. Medicus est imitator naturæ in his quæ rectè operatur. Sed patet ex locis citatis, quod sæpe natura liberat à febribus per crisim factam per lotium post concoctam materiam, vel sine omni crisi, movendo per urinas succos cacochymos intra venas concomitantes febres. Ergo Medicus per diuretica idem debet imitari.

Probatur *secundò* Resolutio secundùm omnes partes. Tum quod præcipuè pro fortioribus diureticis sit expectanda coctio; si enim succus movendus com-
E mixtus est sanguini, ex Hippocrate *1. aphor. 22.* expectanda est coctio, ut per illam separata commixta materia habeat adminiculantem naturam ad sui expulsionem. *Concocta enim medicanda, non cruda.* Quod pro qualibet evacuatione servandum tenet Galenus *lib.4. de sanit. tuenda, cap.5.* Quod præcipuè in diureticis observandum tenet Claudinus, quia ex Galeno *lib. 1. ad Glauc. cap. de febre pituitosa*, diuretica ante coctio-

nem

nem materiam crudam valde agitant. A Tum quia ſi ſint commixti cacochymi humores & ſucci intra venas ſanguini, petunt evacuari per diuretica leviora, ut deducitur ex Galeno *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 9. qui ante coctionem exhibet diureticum ex coctione apii & anethi: quod tamen non exhibet pro materia cruda commixta ante coctionem; unde conſonum eſt, ut offerat pro conjunctis ſuccis intra venas, à commixtione ſejunctis aquoſis. Ergo diuretica, vel poſt coctionem petunt offerri pro ſuccis, qui commixti fuere; B vel levioribus tentari diureticis pro ſuccis non commixtis, ne potentiora interturbent commixtos.

Probatur *tertiò.* Medicus Rationalis debet exercere remedia, & præcipuè tentare evacuationem eorum, quæ indicata ſunt. Sed evacuatio ſuccorum per diuretica eſt indicata, dum evacuandi humores vel ſunt ſeparati à ſanguinis commixtione per coctionem; vel quia licèt ſint ſanguini conjuncti intra venas, nondum tamen ſunt illi commixti. Ergo C tum temporis erunt ex uſu exhibenda diuretica.

§. IV.

Solvuntur fundamenta partis negativæ.

AD *primum* reſpondetur, quod unum tantùm unum indicat: ſic ſuperflui humores indicant ſui evacuationem; ſed ratione ſitus poteſt variari medicamentum evacuans, ita ut quod crudum eſt in ventriculo, petat ſui evacuationem per vomitum: quod in inteſtinis, D per ventrem; & ideo Galenus, ſi læditur pars gibba jecoris, utitur diureticis, quia illi ſubjiciuntur renes: utitur verò dejectorio pro purganda cava parte.

Ad *ſecundum* reſpondetur, quod Galenus locis citatis agit de evacuandis per diuretica humoribus in jecore ſuperfluis: aliis verò in locis citatis, de iis qui redundant in vaſis majoribus, vel in aliis partibus. E Tum, quod diureticorum uſus pro febribus non eſt tam communis in uſtivis febribus, quàm in levioribus, ſeu longioribus & remiſſis. Tum quod offeruntur diuretica poſt coctionem, dum cacochymi humores ſunt ſeparati; & febris eſt remiſſior.

Ad *tertium* reſpondetur, tum quod diureticorum uſus non eſt tam frequens in uſtivis, quàm in remiſſioribus febribus, & chronicis. Tum quod offeruntur poſt coctionem, dum coctione humores ſunt ſeparati; & ideo illam non perturbant, ſicut nec reliqua purgantia.

Ad *quartum* reſpondetur, quod diuretica calida, ut diximus, ſeparant partes ſeroſas, & aqueas; ideo ſeparatæ, à renibus trahuntur, quorum ſiunt objectum à reliquis ſeparatæ: frigida expurgant cum urinis abſtergendo, & omnia diſponendo, ut ab expellente ab aliis partibus trudantur; & ab attrahente attrahantur ab aliis, ſicut contingit in omnium excrementorum expulſione in noſtro corpore.

Resolvtio XV.

Utrum pro febribus curandis ſint ex uſu ſudorifica.

§. I.

Variæ ſudorificorum proponuntur differentiæ.

SUdor, ut diximus *tom.* 1. *Reſol. diſput. de ſudore*, eſt effluvium vaporoſæ ſubſtantiæ per cutem. Triplex accidit in homine, vel intra metas ſanitatis, naturalis dictus; vel in morbis prodit ex morbifica cauſa: ſi naturâ vincente, dicitur criticus; ſi vincente morbo, ſymptomaticus: vel pro morbis curandis tentatur ab arte, & hunc Medicus commovere conatur in ſtupha, aut aquis thermalibus, vel exhibitis ſudorificis. De iis nunc diſputamus, quæ ſunt medicamenta quæ ad curem movent; & ſi inſenſibiliter evacuant, dicuntur hydrotica; ſi ſenſibiliter ſudorem movent, dicuntur diaphoretica.

§. II.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

VIdetur, quod nulla ſunt ex uſu pro febribus curandis ſudorifica. *Primò*, quia Medicus eſt imitator naturæ in eis quæ rectè operatur, & ſic debet deviare ab illius operationibus, quæ ſiunt cum periculo vitæ: ſed plerumque dum natura tentat ſudores in febribus, ægros perducit in mortem. Ergo Medicus in illis non debet ſudores movere. Probatur minor ex Hippocrate *in lib. Epidem.* qui variis eventibus id comprobat. Philiſcus, & Eraſinus, qui prima die cœperunt ſudare, mortui fuere. Pythion in Thaſo, qui ſecunda die febris ſudavit; & adoleſcens, qui habitabat in foro Mendacii, etiam mortui ſunt. Silenus, qui

qui sudavit sexta die, obiit decimasexta. Qui habitabat in horto Dealcis, & sudavit quarta die, febricitavit usque ad quadragesimum. Hierophon sudavit in sexto: & virgo in Abderis, & Pythodorus in periculosas inciderunt recidivas post sudores. Ergo natura cum periculo vitæ movet sudores in febribus.

Secundò, sudorifica habent vim calefaciendi, attenuandi, & rarefaciendi, quæ opponuntur indicationi curativæ per se sumptæ à febre; refrigerandi, inquam, & febrilem remittendi calorem. Ergo non possunt esse ex usu pro febrium curatione.

Tertiò, febres chronicæ, pro quibus sudorifica videntur posse esse ex usu, pendent ex crassis humoribus, pituitosis, aut melancholicis, qui nequeunt attenuari, nec resolvi per sudores. Ergo neque pro iis febribus curandis sudorifica sunt ex usu.

Quartò, si in aliquibus febribus essent sudorifica ex usu, maximè in variolis, & malignis febribus, pro quibus Avicenna, & alii Authores consulunt moventia ad cutem. Sed in iis, præcipuè si lethales fiant ex nimia ustione, faciliùs ægri ustione extinguntur. Ergo nec in illis sudorifica possunt esse ex usu.

§. III.

Sudorifica pro febrium aliquarum curatione admittuntur.

Resolvendum, quod in febribus sudores, & naturâ in acutis, & ab Arte in chronicis possunt esse in usu pro illarum curatione. Probavimus sic *in tom. 2.* quod prosunt sudores à natura concitati in acutis febribus.

Tum *primò* ex Hippocrate 3. *prognost.* 26. aliisque in locis, in quibus proponit conditiones sudorum salubrium in febribus, cum quibus à febribus liberatos fuisse plures refert in Epidemiis per perfectas crises, ut uxor Epicratis, Meton, mulier decumbens in litore, Cherion, mulier in Thaso, Lehephorbida, & alii. Tum confirmant antiquiores Medici, inter quos per sudores tentabatur cura febrium, movendo humores ad cutem, ut convincitur ex Prodico, Erodico, Petronio, Herophilo, Erasistrato, Asclepiade, Themisonte, & aliis. Tum inter juniores, Sennertus plura proponit moventia ad cutem, & in ipsis cutis evacuationes promoventia, & per sudores evacuantia. Tum comprobat ex na-

A turali, & assueta per cutem continua evacuatione, & quia per cutem se exonerat natura ab omni humorum coinquinamento, fomite, & fermento. Tum comprobat communis usus in febrium curatione, in quibus saltem utimur impropriis, & levioribus sudorificis, attrahendo ad cutem superfluos succos per frictiones, inunctiones, & cucurbitulas. Ergo quia sudorifica moventia ad cu-
B tem in febrium curatione, maximè sunt ex usu.

Probatur *secundò*. Sennertus, & citati cum illo à nobis, Horatius Augenius, Franciscus Areyes, Petrus Pena, Mathiolus, Lovel, Wecherius, Angelus Victorius, Riverius, Zacutus, in longis febribus admittunt sudorifica pro materiali causa, fomite, & coinquinamentis exterminandis: quod præcipuè observationibus confirmant Zacutus, & Riverius. Ergo saltem in iis sunt ex usu.

C Probatur *tertiò*. In chronicis febribus, propter improsperas coctiones, propter naturalem remissum calorem, propter defectum debiti exercitii, propter potus longiorem usum, propter attenuatos succos, propter eorum putrilagines, propter excrementitias sordes plurima resultant excrementa, ichores, & serosæ substantiæ, quæ superabundantes in toto, & venis majoribus, petunt trudi, & evacuari per cutem. Sed nullo alio auxilio præstantiùs id consequitur, quàm
D per sudorifica. Ergo sunt ex usu pro exterminandis febribus, quæ ex iis foventur. Patet minor, quia hæc regio est destinata à natura pro horum expulsione, & pro illis exterminandis assueta, ut cum Sanctorio probavimus.

§. IV.

Solvuntur rationes dubitandi primò adductæ.

Ad *primam* respondetur, quod ut patet ex observationibus Hippocratis,
E sudores qui proveniunt crudâ existente materiâ, sunt lethales, non qui promoventur illâ coctâ, & regulatâ, & pro exterminandis coinquinamentis, ex quibus posset foveri febris, vel supervenire recidiva: quæ nos exterminare tentamus per sudores.

Ad *secundam* respondetur, quod licèt sudorifica aliqua sint calidiora, & ut talia non indicentur per se à febre; benè tamen quæ sunt magis temperata indicantur

cantur à causa febris, & per illa ipsa remittitur, sicut per rhabarbarum calidum curatur febris, ablatâ causâ.

Ad *tertiam* respondetur, quod licèt chronicæ febres pendeant à crassis humoribus in principio, ipsi coctione elaborantur, & disponuntur, ut fiant apti, ut possint in declinatione exterminari à natura, simul coadjuvantibus sudorificis.

Ad *quartam* respondetur, quod in febribus malignis, variolis, & morbillis, solet natura expellere ad cutem; sed hæc evacuatio ut in plurimum est symptomatica in principiis morborum; & ante coctionem; & ideo non tentatur ab arte: si verò petat adjuvari, fit cum attemperatis sudorificis, quorum varias proposuimus sortes ex Hodego Medico.

Resolutio XVI.

Utrum prægnans correpta febre, si urgeat periculum ob cacochymiam, quolibet mense possit purgari.

§. I.

Pars negativa proponitur, aliquaque fundamenta pro illa proponuntur.

Communes aliquas purgandi difficultates discussimus, cum aliis conducentibus ad pharmacorum medicamentorum usum: ne tamen recedamus ex toto sine examine purgantium in fœminis, sive prægnantibus, sive enixis, superaddimus duas Resolutiones. *Prima*, an omni mense prægnans possit purgari, si exigat morbus pendens ex cacochymia? Averroës parti negativæ adhæret. *Primò* huic assensui videtur Hippocratem adhærere *lib. 4. aphor. 1.* inquit enim: *Prægnantes sunt medicanda, si materia turgeat, à quarto mense usque ad septimum.* Sed nulla major potest contingere necessitas purgandi, quàm in turgentia. Ergo si in illa solùm præscribitur purgandi tempus à quarto mense usque ad septimum, idem tenendum in quacumque alia purgandi urgentia.

Secundò: Averroës reprobat purgandi occasiones in prægnantibus; quia purgantia movent urinam, & commovent humores, faciunt eos impetu fluere in uterum, provocant menstrua, & consequenter sunt apta movere fœtum. Ergo nullo prægnantiæ tempore debent offerri. Patet antecedens in omni purgante pharmaco, & præcipuè in usitatis à veteribus.

Tertiò, ex Aristotele *sect. 1. problem.* purgantia pariunt perturbationem, abominationem, ingratitudinem, amarorem. Sed ex iis sequitur aborsus, ut docet Hippocrates *lib. 1. de morbis.* Ergo non admittenda pro febribus in prægnantibus ullo mense.

Quartò. Purgantia in prægnantibus præcipua magnam agitationem, & perturbationes excitant, magnas faciunt commotiones, nauseas, vomitus, dolores, cruciatus, quibus fœtus deperditur. Ergo ab iis, licèt aliunde sit indicata purgatio, omninò contraindicatur.

§. II.

Pars affirmativa sancitur, & fulcitur.

Resolvendum, quod in prægnantibus, si sit orgasmus, & imminens periculum vitæ, si non exerceetur indicata purgatio, in quolibet mense prægnantiæ debet illa exerceri. Sic sancivimus *tom. 1. p. 4. Resolut. Medic. disp. 2. resolut. 5. §. 3.* Adhæret mihi Scialoya *lib. 1. tract. 2. sect. 3. cap. 1.* & citati ab illo, Claudinus *in lib. resp. Medic.* Mercatus *tom. 3. de morb. mulier. cap. 2.* Sanctacruz *lib. 1. de impedim. magnor. auxil. cap. 23.*

Probatur *primò* ex Hippocrate *lib. 4. aphor. 1.* ubi si sit turgentia, aut orgasmus, imminensve periculum vitæ, nisi purgetur prægnans, docet quod à quarto usque ad septimum mensem debet purgari. *Prægnantes*, inquit, *sunt medicanda, si materia turgeat, à quarto mense usque ad septimum.* Sed idem periculum potest occurrere in reliquis mensibus, si sit orgasmus. Ergo ratione illius eadem est purgandi necessitas in quolibet mense, in quo fiat orgasmus.

Probatur *secundò* per omnes rationes, quas suprà adduximus ad probandum, quod prægnans sit phlebotomanda ex pede, quotiescumque cogat orgasmus, seu imminens periculum vitæ.

Probatur *tertiò*. Si quid obstaret purgationi in quovis tempore indicatæ ob orgasmum, maximè ob metum aborsus. Sed nullo tempore prægnantiæ obstat. Ergo in quovis debet exerceri. Probatur minor. Tum quia benigniora sunt purgantia nostri temporis, quàm veterum tempore; & tamen illi ob orgasmum permittebant illa. Tum quia experientiâ comprobarunt recentiores, prægnantes purgari sine aborsu. Tum quia si sit orgasmus, & vitæ periculum, quod nequit vitari sine purgatione, purgatio exhibenda,

benda, quia ut docet Galenus 12. *Method. cap.* 1. potiùs est eligenda noxa, quæ timetur, quàm mors certa quæ timetur. Tum quia licèt timeatur aborsus ex purgante pharmaco; tamen magis evidens timetur ex matris morte. Tum quia ex aborsu timetur una mors filii: ex morte matris, & fœtus, & matris mors. Ergo in quovis prægnantiæ mense exerceri debet purgatio.

§. III.

Solvuntur argumenta primò proposita.

AD *primum* respondetur, quod medicamenta purgantia, præcipuè vehementiora, quæ sola erant in usu tempore Hippocratis, erant apta ad causandum aborsum in quovis tempore prægnantiæ. Docere autem intendit Hippocrates, quibus mensibus magis nocere valeant, & quibus minùs; & dicit quod à quarto usque in septimum minus minantur periculum, & quod si turgeat materia, potiùs in illis, quàm in aliis purgandum; in aliis verò magis vereri oportet: sed si orgasmos, seu periculum vitæ imminet, nullo tempore potest Medicus, omni spe dempta, sinere prægnantem mori.

Ad *secundum* respondetur, quod Averroës *lib.*7.*collig.cap.*4. proponit rationes propter quas in purgatione prægnantium debet timeri aborsus, & quod sine magna necessitate, ob purgationis incommoda, non exhibeantur purgantia; non tamen illa prohibet, si sine illis vita matris, & fœtus nequeant servari.

Ad *tertium* respondetur, quod ex pharmacis, præcipuè benignioribus, non tanta experiuntur incommoda: & licèt appareant aliqua, Hippocrates tamen in orgasmo ad vitandum majus periculum, in aliquibus mensibus purgat, & nos in omnibus, ob similem rationem.

Ad *quartum*, idem patet, quod non experiamur pericula adhuc leviora sine urgentia: si autem urget necessitas, licet periclitari, ad servandam fœtus, & matris vitam.

RESOLUTIO XVII.

Utrum pro febre lethali curanda in puerperio, debeat exerceri indicata purgatio.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

PRovida natura, quantum est ex se, nec deficit in necessariis, nec redundat in superfluis: coaptat unicuique prò sui conservatione juxta proprios fines mensuram conservantium. Sic in hominibus, pro viris, & fœminis juxta illos coaptavit requisitam mensuram sanguinis unicuique, minorem in viris, propter proprium augmentum, & nutricatum; majorem in fœminis, pro sui & fœtus nutricatu, augmento, generatione, & alimonia procreat copiam, quæ ne in corpus superabundet, dum pro fœtu non deservit, per determinatos circuitus expellitur à natura: si verò pro fœtu retineatur, quæ usque ad partum non fuit ex usu, in partu, & post illum propellitur per aliquos dies, & sic profluentes humores dicuntur lochia, de quibus inquirimus, an si tempore quo petunt fluere, contingat febris in puerperis orta ex humorum cacochymia indicante purgationem, hæc sit exercenda.

§. II.

Pars negativà proponitur, & suadetur.

VIdetur, quod nunquam sit utilis purgatio in febribus, fluentibus lochiis.

Primò, quia Classici Medicinæ Authores renuunt admittere hoc remedium. Tum ex Hippocratis doctrina fulciti, 2. *aphor.* 35. dicentis: *In quovis morbo partes ad umbilicum, & ad infernum ventrem attinentes, crassiores esse præstat, harum siquidem extenuatio & tabes, mala. Sed ad inferiores quoque purgationes parum tutæ.* Ergo in morbis uteri damnantur. Et confirmat *lib.*3. *Epidem.ægroto* 11. *& lib. de rat. vict. in acutis*, aliisque in locis, in quibus venter calidiratè est intemperatus, qualiter in enixis est necesse. Tum Avicennæ *lib.* 3. *fen.* 21. *tract.*2. *cap.*3. adscribitur quod prohibet in enixis purgationem usque ad vigesimumquartum diem. Ergo in iis non debet exerceri purgatio.

Secundò: Purgatio lochiorum per uterum

rum est à natura destinata in illis pro eorum purgatione. Sed purgatio est evacuatio illi contraria. Ergo non debet tentari à Medicis.

Tertiò, per lochia fit purgatio sanguinis vitiati, & detenti toto tempore prægnantiæ. Sed à morbis ortis ex vitio sanguinis indicatur purgatio. Ergo & in lochiis fluentibus.

§. III.

Traditur occasio purgandi fluentibus lochiis.

RE solvendum, quod si febres in enixis pendeant ab humorum cacochymia in vasis majoribus, & sint lethales, & sine purgatione incurabiles, deveniendum ad illam. Sic tenent Valleriola *lib. 5. observat.* 10. Mercatus *lib. 4. de morb. mulier. cap.* 11. Cortesius *in miscellaneis, decad.* 10. Moxius & alii; qui in febre acuta lethali, quæ non pendet ab uteri inflammatione, aut humoribus in illo contentis; sed ab eis cacochymis in venis febrem foventibus, in enixis purgationem admittunt.

Probatur. Similis est ratio in morbo acuto lethali pendente ex cacochymia, ad purgandum, quàm ad sanguinem mittendum, si pendet ex sanguinis vitio. Sed ex Galeno, in febre acuta lethali pendente ex vitio sanguinis, si supervenit menstrua purgatio, & non satisfacit, supplet quod deficit sanguinis missione, dum inspectus fluentis sanguinis impetus non sufficit. Ergo si pendet ex cacochymia, & pro illa non satisfaciunt lochia, suppleri debent purgatione.

Probatur *secundò*. Febris magna, & lethalis, pendens ex humoribus cacochymis; lochiisve cacochymis fluentibus, indicat humorum, à quibus pendet, evacuationem; vel per lochia, si sufficiunt; vel per evacuationem indicatam ab iis humoribus. Sed nulla alia eorum indicata est evacuatio præter purgationem. Ergo per illam tentanda est evacuatio.

Probatur *tertiò* ab experientia, & observatione, quas deducit Cortesius ex Valleriola *lib. 5. observat.* 10: qui lochiis fluentibus enixam liberavit ab interitu per purgationem. Et Mercatus *lib. 4. de morb. mulier. cap.* 11. eruditè docet, quod si enixa corripitur morbo lethali pendente ex cacochymis humoribus, si non supplent lochia, purgatio tentanda erit; quia ob Medici timiditatem pereunt plures sic ægrotantes.

Probatur *quartò*. Si quid obstaret purgationi modo dicto indicatæ, lochiis fluentibus, maximè quia divertitur humorum purgatio à regione destinata pro illorum expurgatione à natura. Sed hoc non obstat, ut inquit Mercatus, si per uterum vacuatio facta non sufficit, aut non fit: tutius est enim breviter causam deponere, & morbi periculum vitare, quàm dempta spe salutis, quod esset melius, expectare.

§. IV.

Solvuntur argumenta primò proposita.

AD *primum* respondetur, quod licèt purgationes per ventrem inferiorem non sint omninò tutæ, ob rationes Hippocratis; si tamen illis omissis adest periculum mortis, ut in casu proposito, non sunt omittendæ, quia majus est periculum, quod timetur, quàm noxa quæ proponitur. Quod Hippocrates usus fuerit levioribus medicamentis, id nos docet, quod si ipsa sufficiant, & lochia supplent, non deveniamus ad purgationem.

Pro Galeni authoritate dicimus, quod prohibet purgationem ratione inflammationis: quod & nos fatemur observandum, nec pro febribus pendentibus ex uteri inflammatione esse locum purgationibus. Tum pro tertio, quod Avicenna pro consuetudine vulgari differt purgationem, vel docet non exercendam sine minante periculo: non verò negat in illo, quod non sit purgatio exercenda.

Ad *secundum* patet ex dictis; quod probat ratio, quod si sufficit evacuatio lochiorum, quod frustra alia tentaretur, præcipuè quæ nequit ita secura esse.

Ad *tertium* respondetur, quod si morbus pendet ex vitio sanguinis, lochiis retentis sanguis mittendus: si pendet ex cacochymis humoribus, est purgandum, & in enixis ferè omnes supervenientes febres fiunt ab humoribus cacochymis superabundantibus, quia ipsos ut ineptos pro nutricatu retinuit natura, utens præstantiori sanguinis portione pro fœtus & matris nutricatu.

SECTIO VII.

De Remediis pro accidentibus febrium humoralium.

FEBRES suos habent effectus, sicut & alii morbi, qui dicuntur symptomata, de quibus disputavimus Sectione prima, & determinavimus, quod hæc licèt ut symptomata non indicent curationem nisi per morbi, à quo pendent, ablationem: sunt tamen aliqua, quæ aut morbi, aut causæ morbi induunt rationem, quorum plura reperiuntur in febribus, & pro iis aliqua disputanda restant de remediis quæ pro illis solent adhiberi à Medicis, de quibus agendum restat in hac septima Sectione.

RESOLVTIO PRIMA.

Utrum in febrientibus possint dari aliqui morbi, aut accidentia supervenientia à causis supra naturam, aut extra naturam?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & afferuntur opiniones negantium.

OMnia quæcumque fiunt ab altera ex iis causis, supervenire debent vel à causa supra naturam, vel à causis extra naturam, vel à causis naturalibus. Est causa supra naturam, prima omnium rerum causa, ipse Deus, cujus potentia, & causalitas est supra omnia. Hanc investigavit Aristoteles *lib. 8. Physicorum*, & primam esse cognovit causarum, immotam manentem, reliquarum omnium principium. Sunt causæ ultra naturam, seu potiùs, ut tenet Fernelius, trans naturam, causæ quæ extra naturalem rerum sublunarium ordinem suas habent operationes, quales sunt causæ spirituales, Angeli, & dæmones, qui trans naturam in aliquibus agendis progrediuntur. Sunt causæ naturales quæ rerum naturalium operationes eliciunt, ordinatæ ad has conservandas, & ab Authore naturæ illis condonatas. Harum generationes & corruptiones sunt opus: ab iis in hominibus fit & conservatur sanitas, fiunt, & augentur morbi, & ea quæ præter naturam accidunt in homine. Fiunt consequenter morbi, fiunt febrium cau-

A sæ, & illarum accidentia ac symptomata: unde venit dubitandum, an sicut à causis naturalibus superveniunt hominibus morbi, & in illis varia symptomata: ita etiam possint morbi produci in hominibus à causis supra naturam, & trans naturam; & simul in ipsis febribus ab eis causis possint causari alii complicati morbi, aliáve accidentia præter ea, quæ ab ipsa febre & ab aliis causis naturalibus possunt contingere, quæ indigeant aliis remediis præter naturalia cognita pro
B illorum morborum, aut accidentium correctione.

Sunt quidam qui tenent, omnes morbos, morborumque accidentia causari à causis naturalibus, nullosque posse causari, nec à causa supra naturam, nec à causis trans naturam: qui ideo consequenter loquentes, negare tenentur quod cum febribus, aut alii complicentur morbi, aut alia fiant accidentia, nisi quæ fiunt ab ipsis febribus, aliisve naturalibus causis.

C Probatur prima pars, quod scilicet ab ipso Deo, causáve supra naturam, nequeant morbi, aut accidentia præter naturam communicari hominibus. Tum primò ex Hippocrate *lib. de morbo sacro*, qui arguens aliquos asserentes morbum sacrum à Deo causari, inquit: *Non ego existimo à Deo hominis corpus inquinari, impurissimum à purissimo.* Tum Epicurus tenuit, *Nullum malum à summo bono posse infligi.* Tum tertiò Seneca 4. *de benefi-*
D *ciis, cap. 10.* tenet furorem esse timere salutaria, nec quemquam à summo bono affligi. Ergo nec in febribus, nec extra illas à causa supra naturam possunt causari aut morbi, aut morborum accidentia.

Probatur secunda pars, quòd scilicet nec morbi, nec accidentia possint hominibus, nec in febribus communicari à dæmone. Primò, quia non est compertum, dari dæmones. Ergo nec quod possint morbos, aut accidentia in febribus causare; quia ab eo quod non est, nullæ
E sunt operationes. Probatur antecedens ex incertis ac contrariis opinionibus Philosophorum, præcipuè in Schola Platonicorum, in qua Apuleius, Porphyrius, Proclus, Plotinus, Jamblicus, Eusebius, Alcinous, Magnus Syrianus, & alii inter se dissentant, ut tenet Durastans. Inter hos verò Apuleius, dæmones tenet esse animalia. Proclus, dæmones affirmat esse Deorum servos. Jamblicus tenet, esse quædam media numinum genera.

genera. Tum Philosophi renuunt ex toto admittere dæmones; si enim sunt in rebus, sunt ens, aut substantia, aut accidens: si substantia, aut corporea, aut incorporea: si corporea, aut simplex, & sunt elementum; aut mixta, & sunt mineralia, vegetabilia, aut animalia, in quorum nulla specie adaptantur. Si admittatur spirituales substantias esse, nequeunt in nos agere, quia in corporeum incorporeum non agere potest, nec nos alterare, ut morbi inducantur; & omnis actio & passio fit per contactum: nec incorporeum & indivisibile potest corporeum attingere. Ergo nulla agendi in nostra corpora actio possibilis est in dæmonibus, etiamsi admittantur in rebus.

Tum *secundò*, licèt dentur dæmones, nulla est illis virtus inferendi morbos hominibus; quod patet à posteriori. Nam dæmon hostis humani generis, qui circuit terram quærens quem devoret, si haberet vires inducendi morbos, statim per totum orbem & pestes, & alios communicaret morbos, & cunctos interimeret homines: quod cum non aggrediatur, evidens indicium est, quod non sunt illi vires morbos, aut accidentia inferendi in hominibus.

Tum *tertiò*: Si quos valent dæmones causare morbos, maximè ex commercio cum sagis, aut veneficis hominibus, à quibus vim communicandi morbos veneficos recipiunt. Ergo quia ex seipsis, ut sunt causæ trans naturam, non habent vires ad illos causandos.

§. II.

Causa supra naturam, per se, aut per suos angelos valet morbos communicare.

Resolvendum *primò*, quod Deus per se, & per suos angelos valet morbos communicare hominibus, & simul in febribus alia accidentia, super ea, quæ proveniunt à febribus.

Probatur ex sacra Pagina, in qua per Legem, & per Prophetas apparet Deum minari transgressores legum, per hoc quod inflictis morbis eos punire minatur. In Deuteronomio, *cap.* 28. proponuntur Dei percussiones: *Percutiet te Dominus egestate, febre, & frigore, ardore, & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine: & persequetur, donec pereas.* Et *cap.* 22. sic: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas conglobabo in eis.* Præterea, quia *vita, & mors in manu est Domini.* Et Ecclesiasticus, *cap.* 11. sic ait: *Bona, & mala vita, & mors: paupertas, & honestas, à Deo sunt.* Amos *cap.* 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Tum per Prophetas idem minatur. Hieremias enim *cap.* 11. sic ait: *Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt.* Et *cap.* 32. dicitur: *Sicut adduxi super populum istum malum hoc grande, ita adducam super eos omne bonum.* Ergo cùm à causa supra naturam omne malum & bonum possit nobis communicari: ita & salus, & morbi, & accidentia superaddita in ipsis febribus induci poterunt.

Probatur pars secunda Resolutionis, quod scilicet causa supra naturam valet per suos ministros, & angelos morbos, & varia accidentia communicare hominibus. Nam *lib.* 2. *Reg. cap.* 24. constat à Deo per Angelum, peste communicata, mortuos fuisse centum supra octuaginta & quinque millia Assyriorum, ob blasphemias in Deum. Tum in Actis Apostolorum, *cap.* 12. dicitur: *Populus autem clamabat Dei voces, & non hominis: confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo; & consumptus à vermibus exspiravit.* Tum, post Christum Dominum, suorum persequutores narrant historiæ, à Dei ministris variis morbis, symptomatibus, & mortibus fuisse extinctos.

§. III.

Causæ extra naturam varios valent causare morbos, variaque superaddere accidentia in hominibus, & illorum morbis.

Resolvendum *secundò*, quod causæ extra naturam, seu dæmones, varios valent morbos inducere, & in ipsis morbis & febribus varia, ultra propria symptomata, ac diversa alia introducere. Sic tenet Codronchus *lib. de morbis veneficis*, comprobatque ex sacris Literis, & sanctæ Ecclesiæ decretis, & Conciliis, Juris Canonibus, Constitutionibus canonicis, ex sanctis Doctoribus, Theologis, & Summistis, ex Jure Cæsareo, ex Platone, Aristotele, ex Medicorum comprobatis doctrinis, & experientiis. Præcipuè tamen hanc sustinet doctrinam Torreblanca *de Iure Spirituali, lib.* 12. *cap.* 1. & citati ab illo.

Primò tenent ex Patribus Orthodoxis D. Augustinus *lib.* 2. *Doct. Christ. cap.* 19. & *lib.* 8. *civit. Dei, cap.* 19. D. Isidorus

lib.8. Etymolog. cap.9. D. Chrysostomus *lib. 8. de Fato, serm. 7.* & fatetur quod consentiunt Theologi, Jurisperiti, & Medici, quos citat & sequitur.

Probatur *primò* evidenter ex morbis quos referunt Evangelistæ, inductos fuisse à dæmone, & à Christo Domino curatos fuisse. Tum comprobatur ex variis modis, quibus dæmon utitur pro illis communicandis: tum per suos veneficos & magos, ut palam in historiis narratur, plurimos morbis à dæmone fuisse infectos. Sic Joannes XXII. Pontifex speculis & imaginibus communicatis obiit: & Ludovicus Hutinus Rex Galliæ, & Ruffus Rex Scotorum, & alii Principes. Tum dæmones morbos creant in hominibus per sordes in corpore immissas, ut refert Alpinus *in dæmoniorum investigatione*, qui multa ait vomitu ejici, ineptissima ut devorentur, ut sunt clavi ferrei, ossa, lapides, globi lanei, aut carbones, capilli conglobati, nitri frusta, acus cum cera, anguillæ, aliive pisces. Tum dæmones morbos causant commotis variis corporis humoribus, ex quorum commotione, aut decubitu in determinatas partes, morbos varios possunt inducere dæmones: & an ex pravis iis humoribus dæmon procreet varias, ac monstrosas rerum formas, an illas in somnis bibendas dederit, an eas variis illusionibus repræsentare coëgerit, inquirendum est.

Probatur *secundò*, quod in febribus similiter possit dæmon præter propria accidentia, alia superaddere, aliena ab ipsa febre. Nam sicut potest in sanis corporibus varios inducere morbos, & inaudita accidentia; valebit etiam in febribus supra propria accidentia, aliena alia procreare.

§. IV.

Per aliqua signa investigantur morbi, & accidentia à dæmone superaddita.

RESolvendum *tertiò*, quod aliqua signa, licèt abdita, præstant indicia morborum, qui proveniunt à dæmone. Sic tenent Martin. Delrio, Torreblanca, Sennertus, Codronchus & Vallesius.

Probatur. Tum ex Codroncho, qui *lib. de morbis venefic. 3. cap. 13.* licèt fateatur difficultatem cognoscendi hos morbos, plura tamen proponit indicia pro illis cognoscendis; & inter communiora refert, quod hos morbos patientes fiunt emaciati in toto corpore, & extenuati;

A patiuntur virium imbecillitatem cum languore, & mentis stupiditatem: varia deliria melancholica, variaque febrium genera, quæ à Medicis nondum percipiuntur, aut distinguuntur: patiuntur convulsivos motus, epilepsiam, membrorum rigiditatem, partium capitis tumores, corporis immobilitatem, flavum aut citrinum faciei colorem, palpebrarum adstrictionem: spectra illis se offerunt, ex quibus si aliqua appareant in febribus illis insuseta, conjectari

B oportet, quod possunt à causis extra naturam superaddi. Tum morbos foveri à dæmone demonstrat, quod patientes illos excutiantur per verba divina, Ecclesiæque auxilia; inquit enim Lactantius *lib. 5. cap. 22. Fugitant justos, & pavent, & cùm corpora hominum occupant, animasque divexant, adjurantur ab iis, & in nomine Dei veri fugantur, quo audito tremunt, & exclamant, & uri se, verberarique testantur: & interrogati qui sint, quando venerint, quomodo in hominem*

C *irrepserint, confitentur: sic extorti, & excruciati, virtute divini nominis exulant.* Ex quibus apparet alterum signum cognoscendi, an dæmon se immisceat in febribus, aut aliis morbis, & an alia ab illis insuseta introducat accidentia. Tum maleficio dæmonis superadditi morbi, & accidentia cognoscuntur, quia insuseta, & impropria sunt illis morbis, aut febribus, vehementiora, horribilia, quæ licèt lethalissima, ægrum non interimunt, sed ultra tempus durant; quæ omnia communia remedia, quæ aliis

D fuerunt præsidio, contemnunt, & cum quibus aliquam sacrorum irreverentiam ægri superaddunt, divinationes, aut dæmonum invocationes.

§. V.

Qualia pro iis possint prodesse remedia.

RESolvendum, quod in probabili suspicione morborum, aut accidentium, quæ superadduntur ultra vim febrium, sive à causa supra naturam, sive

E à causis extra naturam, principaliter ad Deum recurrendum.

Probatur. Nam si à Deo immediatè causentur supervenientia accidentia in febribus, nulla est potestas ultra illam, ad quam possimus recurrere: si verò ex ejus præcepto causentur ab Angelis, sine ejus præcepto nequeunt detineri: si à dæmone fiant, nequeunt ab ipso operari sine Dei permissu, quo cessante, dæmonum

monum opera necesse est destrui, ut in historia Job manifestè convincitur, & de se patet in suprema Dei potestate.

Probatur *secundò* ex auxiliis, quibus sancta Ecclesia pro iis depellendis morbis utitur, orationibus, deprecationibus, exorcismis, sancti Dei invocationibus, divinisque nominibus, in quibus mirifica est vis nos cum Deo conciliandi, morborumque omnium curationem ab eo consequendi: inquit enim Dionysius Areopagita *lib. de divinis nominibus. Tanta est divinorum verborum majestas, ut vel ipsi dæmones, ipsorum potestate fugentur illicò, succenseant, & contremiscant: in quibus contemplandis tantopere Theologi insudant, & nudati à cogitatione terrena, totis viribus innituntur; ut sanctissimorum decem Dei nominum alta mentis acie sensum dignoscant.* Ergo in Dei auxilio præcipuè insistendum.

Probatur *tertiò* in morbis non naturalibus, quorum alii pendent ab ipso Deo; alii à dæmone cum Dei permissu. Si à solo Deo possunt curari, ad ipsum recurrere est necesse: si pendent à dæmone, ex Dei permissu, recurrere ad dæmonem execrabile facinus est, & solum dignum eis, qui dæmoni se manciparunt. Ergo solùm restat, ut ad Deum recurramus, ut permissu ablato, simul dæmonis extinguatur potentia, quæ sine illo inepta est ad agendum.

Simul dum per se primò recurrimus ad Deum, remedia & intercessiones imploramus à Sanctis, & ab Ecclesia, ut suis intercessionibus, & deprecationibus gratiam inveniamus apud Deum; & simul pro oppugnandis morbis inductis à dæmone, utimur naturalibus remediis; quia sæpe dæmon per causas naturales nos afficit morbis, sæpe movendo humores, ad quos attemperandos, revellendos, derivandos, aut evacuandos naturalibus auxiliis venit utendum.

§. Ultimus.

Solvuntur fundamenta primò proposita.

AD rationes dubitandi respondetur, quod Deus morbos immittit per se, tanquam causa supra naturam, justus malorum vindex, per bonos Angelos ulciscentes divinum honorem læsum per causas extra naturam, dæmonesve permittens ut sua utantur tyrannide in impios, ad eorum correptionem. Nec summæ illius bonitati obstat, quod sit vin-

A dex illorum, quæ illi opponuntur: nec malum immittit ut malum est, sed ad vindictam sibi debitam.

Ad secundam partem dicimus, quod dæmones sunt spirituales creaturæ: sic & Angeli. Sed hoc non obstat, quin possint operari in hæc inferiora; sicut nec ipsi Deo omnium rerum purissimo. Tum nec obstat, dæmones ob inimicitiam cum genere humano, non illud destruere, etsi habeant vim morbos inferendi: non enim illam habent libe-
B ram, sed coarctatam, ita ut nequeant illam exercere sine Dei permissu, & solùm juxtà illius limitationem. Tum pro *tertio*, quod dæmon à se habet vim operandi à Deo permissum, ut operetur; & ut cum magis se accommodet ad agendum.

Resolutio Secunda.

Utrum in capitis dolore, vigiliis, & deliriis in febribus ortis à calidis humo-
C ribus, conferant in futuris repellentia, aut oxyrrhodina.

§. I.

Proponitur horum curatio, & repellentium usus.

CApitis dolor, vigilia, & delirium in febribus ab eisdem proveniunt causis; seu intemperiebus, & mutuò subsequi solent. Dolor capitis genericè cephalalgia dicitur: strictè hæc significat
D recentem dolorem capitis: cephalæa, inveteratum: hæmicrania, occupantem dimidiam capitis partem. In febribus præcipuè supervenit cephalalgia, quæ aut est interna, de qua loquimur; aut externa, & fit dolor aut pungitivus, aut tensivus, aut gravativus; aut pulsatorius, & aut intra cerebri meninges, aut externus, qui supervenit in pericranio, & relucet in pilorum radicibus: internus pervenit ad radices oculorum. De hoc agimus, qui provenit ex solutione con-
E tinui intra membranas. Si hæc fit ab acri humore, fit dolor pungitivus: si à crasso, gravativus: si à flatu, tensivus: si à sanguine, pulsativus. De gravativo, & pungitivo præcipuè agimus.

Vigilia supervenit in febribus sæpiùs post capitis dolores; aut cum illis ortis ex calidis humoribus, ex Avicenna *fen. 2. 1. doct. 2. cap. 13.* Corpus exsiccat, cerebri temperiem corrumpit, sensus debilitat, virtutem dejicit, desipientiam parit,

parit, causat cruditatem, impedit coctionem cibi, in febribus maximè nocet transiens in delirium. Pluribus utimur pro illa auxiliis, revulsoriis, derivatoriis, revellentibus, refrigerantibus, humectantibus, per nares, per palatum: præcipuè ad extra bregmati applicantur oxyrrhodina, humectantes, & refrigerantes decoctiones prosunt, unguenta, & lactis usus pro embrocatione. Vel

℞. opii g. vj. croci. g. v. castorei g. ij. cum succo hyoscyami fiat pilula. Vel laudani opiati g. iij. fiat pilula cum confectione hyacinthorum.

Delirium ex Galeno est pravus motus facultatis regentis. Dividitur in melancholiam, maniam, & phrenitidem. Phrenitis est inflammatio cerebri, & membranarum ejus cum delirio perpetuo, & febre acuta. Solet in febribus subsequi à capitis dolore, & vigiliis. Phrenitis aut est vera, nuper definitas aut spuria, paraphrenitis dicta. Curantur remediis similibus ac vigilia, & dolor capitis, revellentibus, derivantibus, resolventibus, clysteribus, phlebotomia: & ex topicis repellunt frontalia, & bregmati apposita oxyrrhodina, unguenta, lotiones, & linimenta frigida, de quibus dubitamus, an pro iis affectibus conferant in febribus.

§. II.

Communis opinio fulcitur Galeni authoritate.

PRo iis affectibus nullus recedit ab oxyrrhodinis. Mercatus aliqualiter videtur recedere: unus Galeanus palam recessit. Sed pro antiqua opinione stat Galenus *lib.* 13. *Methodi*, ubi pro frigidis, & pro calidis humoribus confluentibus in caput, admittit oxyrrhodinum, dicens: *Atque hoc quidem commune utrique vitio, & ei quod cum sopore, & ei quod cum vigiliis incidit: commune propterea utriusque est, ut oxyrrhodinum in principio admoveas. Nam repellendus à capite humor est, quisquis fuerit.* Ergo ex Galeni doctrina, in quovis affectu convenit oxyrrhodinum in capite pro ejus affectibus.

Secundò, stat pro usu oxyrrhodini in futuris communis consensus omnium Practicorum, qui tanquam indubitatum, in omni ætate hoc receperunt remedium pro iis affectibus in febribus.

Tertiò, ex Hippocrate, si humor vergit quò non oportet, præcipuè in partem principem, quale est cerebrum, docet quod illum oportet revellere, aut repellere à parte, in quam confluit. Ergo hoc præcipuè tentandum cum oxyrrhodino, humoribus in illud confluentibus.

§. III.

Qualis possit esse utilitas oxyrrhodini pro morbis capitis.

B RESolvendum *primò*, quod si cerebrum nuda intemperie laborat, qualiter præcipuè potest contingere in capitis dolore, vigilia, & delirio, oxyrrhodinum commissuris applicandum in febribus potest esse utile remedium pro iis corrigendis symptomatibus.

Probatur præcipuè de calida, febrilique intemperie cerebri, aut sicca, pro quibus oxyrrhodina, lotiones, embrocationes infrigidantium & humectantium prosunt. Ergo tanquam remedium pro iis symptomatibus simili ratione erit C oxyrrhodinum, dum non sit contraindicatum ab humore contento.

Probatur *secundò*: Si quid obstaret in febribus applicationi oxyrrhodini, & attemperantium in futuris pro calidis, & siccis intemperiebus nudis, maximè ob incommoda, quæ proponemus infra pro horum applicatione, dum est materiæ confluxus. Sed sine illo nulla subsequuntur, ut de se patet. Ergo sine illo utendum oxyrrhodino, & aliis attempe- D rantibus.

§. IV.

In cerebri intemperie cum affluxu materiæ, obstat usus oxyrrhodini in futuris.

RESolvendum *secundò*, quod si in febribus superveniant symptomata suprà posita ab intemperie interna cum affluxu materiæ, oxyrrhodinum, & frigida, ac repercussiva auxilia non debent E applicari commissuris, sive febres sint putridæ, sive simul malignæ.

Probatur *primò*. Oxyrrhodinum, & reliqua repellentia, sunt medicamenta, sive frigida & sicca, sive frigida, & humida; & habent vim cutem densandi, transmutandi calidam intemperiem in frigidam, constringendi meatus, incrassandi humores, noxiam materiam retinendi, & inculcandi, intus immittendi intra inferiores partes. Sed hæc omnia ab oxyrrhodinis commissuris applicatis

catis periculum minantur, dum intra A cranium est intemperies cum affluxu materiæ. Ergo hujusmodi repellentia sunt vitanda. Probatur minor. Tum ex Mercato *cap. de apoplexia*, quæ si pendet ex sanguine, hæc prævidens, inquit: *Caveas ne repellentia adhibeas, quia venæ interiores maximè turgent plenitudine, quam longè pressiorem, ac fixam efficies.* Tum, natura per se intendit movere humores noxios à partibus nobilioribus in partes externas, & ignobiles. Sed repellentia commissuris applicata, movent B ab externis ignobilioribus partibus in internas, & principes cerebri partes. Ergo cum manifesto periculo. Tum si aliqua sit via ad materiam intra cranium contentam evacuandam, sunt commissuræ. Sed hæ oxyrrhodino occluduntur. Ergo impeditur curatio. Tum humores contenti intra cranium, ab oxyrrhodino densantur. Sed sic impediuntur, ut resolvantur. Ergo omni ex parte ab illis impeditur curatio.

Probatur *secundò*. Mercatus *lib. 1. Praxis, cap. de phrenitide*, inquit cavendum esse à repellentibus, quia ob repellentium frigiditatem fit transitus in lethargum, dum impensè refrigerant, & densant. C Sed in transitu phrenitidis in lethargum, ob extinctum calorem naturalem, demonstrat experientia continuò mortem subsequi. Ergo vitandus oxyrrhodini usus in casu posito.

Probatur *tertiò*. Similis est ratio ad vitandum oxyrrhodinum in pleuritide, D & auris inflammatione, ac in phrenitide, cùm in quovis horum timeatur retrocessus. Sed in illis, ut tenet Galenus, admittunt Massarias, & alii, non esse utendum oxyrrhodino. Ergo nec in phrenitide, & aliis cerebri inflammatoriis affectibus. Patet minor ex doctrina Galeni adducta à Massaria *cap. de pleurit. 17.* ibi: *In pleuritide non conveniunt medicamenta repellentia, propterea quod talia medicamenta humores inflammationem efficientes in pulmones, & cor* E *nonnunquam repellunt: immò verò tantùm abest, ut repellendum sit, ut potiùs foras trahere oporteat: ad quem modum paulò post Hippocrates statim in principio calidissimis medicamentis utitur.* Ergo opinantes idem debent fateri de oxyrrhodino in futuris capitis.

Probatur *quartò*, præcipuè si hæc symptomata proveniant ex materia maligna, maximum subsequitur periculum, ex ejus retentione per repellentia. Ergo præcipuè in malignis febribus vitari debent pro iis affectibus in commissuris. Probatur antecedens ex Galenò *lib. 14. Methodi*, dicente: *Ubi quod influit, est venenosum, ut in carbunculo, & cancro, potiùs scarificamus, & attrahimus, quàm repellimus, ne nobilem partem errabundus humor invadat.* Ergo similiter dum invadit caput, timendum est, ne oxyrrhodino fiat impactus.

Probatur *quintò*. Materia contenta intra cerebrum aut meninges, quæ in febribus causat phrenitidem, & harum partium inflammationem per moram in illis partibus ipsas, valet intemperare, dum viget inflammatio, ipsasve inflammare, si abeat in pus. Sed per nullam aliam viam potest evacuari, quàm per commissuras, quas natura formavit ad expurgationem excrementorum contentorum in cerebro. Ergo si impediatur humorum evacuatio à cerebro per oxyrrhodinum, necessariò timendum vitæ periculum.

§. V.

Solvuntur argumenta primò proposita.

AD *primum* respondetur, quod in symptomatibus positis considerandum primùm tempus à quo in febre intemperatur cerebrum, aut illius membranæ. Sine affluxu materiæ in hoc, admittit Galenus, quod convenit oxyrrhodinum, quod nos fatemur; sola enim est indicatio attemperandi, nec est materia evacuanda, à qua impediatur.

Ad *secundum* respondetur, quod approbamus usum oxyrrhodini in nuda intemperie; non verò si sit contraindicatum ob humorem contentum, qui petit sui evacuationem.

Ad *tertium* respondetur, quod revulsiones conveniunt in morbis capitis, si non sequantur commoda proposita; non verò dum per illas non solùm impeditur humorum contentorum evacuatio, sed potiùs ob comprehensionem partium continentium, humores comprimuntur in partes affectas.

RESOLVTIO III.

Utrum omnes sanguinis, aut humorum transmissiones intra corpus, sint symptomaticæ.

§. I.

Quid sit sanguinis transmissio in corpore, & quotuplex.

Transfusio sanguinis, aut humorum in corpore, est illorum transmutatio ab uno in aliud vas, aut locum. Transfusio est triplex, alia artificialis, alia naturalis, alia symptomatica. Transfusio sanguinis artificialis est transfusio sanguinis ab uno individuo in aliud per venarum apertionem, facta ab artifice, sub prætextu sanitatis. De hac egimus *tom.* 3. §. 39. ab innovatoribus nostra ætate, sive inventa, sive suscitata. Medeam, celebrem olim maleficam, apparet huic transfusioni aditum dedisse, de qua Ovidius:

Stringite, ait, ferrum, veteremque haurite cruorem.

Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.

Sed temporis progressu non omninò oblita fuit hæc transfusio sanguinis, sed pervenit ad Libavium, qui de illa inquit: *Ille verò noster, quo quaso remedio putabat, se ista instrumenta consequi posse? Adsit juvenis robustus, sanus, sanguine spirituoso plenus. Adstet exhaustus viribus, tenuis, macilentus, vix animam trahens. Magister artis habeat tubulos argenteos inter se congruentes. Aperiat arteriam robusti, & tubulum inferat, muniatque mox; & ægroti arteriam findat, & tubulum fœmineum infigat. Iam duos tubulos sibi mutuò applicet, & ex sano sanguis arterialis calens & spirituosus saliet in ægrotum, unàque vita fontem afferet, omnemque languorem pellet. Sed quomodo ille robustus non languescet? Danda ei sunt bona confortantia, & cibi: Medico verò helleborum.* Licèt hoc proferat Libavius de Medicis, qui hac utuntur impostura; non defuerunt tamen impostores, qui nostris temporibus illam suscitarunt, & in usum pro febribus curandis, & viribus instaurandis vendunt.

Secunda sanguinis transmissio naturalis, est continua transfusio sanguinis in arterias à venis, & spirituum vitalium ab arteriis in venas, à natura facta, ob sanguinis circulationem, & alios fi- A nes. Est verò sanguinis circulatio, ut tenet Higmorus *lib.* 2. *Anatomiæ*, *p.* 2. *cap.* 5. motus in sanguine, quo postquàm sinus cordis est ingressus, ultimamque in illis coctionem subiverit, per aortam in minores arterias, atque hinc in cavam per anastomoses, quibus cum venis conjunguntur, inde in venas primò minores, exinde in cavam, & ab hac in auriculam dextram cordis, quæ janitoris officium præstat, & dextrum cordis ventriculum B admittitur: unde impulsu cordis sese contrahentis, in arteriam pulmonariam, seu venam arteriosam propellitur, ubi variis mæandris per pulmonis substantiam discurrens, in venas pulmonis per anastomoses cum arteriarum ramulis unitas descendens, per venam pulmonariam, seu arteriam venosam in sinistrum cordis talamum rursus deducitur, à quo in aortam rursus, ultimis, summisque donatum ornatibus, & spiritibus C impregnatum, in alimentum singulis particulis aptum dispensatur. Si quas verò, dum præterlabitur, cognatas particulas singulæ partes pro nutritione eliciunt, quod reliquum est, venis remandatur, unde rursùs ad cor, fontem caloris, ut renovetur, impellitur.

Tertia sanguinis transmissio symptomatica, præcipuè in febribus supervenìens, est in qua fit humorum transfusio à natura propellente in solutionem, aut perniciem morbi: de qua inquit Hippocrates 1. *Epidem. sect.* 3. supervenire, D *Qua, ex quibus, in quos:* idest varias morborum terminationes, & eventus. Sic morbi ex transfusione supervenientes, viribus collapsis mortem causant: sed per alios morbos contingit eam terminari in salutem. Sic fistulæ aliorum morborum sunt medela: & dysenteriam mutatam in stranguriam vidit Hippocrates, & ab hac humorum transfusione subsequi salutem. Superveniunt morbi in transfusione humorum à morbis, alii per metaptosin, alii per epigenesin. Metaptosis est permutatio unius ad alterum, abE eunte priori. Epigenesis est transmissio humorum in aliquo morbo, in qua primo morbo manente, alter simul supervenit.

§. II.

Apparet, quod omnis sanguinis transmissio sit utilis.

Videtur quod omnis transmissio sanguinis sit utilis pro febrium curatione. *Primò* id patet in transmissione ab Arte,

Arte, quæ fit ab uno inuividuo in alterum. Nam febris, præcipuè putrida, provenit ex vitio humorum, ex illorum putredine ob cacochymam eorum naturam, pravumve modum substantiæ, quæ petunt corrigi per acquisitionem humorum, qui debitum habeant substantiæ modum, debitam ac naturalem temperiem, commixtosque naturales spiritus. Sed hæc omnia consequuntur per sanguinis perfecti, & naturalis transmissionem à sano homine in febrientem. Ergo hæc transmutatio est utilis, & nun symptomatica pro febrium curatione.

Secundò: Transfusio sanguinis per circulationem non est possibilis. Ergo nec utilis. Probatur minor à juniori, quia facultas attrahens cordis, sicut & reliquæ aliarum partium, solùm attrahunt sibi necessarium pro sui nutritione. Ergo cordis facultas nullum attrahit sanguinem ultra sibi necessarium.

Tertiò: Transfusio sanguinis, aut humorum in febribus, transmittit, illos à parte, in qua febrem fovent, aut alios procreant morbos. Ergo hæc transfusio potiùs est remedium, quàm symptoma.

§. III.

Artificiosa sanguinis transfusio inutile est figmentum.

Resolvendum, quod sanguinis transfusio ab uno individuo in aliud, impostorum est figmentum, aut veneficorum inventum. Sic probavimus *tom. 3. prompt. ult. §. 39.* & de admittentibus has imposturas, rectè determinat Libavius indigere helleboro.

Probavimus. Tum *primò*, quia non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato: & ideo in quolibet individuo, ut fiat chylus, coaptatur utile alimentum, & in jecore pro debito sanguine generando, debitus à suo individuo requiritur elaboratus chylus. Sic in jecore illius individui, si sanguis non fiat debitus illi, partes non nutriuntur debitè, ut in hydropicis: nec senis sanguis rectè nutriret infantem: nec sanguis matris improportionatus filio, utcumque similis, illum nutrit, nec auget: nec sanguis sanguinei coaptatur pro nutritione melancholici, aut cholerici. Ergo sanguis alterius individui pro altero nutriendo, utcumque transmittatur, semper alienum alimentum est, extraneum, & incapax assimilationis.

A Tum etiamsi fuisset unius animalis sanguis, aut individui pro alio nutriendo utilis sine propria elaboratione in officinis individui nutriendi, adhuc est impossibilis applicatio sanguinis, qui transferri conatur in omnes partes individui nutriendi: nam nec impetus qui immittitur, pervenit ad omnes partes; nec facultas attrahens individui, quæ est in distantioribus corporis partibus, imprimit impulsum, nisi circa partes vicinas aptas commoveri: nec expultrix

B brachii, aut reliquarum partium, expelleret quod illis utile supponitur. Ergo fictitia est hæc transfusio sanguinis pro nutritione in febribus.

Tertiò: Si possibilis esset per artem transfusio sanguinis ab alio individuo, per juvenilem repositionem partium ex sanguine juvenis, & per repositionem vitalium spirituum homo retrotraheretur in ætates prægressas, & fieret immortalis, & aliæ subsequerentur fabulosæ

C promissiones impostorum hujus assertionis. Sed hæ omnes sunt imposturæ deperditorum nebulonum, impostorum, & veneficorum, qui dæmoni traditi conantur effusionem humani sanguinis. Ergo ut tales sunt rejiciendæ, & fugiendæ.

§. IV.

Transfusio naturalis sanguinis omninò inevitabilis, & utilis.

D Resolvendum *secundò*, quod transfusio naturalis sanguinis, & illius circulatio, inevitabilis est pro vitæ conservatione. Sic sancivimus alibi, & demonstrant cum Harvæo omnes prudentiores nostræ ætatis.

Probatur: Tum ex inevitabili sanguinis circulatione, quæ demonstratur per communes rationes Classicorum Auctorum, ex quibus convincitur communis, ac necessaria sanguinis transfusio à venis in arterias, & ab arteriis in venas.

E Tum à posteriori necessaria convincitur hæc naturalis, & inevitabilis transfusio per omne vitæ tempus. Nam per totum vitæ decursum, si vena, sive arteria scindatur, per illius foramen evacuatur omnis sanguis qui in toto corpore continetur, sive in venis, sive in arteriis: quod esset impossibile, nisi in toto vitæ decursu esset inevitabilis, & continua transfusio à venis in arterias, & ab arteriis in venas. Ergo hæc transfusio naturalis, utilis & inevitabilis est.

§. V.

Transfusio humorum in febribus est symptomatica.

RESolvendum *tertiò*, quod transfusio humorum in varias partes, proveniens ex vitio humorum, in febribus, aut aliis morbis est symptomatica.

Probatur: Tum quia hæc transfusio alia est metaptosis, quæ est transfusio, in qua unus morbus mutatur in alium, priori desinente: alia est epigenesis, in qua, permanente morbo primo, supervenit alter. De metaptosi inquit Galenus 7. *aphor.* 11. *Quod transmutatur morbus, quando priore cessante, advenit alter.* Epigenesis magis timetur, quia alteri alterum supervenit. Tum patet apud juniores ex variis differentiis transfusionum humorum, quæ fiunt in morbis. Si enim fit metaptosis, quandoque, licèt ratione morbi fiat, evadit salubris, sæpe periculosa, aliàs verò indifferens, & variis supervenit modis. In epigenesi fit transitus in alium morbum ejusdem speciei, ut contingit in erysipelate faciei, quod solet simul mutari in brachii, aut ventris erysipelas. Vel transit epigenesis in morbum alterius speciei, ut à febre tertiana in quartanam. Vel fit transitus ad morbum genere diversum, ut à febre in bubonem: inquit enim Hippocrates 5. *aphor.* 55. *Ex bubone febres omnes ortæ malæ, præter ephemeram.* Sic à melancholia fit transitus in epilepsiam. In epigenesi fit etiam propagatio ad morbos ejusdem speciei, ut ab sputo sanguinis ad sputum puris, ex Hippocrate 7. *aphor.* 15. *A sanguinis sputo puris sputum.* Vel transit per epigenesin morbus in symptomata diversarum specierum, ut in actionem læsam, & qualitatem mutatam; inquit enim Hippocrates 7. *aphorism.* 26. *In forti dolore ventris, frigiditas extremorum mala.* Vel epigenesis symptoma mutatur in morbum, ut diarrhœa in febrem: sic læsa actio coquendi, in hydropen; sic & dejectiones sinceræ intestinorum abeunt in ulcus. Epigenesis morbus transit etiam in symptoma, ut febris ardens in sitim. De Philisco inquit Hippocrates 3. *Epid. ægroto* 1. quod *fuit ardente correptus, tertia die abiit in febrem.* Tum similes transitus per metaptosin fieri in varias transmissiones symptomaticas, testantur juniores. *Prima* fit per eundem humorem, qui ob mutata accidentia varios creat mor- A bos. Sic sanguis transmissus ad cerebrum, splendens causat risum, nigrescens mœrorem. Hippocrates 3. *Epidem. ægrot.* 15. inquit, *quod Dealcis uxor & ridebat, & paulò post plorabat.* Secunda fit quando duo humores translati in eundem locum faciunt contrarios affectus, ut pituita & bilis in cerebro & somnum & vigiliam in typhomania efficiunt. Sic Galenus 1. *prorrhet. sect.* 1. varios simul refert affectus, dum inquit: *Audacissimi interdum, tempore aliquo visi* B *desipientes, post timidi, & perterriti videntur.* Tertiò fit transmissio diversorum humorum in diversas partes, & modò in una fit morbus, modò in alia. Sic uxor Dealcis aliquando tacebat, aliquando delirabat penes diversas cerebri partes alterata. *Quartò*, à majore, aut minore transmissi humoris intensione fit aliquis affectus, aut remittitur. Sic fit simplex delirium in cerebro ex levi intemperie calida: si intensior fit, fit phrenitis. *Quintò*, dum ex transmisso humore non sentitur C morbus, quia facultas extinguitur. Ideò Hippocrates 1. *prorrhet. sect.* 2. *text.* 22. inquit: *Sitis quæ non ex ratione in acutis morbis solvitur, mala est.* Sextò ex malignitate fit celeris metastasis in contrarios affectus; ideo Hippocrates ait: *Summæ corporis partes, si celeriter in utramque conditionem permutantur, malum.* Galenus 1. *prorrhet. sect.* 2. inquit: *In summè malignis permutatio istorum horâ unâ ad contraria efficitur, interdum quidem, ut tanquam hieme, frigescant, interdum verò, tanquam æstate,* D *calescant.* Septimò, transfusio fit ob humoris conditionem irrequietam, ut in turgentia. *Octavò*, dum causa, licèt non turgeat, sua tamen stabilitate movetur, & firmatur in parte, ait Galenus 1. *prorrh. sect.* 2. *comm.* 17. *Cùm affectio fit, & nondum facta est, breviter separatâ, efficiente ipsam causâ, sedatur.* Nonò transfusio humorum fit propter naturæ conatum, & contentionem cum materia morbifica; & si non expellitur, recedit ab aliquibus partibus, ad quas ab aliis ite- E rum refluit, & interimit, ut apparet in aliquibus propè mortem, qui meliùs se habere apparent, & paulò post in interitum abeunt. Ergo omnes hæ metastases symptomaticæ dicendæ, quia vel à morbo, vel ab ejus causa, vel à natura irritata proveniunt.

Tum transfusiones quæ fiunt in morbis symptomaticæ modo dicto, aliæ fiunt per manifestas vias, aliæ per vias occultas:

cultas: sed omnes inusitatæ sunt, & non firmatæ à natura pro statu naturali, sicut quas diximus esse à natura inevitabiliter pro sanitate & vita simul conservandis, ut transfusio à venis in arterias, & econtrà. Ergo hæ omnes symptomaticæ sunt. Probatur antecedens, præcipuè de iis quæ fiunt per occultas vias, quæ semper in morbis contingunt: docuit enim Hippocrates *in lib. Epidem.* quod fiunt sæpe & per nervos, & per ossa. Sed de occultis viis transmissionis humorum, *6. Epidem. sect. 5. text. 28.* inquit: *Natura ipsa, sibi per se, non ex consilio, motiones ad actiones obeundas invenit, partim quidem, ut nictare; partim verò etiam, quibus lingua subservit, & quæcumque alia id genus, à nullo quidem edocta natura, citraque disciplinam, ea quæ conveniunt efficit.* Galenus 1. *de usu part. cap. 3. & lib. 15. cap. 7.* latiùs hæc prosequitur. Ex quibus constat, quod natura est morborum medicatrix; immò extra morbos pro nutricatu, & conservatione occultas efficit operationes, & per occultos movet ductus; quia ut tenet Hippocrates *lib. de locis in homine: Corpus porrò ipsum, idem, ac simile est, & ex eisdem compositum.*

§. VI.

Respondetur pro argumentis primò positis.

Ad *primum* respondetur, quod sanguinis transfusio artificialis ab uno individuo in aliud, sive sit diversæ speciei, sive ejusdem, est merum figmentum nebulonum, qui ob proprium lucrum conantur suadere, sanguinem recipi, & esse utile pro nutritione, & curatione aliquorum: quod impugnatum manet. Nam nec recipitur pro necessitate, nec receptus sanguis potest impartiri per omnes corporis partes, nec impartitus valet nutriri pro alio individuo, nisi in propriis ejus officinis patiatur debitas alterationes, & coctiones: nec sine iis appropriatis, & individualibus potest adaptari debita assimilatio pro nutritione, ut apparet in sanguine adhuc ejusdem individui, à quo non fit nutritio, si non concoctus ab illo permanet, ut in hydrope, & cachexia manifestatur.

Ad *secundum* respondetur, quod transfusio inevitabilis sanguinis, quæ continuò fit à venis in arterias, & ab arteriis in venas, fuit à natura determinata ob necessariam circulationem sanguinis, ob requisitam commixtionem sanguinis, & spirituum, & ob varios alios usus, sine quibus nec debitus calor coaptaretur partibus, nec requisita dispositio pro repositione alimenti.

Ad *tertium* respondetur, quod transfusiones humorum, quæ fiunt in morbis, omnes sunt symptomaticæ, quia ut diximus, vel proveniunt à morbo; vel ab ejus causa morbifica, vel à natura ab illa lacessita: præcipuè periculosior est in epigenesi, in qua supervenit novus morbus.

Resolutio IV.

Utrum in febrium convulsionibus, & elevatis vaporibus in caput conferant pulli columbini in pedibus.

§. I.

Proponitur difficultas, & pars negativa.

Tectum corporis est caput, in quod fumositates, sive vapores, & exhalationes partium inferiorum ascendunt; præcipuè in febribus, & maximè in malignis; & acres vapores, & maligni caput infestare solent acrimoniâ, mordacitate, malignitate, à quibus præter alia accidentia, convulsivi solent excitari motus, pro quibus, & aliis affectibus ex elevatis vaporibus ortis, inquirimus an præter alia remedia revellentia, clysteres, cucurbitulas, frictiones; & præter julepos, cordialia, & pulveres de guttete, prosint maximè revellentia, quæ tentantur per pullos columbinos dissectos, & plantis pedum applicatos.

Pulli columbini duplicem præstant utilitatem pro febrium curatione, & prout sunt alimentum aptum vires instaurare, & prout sunt medicamentum, quod applicatum pedibus, valeat revellere humores, aut halitus, seu vapores, qui elevantur in caput. De illis, ut alimentum sunt, an utiles sint, egit Zacutus *tom. 1. lib. 2. dubio 32.* Laudant eos Paulus, Rhasis, Arnoldus, & alii juniores: damnant verò illorum alimentum; quia melancholicum præstant succum, Arabes, Avicenna, Averroës, Isaac, Mesuë, Avenzoar, & alii Juniores. Costæus conciliat hos difformiter opinantes *3. de aliment. facult. cap. 19.* dicens: *Pulli columbini calidi sunt, & complexione humidi; quamobrem grossum dant alimentum, quod testatur gravitas ad*

§. V.

Transfusio humorum in febribus est symptomatica.

RESolvendum *tertiò*, quod transfusio humorum in varias partes, proveniens ex vitio humorum, in febribus, aut aliis morbis est symptomatica.

Probatur: Tum quia hæc transfusio alia est metaptosis, quæ est transfusio, in qua unus morbus mutatur in alium, priori desinente: alia est epigenesis, in qua, permanente morbo primo, supervenit alter. De metaptosi inquit Galenus 7. *aphor.* 11. *Quod transmutatur morbus, quando priore cessante, advenit alter.* Epigenesis magis timetur, quia alteri alterum supervenit. Tum patet apud juniores ex variis differentiis transfusionum humorum, quæ fiunt in morbis. Si enim fit metaptosis, quandoque, licèt ratione morbi fiat, evadit salubris, sæpe periculosa, aliàs verò indifferens, & variis supervenit modis. In epigenesi fit transitus in alium morbum ejusdem speciei, ut contingit in erysipelate faciei, quod solet simul mutari in brachiis, aut ventris erysipelas. Vel transit epigenesis in morbum alterius speciei, ut à febre tertiana in quartanam. Vel fit transitus ad morbum genere diversum, ut à febre in bubonem: inquit enim Hippocrates 5. *aphor.* 55. *Ex bubone febres omnes ortæ malæ, præter ephemeram.* Sic à melancholia fit transitus in epilepsiam. In epigenesi fit etiam propagatio ad morbos ejusdem speciei, ut ab sputo sanguinis ad sputum puris, ex Hippocrate 7. *aphor.* 15. *A sanguinis sputo puris sputum.* Vel transit per epigenesin morbus in symptomata diversarum specierum, ut in actionem læsam, & qualitatem mutatam; inquit enim Hippocrates 7. *aphorism.* 26. *In forti dolore ventris, frigiditas extremorum mala.* Vel epigenesis symptoma mutatur in morbum, ut diarrhœa in febrem: sic læsa actio coquendi, in hydropen: sic & dejectiones sinceræ intestinorum abeunt in ulcus. Epigenesis morbus transit etiam in symptoma, ut febris ardens in sitim. De Philisco inquit Hippocrates 3. *Epid. ægroto* 1. quod *siti ardente correptus, tertia die abiit in febrem.* Tum similes transitus per metaptosin fieri in varias transmissiones symptomaticas, testantur juniores. *Prima* fit per eundem humorem, qui ob mutata accidentia varios creat mor-A bos. Sic sanguis transmissus ad cerebrum, splendens causat risum, nigrescens mœrorem. Hippocrates 3. *Epidem. ægrot.* 15. inquit, *quod Dealcis uxor & ridebat, & paulò post plorabat.* Secunda fit quando duo humores translati in eundem locum faciunt contrarios affectus, ut pituita & bilis in cerebro & somnum & vigiliam in typhomania efficiunt. Sic Galenus 1. *prorrhet. sect.* 1. varios simul refert affectus, dum inquit: *Audacissimi interdum, tempore aliquo visi desi-B pientes, pòst timidi, & perterriti videntur.* Tertiò fit transmissio diversorum humorum in diversas partes, & modò in una fit morbus, modò in alia. Sic uxor Dealcis aliquando tacebat, aliquando delirabat penes diversas cerebri partes alterata. *Quartò*, à majore, aut minore transmissi humoris intensione fit aliquis affectus, aut remittitur. Sic fit simplex delirium in cerebro ex levi intemperie calida: si intensior fit, fit phrenitis. *Quintò*, dum ex transmisso humore non sentitur C morbus, quia facultas extinguitur. Ideò Hippocrates 1. *prorrhet. sect.* 2. *text.* 22. inquit: *Sitis quæ non ex ratione in acutis morbis solvitur, mala est.* Sextò ex malignitate fit celeris metastasis in contrarios affectus; ideo Hippocrates ait: *Summa corporis partes, si celeriter in utramque conditionem permutantur, malum.* Galenus 1. *prorrhet. sect.* 2. inquit: *In summè malignis permutatio istorum horâ unâ ad contraria efficitur, interdum quidem, ut tanquam hieme, frigescant; interdum verò, tanquam æstate, calesc-D cant.* Septimò, transfusio fit ob humoris conditionem irrequietam, ut in turgentia. *Octavò*, dum causa, licèt non turgear, sua tamen stabilitate movetur, & firmatur in parte, ait Galenus 1. *prorrh. sect.* 2. *comm.* 17. *Cùm affectio fit, & nondum facta est, breviter separatâ, efficiente ipsam causâ, sedatur.* Nonò transfusio humorum fit propter naturæ conatum, & contentionem cum materia morbifica; & si non expellitur, recedit ab aliquibus partibus, ad quas ab aliis ite-E rum refluit, & interimit, ut apparet in aliquibus propè mortem, qui meliùs se habere apparent, & paulò post in interitum abeunt. Ergo omnes hæ metastases symptomaticæ dicendæ, quia vel à morbo, vel ab ejus causa, vel à natura irritata proveniunt.

Tum transfusiones quæ fiunt in morbis symptomaticæ modo dicto, aliæ fiunt per manifestas vias, aliæ per vias occultas:

cultas: sed omnes insitatæ sunt, & non firmatæ à natura pro statu naturali, sicut quas diximus esse à natura inevitabiliter pro sanitate & vita simul conservandis, ut transfusio à venis in arterias, & econtrà. Ergo hæ omnes symptomaticæ sunt. Probatur antecedens, præcipuè de iis quæ fiunt per occultas vias, quæ semper in morbis contingunt: docuit enim Hippocrates *in lib. Epidem.* quod fiunt sæpe & per nervos, & per ossa. Sed de occultis viis transmissionis humorum, *6. Epidem. sect. 5. text. 28.* inquit: *Natura ipsa, sibi per se, non ex consilio, motiones ad actiones obeundas invenit, partim quidem, ut nictare; partim verò etiam, quibus lingua subservit, & quæcumque alia id genus, nullo quidem edocta natura, citraque disciplinam, ea quæ conveniunt efficit.* Galenus 1. *de usu part. cap. 3. & lib. 15. cap. 7.* latiùs hæc prosequitur. Ex quibus constat, quod natura est morborum medicatrix; immò extra morbos pro nutricatu, & conservatione occultas efficit operationes, & per occultos movet ductus; quia ut tenet Hippocrates *lib. de locis in homine: Corpus porrò ipsum, idem, ac simile est, & ex eisdem compositum.*

§. VI.

Respondetur pro argumentis primò positis.

AD *primum* respondetur, quod sanguinis transfusio artificialis ab uno individuo in aliud, sive sit diversæ speciei, sive ejusdem, est merum figmentum nebulonum, qui ob proprium lucrum conantur suadere, sanguinem recipi, & esse utile pro nutritione, & curatione aliquorum: quod impugnatum manet. Nam nec recipitur pro necessitate, nec receptus sanguis potest impartiri per omnes corporis partes, nec impartitus valet nutriri pro alio individuo, nisi in propriis ejus officinis patiatur debitas alterationes, & coctiones: nec sine iis appropriatis, & individualibus potest adaptari debita assimilatio pro nutritione, ut apparet in sanguine adhuc ejusdem individui, à quo non fit nutritio, si non concoctus ab illo permanet, ut in hydrope, & cachexia manifestatur.

Ad *secundum* respondetur, quod transfusio inevitabilis sanguinis, quæ continuò fit à venis in arterias, & ab arteriis in venas, fuit à natura determinata ob necessariam circulationem sanguinis, ob requisitam commixtionem sanguinis, & spirituum, & ob varios alios usus, sine quibus nec debitus calor coaptaretur partibus, nec requisita dispositio pro repositione alimenti.

Ad *tertium* respondetur, quod transfusiones humorum, quæ fiunt in morbis, omnes sunt symptomaticæ, quia ut diximus, vel proveniunt à morbo, vel ab ejus causa morbifica, vel à natura ab illa lacessita: præcipuè periculosior est in epigenesi, in qua supervenit novus morbus.

RESOLVTIO IV.

Utrum in febrium convulsionibus, & elevatis vaporibus in caput conferant pulli columbini in pedibus.

§. I.

Proponitur difficultas, & pars negativa.

TEctum corporis est caput, in quod fumositates, sive vapores, & exhalationes partium inferiorum ascendunt, præcipuè in febribus, & maximè in malignis; & acres vapores, & maligni caput infestare solent acrimoniâ, mordacitate, malignitate, à quibus præter alia accidentia, convulsivi solent excitari motus, pro quibus, & aliis affectibus ex elevatis vaporibus ortis, inquirimus an præter alia remedia revellentia, clysteres, cucurbitulas, frictiones; & præter julepos, cordialia, & pulveres de gutteta, prosint maximè revellentia, quæ tentantur per pullos columbinos dissectos, & plantis pedum applicatos.

Pulli columbini duplicem præstant utilitatem pro febrium curatione, & prout sunt alimentum aptum vires instaurare, & prout sunt medicamentum, quod applicatum pedibus, valeat revellere humores, aut halitus, seu vapores, qui elevantur in caput. De illis, ut alimentum sunt, an utiles sint, egit Zacutus *tom. 1. lib. 2. dubio 32.* Laudant eos Paulus, Rhasis, Arnoldus, & alii juniores: damnant verò illorum alimentum, quia melancholicum præstant succum, Arabes, Avicenna, Averroës, Isaac, Mesuë, Avenzoar, & alii Juniores. Costæus conciliat hos difformiter opinantes 3. *de aliment. facult. cap. 19.* dicens: *Pulli columbini calidi sunt, & complexione humidi; quamobrem grossum dant alimentum, quod testatur gravitas ad*

ad volandum. Sed volare inchoantes, amittunt gravitatem, fitque illorum caro levior, & ad digerendum acceptabilior.

Pro remedio apto ad revellendum prædictos vapores in febribus, præcipuè si accidant convulsivi motus, utuntur plures, maximè in principiis accessionum, non solùm pullis columbinis, sed & grandioribus columbis dissectis vivis, & pedibus applicatis, de quibus dubitamus, an sint ex usu.

B Videtur quod non. Nam nulla apparet ratio, quæ valear suadere eorum utilitatem, præcipuè cùm potiùs prodesse possint alia revellentia proposita, & maximè pedum lotiones cum aceto & sale, aut nitro, vel cum oleis calidis & theriaca, aut cum oleo Mathioli.

§. II.

Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.

C Resolvendum quod columbarum applicatio in febribus, pro avertendis malignis, & acribus vaporibus, non parvam præstant utilitatem. Receperunt hanc sententiam plures juniores, & comprobat eam communis usus.

Probatur ratione. Tum ex communi consensu pedum cum capite, quem experimur ex pedum infrigidatione, ad quam sequuntur catarrhosi affectus. Tum ex vi attractiva, quam habet calur nostri, naturali similis, qualis experitur in applicatione manus ad ventriculum, & alias intemperatas corporis partes, D cum quibus columbi appropriatam habent temperiem calidam, ut constat ex Galeni doctrina. Tum quia remedium est securissimum, & præstantius pro temperatis accidenribus, quàm alia fortiora, & minùs secura, quæ solent pedibus applicari. Ergo in convulsionibus febrium, & aliis soventibus accidentia in capite, hoc remedium debet recipi in usu.

E Probatur *secundò* ex observationum comprobatione à Dodonæo proposita ex anno 1585. cujus hæc sunt verba: *Potentior autem omnibus est columba vivens in duas partes per dorsum dissecta, & mox cum sanguine sub pedum plantis diligenter ligata. Quæ non modò vaporosos spiritus ad caput ferri prohibet, sed eò perlatos revocat, atque sic gravissimos capitis dolores sopit, & deliria sedat: quod frequentibus experimentis compertum. Eodem etiam modo exanthemata erumpentia ad inferiores partes pertrahit: sic ut circa faciem atque caput pauciora; circa verò ipsos pedes plura proveniant. Liganda autem sub pedibus est columba, in ipsis febrium præcipuè exacerbationibus, vel paulò antè, pedibus interim calentibus, atque illic horis ad minus duodecim sinenda, deinde amovenda, & in ahenum aquæ frigidæ mox dejicienda, ne odore sit molesta: & præfertur ad hujusmodi diversionem columba reliquis vel volucribus, vel etiam animalibus; & quidem propter singularem, ac eximiam perquàm humanæ naturæ gratam, ac amicam naturam, qua pollere videtur.* Ego per unasquasque duas horas immutare soleo, ante fœtorem.

§. III.

Proponitur solutio pro ratione positâ dubitandi.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod ex eo quod sint alia plura remedia conducentia ad vaporum, seu suliginum revulsionem, non obstat, quo minùs & hoc superaddatur cum illis, præcipuè cùm sit remedium tutum, non nimis molestum, & experientiâ comprobatum.

Resolutio V.

Utrum si in febribus accidat præternaturalis somnus, conferant vessicatoria pro ejus curatione?

§. I.

Quid, & quotuplex sit somnus præternaturalis, & quæ sint vessicantia.

Somnus præternaturalis, qui modum excedit, affectus continet soporosos quatuor: ii sunt coma, lethargus, carus, apoplexia, qui inter se differunt. Coma, seu cataphora, est somnus profundus, à quo excitatut æger, oculos aperit, respondet, & subitò profundùm in somnum labitur. Lethargus est illi similis, & fit cum febre, & deliriu. Carus sine febre accidit, sed sumnus est profundior, oculos enim vix aperit æger, nec respondet; vellicatus tamen sentit, & manet sine læsa respiratione. Apoplexia est profundior somnus, ac privatio omnimoda sensus & motus, cum respiratione læsa, ut fatentur Practici. De iis alii fiunt cum febribus, alii superveniunt in illis, præcipuè in malignis: & de illis inquirimus, an præter alia revellen

revellentia, prosint pro illis curandis vessicantia.

Sunt vessicantia, ut jam diximus, quæ succum diversum à sanguine evacuant, sive per cauteria, sive per propria vessicantia: hæc expurgant ichorem, indicanturque à copia, & motu pravorum humorum, sive malignorum in partes principes, sive ad evacuandum, sive ad derivandum, sive ad revellendum. De vessicantibus egit Galenus *6. local. c.25.* Fiunt ex variis simplicibus. Claudinus sic præparat.

℞. cantharidum præpar. ʒ. vj. sinapi ʒ.ij. fermenti acris ℥. ß. caricarum pinguium num.vj. semin. ameos ʒ.j. Misce, & cum aceto forti, vel aqua vitæ fiat pasta. Vigorari solet pulveribus cantharidum. Applicatur in cruribus supra talum, in femoribus supra genu, in brachiis supra carpum, in humeris, scapulis & occipitio, in syncipite. Fiunt sæpe ex cantharidibus, synapi, aceto scyllitico, & fermento, vel modo suprà dicto.

§. II.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

VEssicantia ab usu Medicinæ rejecerunt veteres: inter juniores verò Doctissimi Patavini in eis admittendis, aut rejiciendis elaborarunt maximè. Præcipua dissensio fuit inter Herculem de Saxonia, & Massariam: huic adhærent Guargantes, Rodericus Fonseca, Gerardus Columbus, & alii, contendentes quod in nulla febre putrida, ardente, maligna, aut pestilente, nec ratione febris, nec ratione malignitatis, nec ratione accidentium possint applicari vessicantia, ob maxima pericula quæ subsequuntur ex illis: quod confirmant pluribus rationibus.

Primò, ut tenet Galenus, quia ob damna quæ ex illis sequuntur, nec ab Hippocrate, nec à Galeno vessicantia admittuntur in febrium curatione. Tum *secundò*, quia operantur calore, & dolore, non occulta vi; & ideo cum vitæ periculo, quia augetur febris, & obstructio. Tum *tertiò*, quia cùm sint venenosa, in putridis febribus inducunt venenum, in malignis augent. Tum *quartò*, quia non revellunt materiam foventem accidentia, sed solùm evacuant ichores, quos putrilagine causant in partibus carnosis. Tum *quintò*, quia in omnibus temporibus febris nocent in principiis, & subsequentibus temporibus,

A quia perturbant coctionem, vires per dolores resolvunt, naturæ opus impediunt; quæ post coctionem perficitur ab illa per crisim, & ante illam per coctionis elaborationem. Tum *sextò*, impediunt febris attemperationem suo ustivo calore. Tum *septimò*, quia febris materia est heterogenea, & nequit vinci homogeneâ vi vessicantium.

§. III.

B *Ratione urgentiæ pro accidentibus in febribus conferunt vessicantia ad revellendum, nec impediuntur à febre.*

SIc tenent Hercules de Saxonia, Valerius Martinus, Joannes à Colle, Salius Diversus, Felix Platerius, Eustachius Rudius, & nostris temporibus illis subscribunt juniores.

Probatur *primò*. Si vessicatoria in febribus essent contraindicata, vel quia non attrahunt, vel non debito tempore,
C vel quia non attrahunt inutile, vel in non debitum terminum, vel nullis propriis viis. Sed nullum ex iis obstat usui illorum in febribus. Ergo in illis possunt applicari pro illarum accidentibus. Probatur minor. Tum *primò*, quia attrahunt occulta vi serosos succos propter cantharides, quas ipsos trahere & expurgare, docent Galenus, & experientia. Præterea attrahunt manifestis viribus succos fluentes, & foventes febres, & symptomata per calorem, quo pollent;
D per dolorem, quem causant; per ulcera, quæ excitant, quæ etiam expurgant, & attrahunt ad vulnus adimplendum, & partem nutriendam. Tum prosunt vessicantia, quia attrahunt ichorositates venenosas in venenosis febribus; lethales, in quibus vergunt ad partes principes; incoctihes, quia recedunt ab alimenti natura, & à mixti proportione; & trahunt quoscumque humores confluentes in partes principes, & varia lethalia symptomata causantes. Tum quia
E debito attrahunt tempore, vel in principiis febrium, ut minorent ichores qui obstant coctioni; vel in quovis febris tempore, si humores, aut ichores confluant in partes, & minentur periculum. Revellendum enim, ex Hippocrate, si humores confluant quò non deberent. Tum per vessicantia fit motus humorum ad partes contrarias, ad vicinas, aut per partes læsas in confluxis humoribus. Tum fit evacuatio per corporis porositates ad cutem, ad quas conspirant omnes

partes internæ, tanquam in proprium emunctorium. Ergo ob omnes rationes propositas sunt utilia in febribus vessicantia, & pro illis, & pro suis curandis accidentibus.

Probatur *secundò*. Si quid obstaret adhibere in febribus, aut applicare vessicantia, pro illis, vel pro suis curandis accidentibus lethalibus, maximè quia interturbant coctionem humorum, movendo ichores cum illis contentos. Hoc prohibetur ab Hippocrate 1. *aphor.* 22. ubi docet ante coctionem non debere moveri humores. Sed hoc non obstat applicationi vessicantium. Ergo debent applicari quovis tempore febris, in quo indicantur à febre, aut ratione urgentiæ accidentium. Probatur minor. Tum quia Hippocrates intendit docere, quod per purgationem non moveantur humores qui putrescunt commixti sanguini, donec per coctionem separati ab illius commixtione, fiant objectum expultricis, & pharmaci solutivi. Tum constat, quod non impedit motionem, adhuc per purgationem; & si imminet periculum, cum illo, in turgentia, admittit purgationem per purgantia solutiva: & eadem ratio currit, ut si urgeat periculum ob accidentia, debeant purgari ichores, & humores per vessicantia. Tum patet quod Hippocrates non prohibet movere reliquos succos ante coctionem, cùm ante illam sanguinem moveamus phlebotomiâ, frictionibus, cucurbitulis, scarificationibus, lenientibus. Ergo similiter possumus humores, & ichores movere ante coctionem materiæ. Tum ratione febris, & urgentium accidentium, utimur non solùm in urgentia, sed in febribus perniciosis per decubitum humorum in partem principem, ut probavimus *tomo* 3. non expectata coctione, medicamentis selectivis humorum, qui confluunt. Ergo ob symptomata quæcumque lethalia, ante omnem coctionem, & præcipuè dum non expectatur ob imminens periculum, convenit evacuatio, & revulsio humorum & ichorum foventium illa symptomata.

Probatur *tertiò*: Medicus est imitator naturæ in eis quæ rectè operatur, ex Galeno. Sed natura rectè operatur, dum febres malignas, aut reliquas, in quibus sunt perniciosa accidentia, curat rectè per abscessus, tumores, inflammationes, & ulcera in partibus externis, per quæ expurgat ab internis, & principalibus partibus humores, & succos, qui in illis minantur periculum. Ergo rectè operatur Medicus, dum ob similia accidentia, & in similibus febribus per vessicantia in partibus externis causat abscessus, tumores, inflammationes, & ulcera, per quæ trahuntur humores à partibus internis, in quibus minantur periculum, ad externas, per quas liberantur ægri ab illo. Probatur minor. Tum *primò* ex Hippocrate & Galeno *in 3. Epidem. sect.* 1. ubi inquit: *Fiunt ulcera, & judicant febres, & tubercula: quibus hæc non accidunt, sublata judicatio: quibus verò interiùs relinquuntur, his certissimæ reversiones, & celeberrimæ.* Tum Hippocrates & Galenus *lib.* 3. *in* 3. *Epid. comm.* 25. *&* 3. *in* 1. *Epid. ægroto* 2. *comm.* 19. *ægroto* 3. *comm.* 20. *ægroto* 9. laudant ægrotantium varias hujusmodi excretiones, per quas liberati sunt. Tum Galenus 3. *prognostic. comm.* 24. inquit: *Sæpe numero dictum est, quod morbi, quos humores calidiores committunt, ægri viribus valentibus per excretionem judicentur: his contraria sunt affectiones, in quibus facultas est debilis, & humores frigidi, qui nec abscessu judicantur: inter hos medii, per abscessus.* Ex quibus apparet has terminationes à natura ad partes externas esse utiles. Tum Galenus *comm.* 23. *in* 3. *progn.* docet naturam crassos humores terminare per abscessus: calidiores per alias excretiones. Tum Galenus imitatur has naturæ evacuationes *lib. de hirudinibus, cucurbitulis & scarificationib.* & non solùm per hæc remedia imitatur naturæ revulsiones, sed superaddit vessicantia, dicens: *Acria quoque medicamenta artubus admota retrahunt, quibus caput, aut viscera vexantur.* Ubi à simili adhæret usui vessicantium. Ergo natura in revellendis humoribus irruentibus in partes nobiliores, rectè operatur in quovis febris tempore, simul & Medicus, qui illam imitatur.

§. IV.

Solutio adhibetur fundamentis Massariæ.

AD argumenta respondetur. Tum pro *primo*, quod Saxonia comprobat, apud Hippocratem & Galenum in usu fuisse vessicantia, & ex illis comprobavimus illorum necessitatem. Tum pro *secundo*, quod cùm sint simul cum cantharidibus vessicantia, habent occultam vim trahendi ichores ad partes externas: & licèt augeatur febris, majus tamen sequitur

quitur commodum ex usu vesicantium. Tum pro *tertio*, quod cantharidarum venenum opponitur renibus, non humoribus; nec illorum putredinem augent, nec tanta in illis noxa inducitur, quanta utilitas pro accidentium curatione. Tum pro *quarto*, quod revellunt ichores, & humores fluentes in partes principes attrahunt dolore, calore, & ulcusculis. Tum pro *quinto*, quod patet ex dictis, quod non perturbant coctionem, & quod illam non impediunt variæ attractiones, quæ fiunt dum curantur febres, & in quolibet earum tempore. Tum pro *sexto*, quod attemperant auferendo causam foventem febrem. Tum pro *septimo*, quod cùm vesicantia attrahant dolore, & calore, ab iis calidorum, & frigidorum humorum fluentium fit attractio.

Resolutio VI.

Utrum intensior sitis sit in febre ardente, quàm in diabete, & hydrope.

§. I.

Sitis describitur, & morbosa curatio proponitur.

Sitis est frigidi, & humidi appetitus, ex Aristotele 2. *de anima, cap.* 3. Morbosa, ut inquit Giesvvein, est inexplebilis bibendi cupiditas ex humoris inopia, & caloris copia proveniens, quæ lethalis aliquando fit, ex Schenckio *lib.* 3. docente Galeno *lib.* 2. *de causis sympt. cap.* 7. Fit lethalior in diabete, hydrope, & febre ardente, in qua est non solùm frequens, prout in aliis febribus; sed proprium symptoma, & lethale, ut docet Galenus loco nuper citato: ideo inter gravia symptomata in febribus annumeratur, & variis auxiliis curatur à Practicis, quatenus morbi induit rationem, & urgentiam habet mortis. In diabete, & hydrope perniciosissima supervenit sitis: sed nostri instituti est inquirere de ea, quæ fit in febribus.

Sitis febrium symptoma per varios gradus varia remedia petit. Pro primo leviora Hippocrates consulit, ut tacere, os claudere, & respirare, ac inspirare aërem frigidum. Confert os abluere aquâ communi, aquâ hordei, aut decoctione jujubarum, lactucæ, aut portulacæ, vel ore retinere cortices mandragoræ, aut liquiritiæ, acinos granatorum, aut crystallorum frustula, foliave arborum frigidarum, vel earum fructus, aut fru-

A ctuum ossa: sin minùs, ad potentiora deveniendum, præcipuè ad potum aquæ frigidæ, modo quo suprà diximus: vel sumpta indicatione à causa morbosa sitim fovente, illius tentanda evacuatio vomitu cum syrupo acetoso, & aqua hordei, vel venter purgetur pulpâ tamarindorum, aut cassiæ: si in ustionem abeat lingua, & fauces in scabritiem, ad extra in gutture confert butyrum recens, & oleum violatum, ac alia frigida: in ore mucilagines seminis psyllii, cito-B neorum, præcipuè sal prunellæ, aut mucilagines gummi tragacanthi, lactis humectatio, linguæ abstersio cum linteo asperiori inuncto oxycrato. De hac ingentissima siti inquirimus, an sit urgentior eis, quæ proveniunt in hydrope, & diabete.

§. II.

Sitis ardentium febrium minùs periculosa apparet.

C Videtur quod sitis proveniens in hydrope aut diabete, sit magis periculosa, quàm proveniens ex febribus. Tum *primò* patet de siti proveniente ex hydrope, quæ maximè ægros valet opprimere; inquit enim Avicenna *fen.* 14. 3. *Etsi enim corpus, & ad id attinentes partes humore omninò imbutæ sint, unde minùs sitire ægri debebunt; tamen aquea illa humiditas salsa, acris, & viscosa est, & mord, coarctationeque, tum calidior, tum vitiosior redditur: quare ab ea po-*D *tiùs sitis inducitur, quàm sedatur.* Præterea Celsus *lib.* 13. *cap.* 21. ratione & exemplo confirmat, sitim in hydrope mortem causare. Præterea, in hydrope sitis provenit ex serosis humoribus, qui non nisi longo tempore possunt evacuari, nec sine magna læsione derelinquunt viscera, adhuc si evacuantur. Ergo sitis in illa periculosior est, quàm in febribus.

Tum *secundò* patet de diabete. *Primò*, quod ut docet Galenus *lib.* 6. *de locis af-*E *fect. cap.* 3. est insatiabilis bibendi cupiditas: fames canina est insatiabilis ciborum cupiditas; canina enim fames inevitabilis est, & indicibilis appetitus alimentorum. Ergo sic excedens appetitus bibendi in siti pro hoc affectu, reliquis est intensior, etiam eâ, quæ provenit à febre. Præterea, sitis præsupponit defectum humidi intra corpus. Sed major est qui præcedit in diabete, ob colliquationem aquosi humoris per lotium,

quàm qui resolvitur per febres. Ergo periculosior illius sitis. Præterea Aretæus 1. *diuturnior. morb. cap.* 2. inextinguibilem docet esse sitim in diabete, & apparet quod magis talis est quàm in febre ardente, quia in hac non ita celeriter deficit potus qui assumitur, sicut in diabete, in qua statim ac bibitur, mingitur: in febre tardiùs resolvitur.

§. III.

Sitis in causone ratione causæ intensior apparet.

RESolvendum, quod sitis, quæ concomitatur febrem causonem, ratione causæ intensior est, & lethalior.

Probatur: Lethalior est sitis inter annumeratas, ratione causæ, ex qua plures moriuntur: Sed plures pereunt cum siti in febribus & causonibus. Ergo est lethalior. Probatur minor ex Hippocratis observationibus in libris Epidemiorum, in quibus tam cum vehementi siti, quàm obscura, in febribus ardentibus plurimos mortuos fuisse observavit: cum siti occulta adhuc *in* 3. *Epidem. const.*3. multi in causone parum sitiebant, & omnes mortui fuere. Sic mulieres Hermoptolemi, parum sitientes obierunt, sicut filia Euryanactis, & Pythion. Nec aliter liberabantur nimis sitientes, ut Pythion in Thaso, mulier apud Pantimedem, & altera in foro Mendacii, Nicolai concubina, ut patet *in* 7. *Epidem.*

Probatur *secundò*. Periculosior est sitis, in qua apparent in lingua majora ustionis viscerum ac manifestiora signa, lethalioraque. Sed hæc magis apparent in febribus ardentibus; ex Hippocrate enim, cum siti in lingua apparent in causone combustio, ariditas, asperitas, densitas, inarticulatio, tremor, colores fuliginosi, nigri, pallidi, floridi, quæ sunt manifesta ustionum signa: in reliquis morbis cum siti similia non apparent. Ergo periculosior ex iis causonis sitis cognoscitur.

Probatur *tertiò*. Sitis in causone provenit ex morbis, causisque lethalioribus, quàm sunt in hydrope, & diabete. Ergo ratione causæ lethalior est. Probatur antecedens; vocatur enim causon ab Hippocrate ignis, quia vehementer urit, inflammat, exsiccat, viscera torrefacit, urit, & torridam immutat substantiam alienam ab omni viventis forma. Sed hydrops sitim causat per corruptos humores alterando viscera: diabetes & corpus, & viscera desiccando, & humiditates ad renes deducendo. Ergo à lethalioribus causis fit sitis in causone, quàm in aliis morbis.

§. IV.

Solvuntur rationes dubitandi primò propositæ.

AD rationes positas pro siti hydropis, & diabetis: Respondetur, quod probant, quod utraque sitis est molestissima, & conjuncta cum morbis sæpe lethalibus; non tamen comparativè ad sitim causonis, quam concomitantur causæ magis lethales, & inevitabiles, ut patet ex comprobationibus Resolutionis à nobis propositæ.

RESOLUTIO VII.

Utrum pro lumborum dolore in febribus vena secanda ex brachio?

§. I.

Proponitur status difficultatis: pars altera fulcitur.

LUmborum dolor in febribus non est infrequens symptoma; provenit enim in illis ab ebullitione sanguinis in vena cava: solet verò hoc accidens contingere ex suppressis evacuationibus per lotium. Rhasis *lib. de mirabilibus*, proponit observationem mulieris patientis hunc dolorem ob suppressionem melancholiæ confluentis cum lotio, quam curavit eam movendo per illud. Zacutus *de PP. Med. lib.* 11. *hist.* 435. probat hunc dolorem posse provenire in Gallicis, & ab ipso febres lethales: qui curari petit remediis pro Gallico morbo communibus. Reneald. observat, sæpe provenire ex lumbricis, & curari cum illorum remediis. Zacutus *lib.* 2. *tom.* 1. *hist.* 126. confirmat, lumborum dolorem posse in febribus accidere, tanquam illarum symptoma: quod cùm induat rationem causæ, & mineretur inflammationem, indicat sui curationem: quam prosequuntur Practici refrigerantibus, clysteribus emollientibus & refrigerantibus, & cum emulsionibus frigidis, addito prunellæ sale, supra lumbos posito Galeni refrigerante, unguento populeone, succis rosarum rubrarum, cichorii, cum aceto rosaceo, & camphora. Laudant alii in potu tartarum vitriolatum: sed cum ab ardore, dolore, & phlogosi timeatur inflamma-

flammatio, indicatur venæ sectio: & cùm Galenus in morbis circa furculam indifferenter mittat sanguinem ex brachio aut pede, inquirimus quæ utilior in hoc affectu?

Videtur quod pro lumborum dolore ex febre, & inflammatione, potiùs sanguis mittendus ex brachio: *Primò*, quia ex illa vena sanguis mittendus in quovis morbo, præcipuè periculoso, ex qua vires meliùs valent tolerare evacuationem. Sed meliùs tolerant eam quæ fit ex brachio, quàm ex pede. Ergo in lumborum dolore potiùs ex brachio sanguis est mittendus. Probatur minor: Tum *primò* ex Avicenna *fen.4. 1. cap. 10.* dicente: *Phlebotomiam venarum pedis magis debilitare virtutem, quàm phlebotomiam venarum manus.* Tum *secundò* per sectionem ex pede fit spirituum partium superiorum à corde, & à reliquis arteriis, & venis attractio in partes inferiores per frictiones & ligaturas, quæ fiunt in partibus inferioribus: fit major sanguinis evacuatio, quæ in aqua minor apparet. Sed per hæc debilitantur vires magis quàm sanguine misso ex brachio. Ergo magis debilitat virtutem. Tum *tertiò*: Per sanguinis missionem faciliùs debilitantur vires quando minor est copia spirituum qui fovent illas in parte, ex qua fit. Sed minor copia spirituum reperitur cum sanguine descendente per venam cavam, quàm in ascendente per venam cavam ascendentem propè cor, & per truncum totius corporis, in quo majores rami arteriarum ramificantur. Ergo spiritibus evacuatis cùm sanguine, etsi in minori copia, major subsequetur debilitas, quàm ex majori copia evacuata per venam brachii.

§. II.

Quando ex brachio utilior venæ sectio?

Resolvendum *primò*, quod si ratione plenitudinis in vena cava ascendente & illius propaginibus simul foveatur plenitudo circa lumbos, sanguis mittendus sit ex venis brachii. Ita fatetur Zacutus, & convincit ratio.

Probatur *primò* ex Aretæo, qui *lib.1. de signis, & causis acut. cap. 47. & lib. 2. de curandis acut. cap.7.* docet, in lumborum phlogosi, & inflammatione, præcipuè dum vigent symptomata adducta ab Hippocrate *2. prorrhet. cap.7.* & à Galeno *1. prorrhet. sect.2. comm.12.* sanguinem ex brachio mittendum esse statim in

A principio multiplicatis venæ sectionibus. Tum *secundò* à paritate probat Zacutus, quia major ratio currit pro mittendo sanguine ex brachio in lumborum inflammatione, quàm in inflammatione uteri. Sed in hac febre vigente sanguinem mittit ex cubitò Galenus *lib. de curandi rat. per sang. mission. c.78.* Idem confirmat ad revellendam à genu inflammationem *lib. 10. de comp. medic. cap.1.* Tum Hippocrates docet revellendum, si quò non oportet, fluat humor.
B In inflammatione lumborum, in principio, febre ex plenitudine urgente, confluit ad venas, lumbosque sanguis ex fervente sanguine in corporis trunco per venas & arterias juxta dorsum attractus à dolore & calore renum. Ergo præcisè ex cubito petit revelli.

§. III.

Cessante plenitudine, in cava ascendente, à venis inferioribus mittendus sanguis.

C Resolvendum *secundò*, quod revulsione peracta, ab infernis venis evacuandum.

Probatur *primò* ex Galeno, & reliquis nuper citatis Authoribus, qui licèt in infernis inflammationibus in principio sanguinem mittant ex brachio; postea tamen mittendum jubent ex pede. Tum patet ex doctrina Hippocratis, qui nos docuit in omni fluxione locum mittendi sanguinem, dicens: *Statim revellere, derivare, renitentem cedere.*
D Sed in lumborum inflammatione, quia humor confluit quò non deberet, petit statim revulsionem per venas brachii, à quibus inhibetur fluxio. Ergò ipsa cessante, transeundum ad revellendum aut evacuandum per venas inferiores. Tum, quia si humor partim confluit, & partim confluxus permanet, non abs re videtur tentare evacuationem per sanguisugas, quia per ramulos venæ portæ evacuant ex venis hæmorrhoïdalibus
E contentum in partibus renibus vicinis, & per ramulos cavæ descendentis evacuant, seu revellunt à venis, ex quibus aliquis fit confluxus. Tum *tertiò* patet ex Hippocratis doctrina proposita, quod in fluxionibus humor, qui non potuit revelli, aut derivari, petit evacuari; & cùm non potest fieri evacuatio ex ipsissimamet parte, tentanda est ex viciniori: unde deveniendum esse docemur ad partes, venasve proximiores. Ergo ad infe-

iores venarum ramulos: vel in nimio fluxu, sanguisugæ applicentur supra ipsos lumbos.

§. IV.

Solvuntur rationes primò propositæ.

AD rationem dubitandi respondetur, quod pro sanguine mittendo sumuntur variæ indicationes, præcipuè in fluxionibus, revellendi ad partes distantiores, derivandi ad partes proximiores, B evacuandi à parte in quam fluxit humor. Aliæ sunt indicationes ad majorem, vel minorem venæ sectionem, vel ad mittendum sanguinem, aut non mittendum: & istæ sumuntur ratione causæ à qua, ut fovet morbum, petit missionem sanguinis; vel ratione virium, quæ valent illam tolerare, aut impedire. Unde ad probationes respondetur: Tum pro *prima*, quod Avicenna non agit, an sanguinis missio petat fieri ex brachio, aut pede, ratione fluxionis ad lumbos; C sed in omni morbo, ratione virium, an potiùs ex pede, quàm ex manu? Et judicat, ex manu parum debilitari vires, quia fit ex venis, ex quibus minùs resolvuntur spiritus, & quæ proveniunt à venis, in quibus redundat magis sanguis. Tum pro *secunda*, quod comparatio petit fieri per majorem, aut minorem evacuationem sanguinis, & sic majus est virium dispendium, ubi fuerit major evacuatio, non ratione partis, sed ratione evacuationis. Tum pro *tertia* respondetur, quod jecur majorem D copiam sanguinis mittit per cavam ascendentem, quàm per descendentem, respectu partium quæ petunt sanguine nutriri. Sed dum fit sanguinis evacuatio, mittit natura sanguinem, & spiritus in quamlibet partem, donec inaniantur omnes reliquæ partes, & sanguis extinguatur.

RESOLUTIO VIII.

Utrum omnis anorexia, seu cibi inappetentia, indigeat curatione in febribus.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi ex suis fundamentis.

ANorexia, sive inapetentia, symptoma est commune in febrientibus ferè omnibus: contingit etiam sine A febre. Opponitur fami. Est fames imminuta, aut abolita appetentia ciborum, dum fit præternaturalis. Est nobis naturalis, dum ex causis ex naturæ ordine pro ipsa præscriptis provenit. Sunt hujusmodi causæ, ex Galeno 1. *de symptomatum causis*, quinque. *Prima* est inanitio partium. *Secunda*, appetentia partium inanitarum, & tractio alimenti à jecore & venis in ventriculum. *Tertia* est suctio venarum meseraïcarum, seu lactearum potiùs attractio à ventriculo, & intestinis. *Quarta* est sensus suctionis in ventriculo. *Quinta* est animalis appetentia, quæ perficitur sensu tactus implantato in orificio stomachi per nervum à cerebro communicatum. Hæ causæ ordinantur, ut animal appetat sibi necessarium cibum; & ideo fames ex iis subsequuta dicitur naturalis, quæ si fiat morbosa, depravatur, fit imminuta, aut abolita. De qua agimus, anorexia dicitur, & est triplex. *Prima*, cùm nihil æger appetit, ob intemperiem ventriculi, sed nonnullâ gustat. *Secunda*, dum aversatur cibos oblatos, sed coactè aliquos recipit. *Tertia*, dum extincta est naturalis virtus, nec aliquid appetit, nec transglutit, omniaque nauseat. Galenus *lib.* 1. *de causis sympt. cap.* 7. in omni inappetentia has invenit causas, vel quod suctio non fiat, etsi sit copia alimenti: vel impedita anadosi ob obstructionem, vel attractricis exsolutionem: aut quia deficit sensus labefactatus à præternaturali calore laxante substantiam ventriculi, vel à præternaturali frigore extinguente nativum calorem.

Sed cùm de inappetentia agamus, quæ in febribus est communissimum symptoma, hujus potiùs prosequemur causas. Harum aliæ sunt ob vitium ipsius ventriculi, aliæ aliunde illi communicantur in ventriculo. Anorexiam causat in febribus calida intemperies, quæ dejicit appetitum famis, sive nuda, sive cum affluxu materiæ confluentis in ventriculum, ut docet Galenus *lib. art. medicinal. cap.* 92. & *lib.* 6. *Epidem. comm.* 4. *text.* 20. quia laxat particulas quas in ore ventriculi appetituri convenit esse contractas & corrugatas; quia eliquat, funditque humores, quibus replentur intermedia spatia: & ideo suctionem non percipit. Tum natura in febribus, attenta expulsione excrementorum per tertiam regionem, divertitur à cognitione suctionis ventriculi: quod Hippocrates 3. *Epidem. comm.* 3. ait maximè continge-

re in peste ob hanc causam: & ob illam tenet Galenus, plurimos eligere voluisse potiùs mori, quàm comedere: & Avicenna tenet, quod qui viriliter agebant, & comedebant, evaserunt. Intemperies valde frigida ventriculi aufert appetentiam cibi, extinguens naturalem ejus facultatem; quia, ut docet Galenus, quælibet intemperies dejicit actum propriæ virtutis. Præterea ob hanc causam, facultates ministrantes ventriculi læduntur, & solent in febribus, ob corruptos in illo humores à febrili calore, fieri lumbrici, & ob illos & pravos simul existentes succos corrumpitur, & aboletur appetitus.

§. II.

Inappetentiæ extra febres sæpe paucis indigent auxiliis.

RESolvendum *primò*, quòd aliquæ inappetentiæ extra febres paucis indigent remediis.

Probatur. Tum in eis qui per multos annos vivunt sine omni cibo crasso, de quibus alibi egimus, qui tum temporis nullo indigent remedio pro crassorum ciborum inappetentia. Tum patet in eis qui ob nimiam plenitudinem non appetunt; quibus ipsa inappetentia est auxilium. Tum in quibus debilis calor inappetentiam causat, extinctus à crudorum succorum redundantia in ventriculo, ipsa inappetentia est auxilium, ut coquantur crudi succi; & appareat calor instaurans famem. Ergo ipsa inappetentia non semper indiget aliis auxiliis.

§. III.

Inappetentiæ in febribus quàm maximè indigent auxiliis.

RESolvendum *secundò*, quod maximè in febrium inappetentia requiruntur remedia pro illa.

Probatur *primò*. Accidentia quæ in febribus minantur periculum vitæ, indigent remediis. Sed inappetentia in febribus sæpe minatur vitæ periculum. Ergo indiget auxiliis. Probatur minor observationibus desumptis ex Hippocrate *lib.3. Epidem. sect. 1. ægroto 2.* ubi inquit quod Hermocrates, qui toto morbi tempore aversabatur cibum, die vigesima septima mortuus est: & eodem libro, *sect.2. ægroto 6.* filia Euryanactis, quæ omnes cibos abhorrebat, post diem duodecimum obiit. Galenus *in 3. Epidem.* A tenet in pestilente constitutione nullos servatos ex eis qui cibos abhorrebant: & Hippocrates *2. aphor. 33.* laudat *ægros benè se habere ad ea quæ offeruntur*; onde contrarium damnat. Ergo inappetentia in febribus periculum minatur.

Probatur *secundò*: Pluribus in febribus supervenit inappetentia, in quibus ob varias causas majus minatur periculum. Ergo in iis magis urget necessitas utendi præstantioribus remediis. Probatur antecedens. Nam variat periculum B si proveniat in principio, aut declinatione; si in morbo chronico, aut acuto: si in debili subjecto, aut robusto: si post immodicam evacuationem, aut sine illa: si extincto naturali ventriculi calore, aut solùm imminuto: si ante recidivam, aut post illam: si in pueris, aut adultis: si cum dejectionibus, aut sine illis: si ex læsione nervorum sextæ conjugationis, aut sine illa. Ergo juxta has varias causas magis, aut minùs potest urgere periculum utendi auxiliis.

C Probatur *tertiò* ex communi praxi Practicorum, qui pro febrium inappetentia variis utuntur remediis. Ergo maximè admittenda in illarum curatione. Probatur antecedens. Tum, si ex simplici intemperie calida proveniat, frigido potu utendum; frigidisque aliis potionibus: calidis, si à frigore fiat extinguente naturalem calorem. Si intemperies fit cum affluxu materiæ, tentatur illius expurgatio, vel per vomitum, vel per clysteres, vel per purgantia; pro D crassis humoribus, per pilulas de hieras pro calidioribus, cum rhabarbaro: si æger omnem omninò abhorreat cibum, utendum clysteribus nutrientibus. Confert in febribus aqua instillatitia absinthii, si permittat febris: prosunt pilulæ rhabarbari, & terebenthinæ: confert sal absinthii, aut prunellæ, syrupus de absinthio Penæ: supra stomachum conferunt olea menthæ; & absinthii, vel absinthium in vino coctum, vel fer- E mentum cum aceto & pulveribus absinthii, & menthæ.

Inter alimenta offerenda, ex Hippocrate *lib.2. aphor.38.* & *lib.6. Epid. sect.4. sententia 8.* offerenda sunt in inappetentia alimenta euchyma, consueta, magis grata, & quæ excitant languentem appetentiam, & simul oppugnant causam. Inter hæc sunt pro excedente calore, obsonia, quæ acida fiunt cum aceto, succo oxalidis, omphacio, succo limonum, arantiorum acrium, succo agrestæ; poma,

poma, & pira fragrantia: cydonia ex- tolluntur à Zacuto; olivæ, & cappares ab aliis: si frigus excedat, carnes conferunt aromatis conditæ, vina generosa; & si non obstat calor, vinum Hippocraticum.

Resolutio IX.

Quænam sit causa singultus.

§. I.

Quid sit singultus, & quæ sint ejus causæ?

Inter symptomata in febribus supervenientia ob læsionem localium motuum ventriculi, tendentium ad expulsionem molestantium succorum, sunt nausea, vomitus, & singultus. Dum natura tentat expellere, dicitur talis motus nausea, dum motus non sufficienter concitatur: dum concitatur, & expellit, fit vomitus: dum natura insurgit ad expellendum, & expellere nequit, fit singultus, qui est motus ventriculi depravatus, quo rem sibi molestam expellere conatur: in quo conveniunt nausea, & vomitus. Ipse tamen propriè est motus ventriculi convulsivus, in tensione, & dilatatione fibrarum partis superioris constans, ut tenet Jonstonius, quo expultrix irritata, noxia tunicis ventriculi, & in primis ori, & œsophago infixa, cum sonitu, & vehementi contorsione elidere tentat. Præcipuè singultus in febribus maximè damnatur ab Hippocrate *lib.7 aphorism.*17. ubi ait: *A jecoris inflammatione singultus, malum.* Galenus *in comm.* reddit rationem periculi. Hippocrates *in coacis*, tenet quod *si quis in laboriosa febre singultit, morbo laborat pessimo.* Et *lib.*3. *Epidem. sect.*2. *ægroto* 12. mulierem proponit, quæ in foro mendacii obiit, postquam ei supervenit singultus. Ex quibus patet, quantum periculi minetur singultus in febribus, in quibus supervenit plerumque, tanquam illarum symptoma.

Pro singultus prognosi maximè intenditur à Medicis cognitio causæ, à qua provenit, in qua determinanda dissentiunt Medici ab Aristotele, & ipsi inter seipsos. Aristoteles 30. *problem. quæst.*1. tenet fieri singultum ob infrigidationem loci, qui est circa pulmonem: *& quæst.* 5. tenet, fieri dum spiritus vacans ab humore, in loco spiritus detinetur. Lupeius *lib.*3. *Enchirid. cap. de singultu*, tenet Platonem *lib. de natura*,

A hujus fuisse opinionis. Zacutus *tom.* 1. *lib.*2. *dubio* 94. hos aliter interpretatur, in meliorem sensum cos adducens. Levinus Lemnius in febribus majori ex parte tenet provenire singultum ex frigidarum potionum usu, ut referunt ex illo Schenckius, & Riverius. Gorrœus *in diffinitionibus Medicis*, singultum diffinit, quod sit motus convulsivus ventriculi, vitium quod tunicis suis inest, expellere conantis: ubi plures prosequitur causas. Hippocrates *lib.6. aphor.* 39.

B inanitionem & repletionem determinat esse causas singultus. Galenus assentitur illi, *& lib. de sympt. causis*, symptoma esse actionis facultatis animalis læsæ, determinat: differreque tenet ab aliis depravatis ventriculi motibus, quia maximè assimilatur convulsioni, & fit vitio facultatis retentricis, & expultricis. Sunt qui variant in determinandis partibus, in quibus fit læsio expultricis facultatis; adaptantque superiori ventriculi parti, & illius ori; vel meliùs om-

C nibus ventriculi partibus, in quas extenduntur nervi. Sunt qui depravationem, seu corruptionem alimenti in ventriculo, singultus esse causam asserant. Alii à veneno infestante: à frigore fieri docuit Hippocrates 5. *aphor.*28. Contingit maximè in febribus ex jecoris inflammatione, internaque viscerum ustione, à qua convulsiva fiat siccitas, sive à vigiliis, evacuationibus, inedia, aut acutis febribus proveniat.

D

§. II.

Proponuntur proximæ causæ singultus.

Resolvendum, quod locus affectus in singultu est ventriculus repletione, aut inanitione proximè læsus.

Probatur *primò*, quod sit ventriculus pars per se affecta, contra Aristotelem, qui cavitati pulmonis tribuit hoc symptoma. Tum ex Galeno *lib.* 3. *de sympt. causis*, qui docet, quod fit singultus à ventriculo, qui expellere conatur vi-

E tium quod suis tunicis hæret. Tum pars affecta respectu illius depravati motus localis debet esse illius mobile: sed ventriculus est qui movetur. Ergo ille est pars affecta. Tum pars affecta est in qua continetur causa cogens & irritans ad motum. Hæc autem, vel sunt pravæ substantiæ in ventriculo genitæ, aut ab aliis partibus in illum transmissæ. Ergo ventriculus est pars læsa.

Probatur *secunda pars*, quod scilicet semper

semper fit immediata causa repletio, aut inanitio. Tum ex Hippocrate *lib. 6. aphor.39.* inquit enim: *Convulsio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita verò & singultus.* Galenus 8. *de compos. medic. sec. locos, cap.* 3. fatetur non invenisse aliam tertiam causam immediatam convulsionis, præter has: & idem tenet *lib.5. aphor.1. lib.2. de caus. sympt. cap.2.* hoc de vera convulsione intelligendum potiùs quàm de impropria convulsione. Si quis verò fit singultus ex acrimonia, ad repletionem reduci tenemus. Tum per inanitionem intelligimus non privationem, sed subsequutam siccitatem ad illam, à qua densantur instrumenta motus localis ventriculi.

§. III.

A causis mediatis varia desumitur prognosis, & multiplex indicatio curativa singultus.

Resolvendum quod à causis mediatis inanitionis, & repletionis variat prognosis illius, & ejus curatio.

Probatur prima pars, quod variat prognosis ratione causarum. Si fit inanitio ex nimio fluxu sanguinis, lethalis est, ex Hippocr. *lib.* 5. *aphor.* 3. Si per purgationem, similiter, *ex aphor.* 4. *sequente.* Si in senibus, lethalis, *ex lib.7. aphor.41.* Si à jecoris inflammatione fit singultus, lethalis, 7. *aphor.* 17. sive simul cum illo ferveat, sive comprimatur, sive saniem irritantem ab eo recipiat. Si singultus fiat cum rubore oculorum & D vomitu, malum, 7. *aphor.* 3. Si fiat cum aphonia, malum, *prorrheticor. particula* 23. *sect.1. lib.1.* Jonstonius sic prognosin deducit incurabilis singultus. Si cum delirio, dubiæ spei, si cum lipothymia, & in senibus, post exactam purgationem, & in hepatis inflammatione, si post vomitum accidat sinceri humoris, aut ab ilei inflammatione.

Probatur secunda pars, quod variet curatio à variis indicationibus. Tum E *primò*, si sumitur indicatio à singultu, ut induit rationem causæ, indicat stuporem inducentia, ut philonii Romani ℈.j. croci, cinnamomi, ana ℥. ij. laudani opiati ℥.j. olei salviæ q.suf. Tum si sumatur indicatio ab externis causis, Jonstonius pro causis externis, si sit frigida, utitur oleis calidis in dorso, & ventriculo: si sint alimenta acria, aut medicamenta, utitur cremore prisanæ: si provenit à nimia evacuatione singultus, A confert emulsio quatuor seminum frigidorum: si sint corrupti cibi, confert aloë: si ad intra sint calidi humores acres in ventriculo, & fiat vomitus, aut lenis purgatio, confert terra sigillata: si sint singultus causa frigidi succi intra ventriculum præparandi & evacuandi, confert oxymel scylliticum, & elixir proprietatis. Præcipuè dum febris est symptoma, in principio confert vomitus, aut lenis evacuatio: in aliis temporibus, stupefacientibus utendum. Schenckius B laudat philonium Romanum. Lemnius, si ex frigida provenit juleporum intemperie, vinum offert. Zacutus *tom. 1. lib.2. hist.76. observat.13.* in singultu supervenient in febre torrida cum oris amaritudine, siti inextinguibili, & linguæ scabritie, post reliqua omnia auxilia non sufficientia, ægrum curavit potu frigidissimo aquæ nivis: & *lib.3. Praxis Medica admirandæ, observat.* 20. tenet curasse singultuosam febrem cucurbitula cum multa flamma apposita supra ventri-C culum, & scarificata parte: à quo remedio æger sanatus fuit. Sed cùm afferat ægrum toto corpore algidum fuisse, & validissimis ustionis in toto signis oppressum, non satis acquiesco huic curationis miraculo: cutis enim, quæ est prima partium continentium cavitatis ventris, nullam habet communicationem cum tunica interna ventriculi, ut per illam evacuetur contentum intra ventriculum.

Resolutio X.

Utrum in fluxu ventris symptomatico sit purgandum?

§. I.

Proponitur ratio flatus, & ratio difficultatis.

Fluxus ventris est evacuatio eorum, quæ per alvum ultra modum excernuntur. Est duplex, criticus, & symptomaticus. Criticus est etiam duplex, alter qui evacuat materiam, quæ minatur morbum: & hic naturæ relinquendus; inquit enim Celsus *lib.4. cap.19. Uno die fluere alvum, sæpe pro valetudine est, & pluribus, si febris absit, & intra septimum conquieverit; purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, extra ejicitur.* Et Galenus 8. *Methodi, cap.* 5. inquit: *Sin adstringitur, gravis est; siquidem ex adstrictione ejus vitiosa natura in* febres

febres promptè incidunt. Alter est fluxus ventris criticus, qui fit in febribus post peractam coctionem: & in hoc nihil tentandum, quia ex Hippocrate, *quæ judicantur & judicata sunt integrè, nec movere, nec novare, sed sinere oportet.* Et concoctâ materiâ, sola natura sufficit.

Alvi fluxus, aut est lienteria, aut cœliaca, aut dysenteria, aut fluxus hepaticus, aut diarrhœa. Lienteria est nimis celer alimentorum, eâ formâ, quâ assumpta sunt, excretio per alvum, vitiosa retinentis & expultricis ventriculi, & intestinorum promotione. Cœliaca est velox ciborum exitus per ventrem, coctione incepta, & non peracta. Dysenteria est alvi frequens, cruenta, & purulenta, cum dolore ventris, & intestinorum exulceratione à materia acri, erodente, & peculiariter intestinis infesta dejectio. Diarrhœa est immoderata, frequens, ac diurna alvi dejectio, quâ humores excrementitii, & sinceriores quantitate, vel qualitate expultricem irritant ventriculi, & intestinorum, & stimulantes sine phlegmone, lienteria, & exulceratione, tenesmo, aut vehementi doloris sensu, profluunt. De hoc alvi fluxu, qui in febribus frequens symptomata solet esse, præcipuè disputamus, qui ratione causæ est multiplex, biliosus, pituitosus, melancholicus, atrabiliarius, quasi loturæ carnis, purulentus, aut colliquans: qui omnes in hoc conveniunt, quod sint evacuatio præter naturam, eorum quæ per ventrem excernuntur: & de iis inquirimus, an petant curari per purgationem, præcipuè de diarrhœa.

§. II.

Pars negativa proponitur, & suadetur.

IN *tomo* 1. *Resolut. Medic. p.* 4. *disput.* 2. *resolut.* 6. & 7. disputavimus, an conferant medicamenta purgantia pro diarrhœa, & dysenteria? Hanc verò nunc complectar Resolutionem. Apparet ex ibi dictis, quod purgantia non sint exhibenda in diarrhœa. Tum *primò* ex Galeno *lib. de Arte curat. ad Glauc. c.* 14. dicente: *Sed neque si fuerit febris cum profluvio ventris, alia est opus evacuatione; verùm hæc sola sufficit, etsi non fuerit pro multitudinis ratione: quicumque enim iis plus adimere tentantes, necessarium aut sanguinem mittere, aut ventrem movere, in graviora pericula duxerunt.* Tum *secundò* Avicenna *fen.* 4. *doct.* 5. *cap.* 3. inquit: *Solvere ventrem supra ventris solutionem, valde timorosum est.* Tum *tertiò* Celsus *lib.* 4. *de re medica, cap.* 19. ait: *Sed una die alvum fluere, sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id quiescat; purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur.*

Secundò: patet, quod repugnent purgantia in dysenteria. Tum *primò* ex Hippocrate *lib.* 4. *Epidem. in hist. Leambi*, qui in dysenteria purgatus obiit. Et *lib. de affectionib. parte* 24. & 26. & *lib. de diæta*, ubi revellendo per vomitum curat dysenteriam. Tum *secundò* Galenus *lib.* 4. *Method. cap.* 6. purgat etiam per partes superiores: & *lib. de introduct. cap.* 13. solis reprimentibus, & fluorem sistentibus utitur pro dysenteria. Tum *tertiò* Principes Medicinæ Aëtius, Paulus, Actuarius, Celsus, non purgant in dysenteria. Haly-Abbas *lib.* 7. *practica, cap.* 22. si ulcera non sunt consolidata, tenet nocere purgantia medicamenta. Tum *quartò* obstat rationi purgatio dysentericis adhibita, quia ratione fluentis humoris potiùs esse revellendum, quàm trahendum ad partem fluentem humorem, dictat ratio. Præterea, quia materia in vulnus commota, corrodit, & dolore, ac intemperie causata, auget illud. Præterea, quia potiùs cruda materia deberet attemperari, & concoqui, quàm agitata moveri in partem læsam, ex Hippocrate 1. *aphor.* 22.

§. III.

Qualiter in febrium diarrhœa purgandum?

RESolvendum *primò*, quod si diarrhœa symptomatica accidat febri sine conferentia, & tolerantia, petit cohiberi, & ante fortiora adstringentia purgari. Sic sancivimus loco nuper citato.

Probatur *primò*, quod diarrhœa non statim petat cohiberi. Tum ex Aëtio *tetrabili* 3. *serm.* 1. §. *In principio enim aliena à natura salubriter evacuare consuevit, ipsâ videlicet naturâ undequaque ad superfluum, & incommodum cogente, quemadmodum in febribus & morbis frequenter fieri videmus.* Tum Hippocrates 1. *aphor.* 23. solas dejectiones damnat, quæ fiunt sine conferentia, & tolerantia. Ex quo patet, has solas esse cohibendas.

Probatur *secundò*, quod quæ petunt cohiberi, ante fortiora adstringentia petant

tant purgari. Tum ex Galeno 1. *aphor. comm.*23. ubi inquit : *Sive à natura, sive à nobis evacuatio fiat, oportet omninò constituere quendam ipsius modum : sicut enim humorem molestum pro qualitatis ratione oportet evacuare, ita atque etiam quantitatem evacuationis magnitudinis noxæ respondere : sed qualitatis quidem indicia superiùs diximus, ubi illum aphorismum exposuimus.* Ubi in naturæ evacuatione, & artis evacuatione petit sequi indicationem indicatam ratione humoris peccantis qualitate. Tum patet ratione, quia si ante purgationem humoris, qui tollit conferentiam & tolerantiam sua malignitate, retineatur ille humor, ex toto febris accenditur ab illo retento, & ut inquit Avicenna *cap. de diarrhœa*, retentus conturbat, & irritatione iterum violenter movet, & concitat naturam. Ergo ante illius retentionem per fortiora adstringentia, necessaria est evacuatio per purgans medicamentum selectivum peccantis humoris cum aliquo levi adstringente.

§. IV.

Pro dysenteria sistenda confert purgans pharmacum.

Resolvendum, quod licèt purgans medicamentum non indicetur ratione partis affectæ, indicatur tamen à causa antecedente. Hanc doctrinam roboravimus plurium authoritate, inter quos referuntur à nobis præstantium classicorum major pars.

Probatur prima pars, quod ratione partis affectæ non indicetur in dysenteria purgatio, ex rationibus in contrarium adductis : revellere enim ratione ulceris, & inflammationis indicatur; non autem movere ad partem læsam.

Probatur secunda pars, quod purgatio in dysenteria indicetur à causa antecedente, cacochyma, fovente affectum. Tum quia Hippocrates *lib.*4. *Epidem. in historia Leambi*, sic docuit, ubi inquit : *Leambo intestinorum exulceratione laborante, in dysenteria pharmaco curato, &c.* Et *lib.*7. *de morb. popular.* filium Erotholai lacte & sero purgavit in dysenteria. Et *lib.*4. *de rat. victus*, in biliosa cacochymia liberavit à dysenteria ægrum per purgationem humoris. Cœlius Aurelianus, Dioscorides, & Avicenna pro dysenteriæ curatione consulunt purgationem, non ob indicationem desumptam ab ulcere intestinorum. Ergo ob desumptam

A ab humore cacochymo, à quo fovetur. Tum docetur à Galeno 2. *de simpl. Medic. facult. cap.*14. ubi reddit rationem hujus remedii, quia nequit sine illo evacuare causam foventem morbum Medicus, nec sine ejus evacuatione curari ulcus; inquit enim : *Fortè igitur nos roget quispiam, an ullam unquam cacochymorum mordicationem curaverit? Equidem id non rarò factum cognovi; verùm ea duo non temperando, verùm id quod mordicabat, educendo, mordicationem sanasse.*

B Ex quo apparet, quod cùm aliter nequeat consequi curatio mordicationis, deveniendum est ad evacuandum. Tum probavimus, quod motio per partem læsam humorum, non impedit purgationem. Nam humor purgans non movet humores ad ulcus, & partem affectam; sed per illam movet illum in partes externas. Tum quia pars læsa non recipit humorem, ut in se retinear, sed tanquam via transitus. Tum quia purgatione facta evacuatio est sine mora, ut

C non valeat exulcerare, & corrodere: evacuatio facta à natura est paulatina, & materia retenta in ulcere fovet, & auget illud. Ergo ratione humoris cacochymi, à quo fovetur ulcus, securiòr est evacuatio à medicamento purgante, quàm à sola natura intenta.

§. V.

Purgantia in dysenteria debent esse torrefacta.

D Resolvendum *tertiò*, quod pro purgatione in dysenteria, præcipua purgantia sunt myrobalani citrini, & rhabarbarum torrefacta. Receperunt juniores hanc doctrinam, contra Hollerium, Rondeletium, Amatum, Sclanum, & alios, qui renuunt torrefactionem.

Probatur *primò* ex Avicenna 16. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *Et si fuerit necessaria evacuatio propter malitiam humoris, fac eam cum timore, & cautela, & stude ut*

E *sit solutivum, non vehementer nocivum ulceri : immò sit sicut myrobalanum.* Et infrà : *Et rhabarbaro quidem inest proprietas mirabilis in ulceribus intestinorum, & in fluxu algaras.*

Probatur *secundò* ratione, quod purgantia medicamenta debent offerri post primam fluxionem, & ulceris principium, in quo magis contraindicatur purgatio. Nam tum temporis duplex est indicatio in dysenteria, altera purgandi,

altera adstringendi, & corroborandi partes mittentes, & recipientes. Sed medicamentum purgans torrefactum adimplet utramque indicationem, quia ut purgans, evacuat humorem cacochymum foventem fluxionem: ut torrefactum, compressione simul expellit contentum in partibus, & corroborat, ut non recipiant. Ergo pro utraque indicatione adimplet intentum.

Probatur *tertiò*: Si quid obstaret torrefactioni, maximè quia torrefacta purgantia fiunt calidiora, mordaciora, & potentia ulcus irritare, & augere. Sed neutrum obstat pro ejus utilitate. Ergo admitti debent pro dysenteriæ curatione. Probatur minor. Tum quia leviori torrefactione non fit empyreuma. Tum quia si quod fit in majori torrefactione, aufertur per lavationem medicamenti. Tum quia torrefactione purgantia fiunt ficciora, & adstrictiora, & magis prodesse possunt pro ulcere curando, quàm nocere in suo transitu.

§. VI.

Post purgationem fit securior transitus ad fortiora adstringentia.

RESolvendum *quartò*, quod securior via adstringendi in his symptomatibus, est postquam à natura, & ab arte evacuatâ copiâ cacochymi humoris, quam vires valent tolerare, cogimur pro adstringendi indicatione ad retinendum.

Probatur. Tum quia in eis quæ inditantur, finere oportet. Tum quia retenta materia febrem auget. Tum quia materia cacochyma semper petit sui evacuationem, si vires permittant. Tum quia retenta conturbat, & iterum cogit naturam, & majorem expulsionem. Tum quia majori copiâ deposita, dum vires delabuntur, per evacuationem urgentior est reliquis retinendi indicatio, ne vita deficiat.

§. VII.

Solvuntur fundamenta negantium purgationem.

AD *primum* respondetur: Tum pro *primo*, quod Galenus non prohibet purgationem in quovis fluxu ventris, in quo vires possunt subsistere pro illa ferenda; sed in ventris profluvio, idest nimio, & concitato fluxu, in quo vires prosternuntur, & sunt sine tolerantia:

A tunc enim, etsi non sufficiat profluvium pro multitudinis ratione; non tamen est opus superaddere aliam evacuationem, quia vires, & vita deficient cum illa. Vel dicimus, quod Galenus in profluvio ventris prohibet evacuationem solius pharmaci solutivi, à quo solùm adimpletur evacuatio cacochymi humoris. Non tamen prohibet evacuationem per pharmacum solutivum, quod simul habeat vim corroborandi, à quo completur utraque indicatio, quæ reperitur in

B profluvio ventris, & evacuandi cacochymum humorem, & simul cohibendi profluvium. Tum pro *secundo*, quod idem intendit Avicenna, quod scilicet pro purgatione in profluvio ventris purgans medicamentum simul roboret, quia est timorosum solvere ventrem supra ventris solutionem absolutè. Tum pro *tertio*, dicimus quod Celsus loquitur de fluxu ventris salubri, & critico. Nos de fluxu symptomatico in febribus.

Ad fundamenta secundæ partis re-

C spondetur: Tum pro *primo*, quod Leambus obiit adhuc purgatus, quia licèt erat utile & indicatum remedium, purgatio non fuit sufficiens pro symptomate. Ad Hippocratem dicimus, quod curat vomitu dysenteriam: non negat tamen, quod si ille non sufficit, sit transeundum ad alia auxilia. Tum pro *secundo*, idem dicimus de remediis, quibus Galenus utitur. Tum pro *tertio*, quod sumpta indicatione ab ulcere, aliis utimur auxiliis: nec obstat, quominus pro indicatione sumpta à cacochymo humo-

D re fovente ulcus, fit sæpe utilis purgatio. Tum pro *quarto*, quod rationes hujus argumenti probant, quod non indicetur purgatio ab ulcere, ut suprà diximus; non tamen, quod non possit urgentior indicatio sumpta ab humore cacochymo fovente ulcus, cogere ad purgandum in dysenteria.

RESOLVTIO XI.

E Utrum sudor possit dari in febre æstiva & ardente symptomaticus?

§. I.

Quid sudor, & variæ sudoris differentiæ.

DE sudore disputavimus *tom. 1. disput. unica de sudore*. Est effluvium vaporosæ substantiæ per cutem: alter naturalis, alter criticus, alter symptomaticus. De hoc præcipuè agimus sub hac resolutio

solutione, estque qui à naturali, & critico differt in modo, in causis, & accidentibus. Sumuntur illius differentiæ à substantiæ modo, à quantitate, à qualitate, à relatione, à situ, ab habitu, ab actione, aut à passione. Ratione substantiæ sudor symptomaticus aut est crassus, aut tenuis. Crassus majori lentore fit talis: tenuis fit fluxibilior, quia tenuiores habet partes. Sub crasso, & tenui, sunt sudor diaphoreticus, & syncopticus, seu syncopalis: in iis resolvitur alimentitia, aut spirituosa substantia, ob quam vires celeriter resolvuntur. Diaphoreticus, & calidus, & frigidus esse solet. Dissipatur in illo magis de materia, præcipuè rorida, & glutinosa. In syncoptico, seu syncopali, qui semper frigidus, magis profunditur de substantia spirituosa; & ideo morti est proximior: nec solùm à frigore fiunt crassi humores, sed à calore etiam, ut *disput. de sudore*, diximus cum Galeno *text. 2. prognost. comm. 39. §. Quin etiam sinceri humores crassiores existunt; pituitosus quidem, propter frigiditatem quasi concretus; biliosus verò, propter exuberantiam caloris evaporatus; & tanquam assatus.* An ab illo fiat symptomaticus sudor, dubitamus.

§. II.

Pars negativa proponitur, & probatur.

Sunt plures actiones pro sudore necessariæ, præcipuè naturali. Admodum copiosa evaporatio, confertim facta propulsio vaporum per vasa in tertiam regionem, vaporis concretio in tertia regione, concreti vaporis expulsio per porositates, in naturali sudore semper sunt necessariæ: sed in sudore symptomatico supervenientе in febre ardente, videtur quod saltem nequeat reperiri vaporis concretio, & consequenter nec in illa possit dari talis sudor symptomaticus. Probatur minor ex dictis à nobis *tom. 1. disp. de sudore, sect. 1. resol. 10.* Tum *primò*; quia vapor ut mutetur in aquam, debet in illam mutari per densitatem à frigore acquisitam, cujus est secunda qualitas, ex Aristotele 4. *Meteor. & lib. 2. de generat.* Sed in febre ardente in corporis porositatibus nulla est frigiditas, sed ingentissimus calor. Ergo nullus potest in illis vapor densari, nec sudor. Tum *secundò*, vapor ut concrescat in tertia regione, debet densari in illa à contrariis causis, à quibus priùs acquisivit raritatem. Sed vapor in febre ar-

A dente acquirit raritatem intra corpus à nimio calore. Ergo cùm idem fit in porositatibus, & in cute, ab illo conservatur eadem raritas. Tum *tertiò*, simili modo debet vapor in corpore acquirere densitatem, ut fiat sudor; ac vapor elevatus ex terra in aërem, ut fiat aqua. Sed vapor elevatus ex terra in nubem, fit aqua, quia densatur à frigiditate secundæ regionis. Ergò vapor sine frigiditate in febre ardente nequit densari in vaporem. Patet consequentia, quia non datur
B tunc frigiditas in cute, & tertia regione, à qua densetur.

§. III.

Pars affirmativa proponitur, & suadetur.

Resolvendum *primò*, quod densitas, per quam vapor in corpore fit densior, non provenit à densitate qualitativa orta ex frigore; sed à densitate locali causata medio impulsu per qualitates lo-
C comotivas vapori communicato. Sic sancivimus *loco citato*, & ibidem comprobavimus.

Probatur *primò* per rationes nuper propositas, ex quibus patet, quod in febre ardente, seu causone, non possit dari sudor causatus per densitatem qualitativam ortam à frigore: sed constat evidenter, quod datur. Ergo, quia causatur per densitatem localem ratione impulsus, quia non est alia densitas, & à negatione unius membri ad affirmatio-
D nem alterius valet consequentia.

Probatur *secundò* ratione desumpta ex Galeno *lib. 1. de sanit. tuenda, cap. 12.* Evacuatio insensibilis, quæ fit per tertiam regionem, continuò effluit, & continuò fit per insensibilem halitum. Sed si fieret concretio à frigiditate tertiæ regionis, non posset fieri continuò per insensibilem halitum, quia cùm sit materia apta concrescere, à cutis frigiditate concreta exiret continuò, & sub forma sudoris. Ergo cùm hoc constet ex-
E perientiâ non contingere, dicendum quod nec datur frigiditas sufficiens pro densitate qualitativa, & multò minor in febre ardente.

Probatur *tertiò* ex summo Dictatore Hippocrate, qui primus hanc docuit veritatem *lib. de flatibus, num. 91. §. Concrescit enim spiritus qui in aquam abit*: id est, impulsus. Tum *lib. de loc. aëre, & aquis*, docet quomodò per impulsum fit pluvia ex vapore, ibi: *Cùm igitur dispersa,*

persa, nedum collecta fuerit, in sublime fertur: at ubi coacervata, & à ventis inter se contrariis, de repentè in se coacta fuerit, tunc deorsum prorumpit, qua parte collecta copiose fuerit. Ubi localem densitatem docet congelantem vapores pro aqua pluvia: & similis est ratio, ut ab illa congeletur in corpore vapor pro sudore. Tum confirmat Galenus *lib. 1. de sanit tuend. cap. 12. & lib. de rigor. & tremor.* docens requiri pro sudore confestim factam propulsionem, à qua fit localis densitas. Tum vapor concrescit in corpore pro sudore, sicut in pericardio, dum fertur ad illud. Sed hoc fit locali densitate, quia nulla est ibi frigiditas, à qua densetur. Tum concrescit vapor in corpore pro sudore, sicut in vasis destillatoriis, dum vertitur in aquam, in quibus ob intensam eorum caliditatem non densatur à frigore, sed ab impulsu localis motus. Ergo à sola locali densitate fit sudor in febre ardente.

§. IV.

Pro retinendo sudore symptomatico plura prosunt.

RESolvendum *secundò*, quod cùm sudore symptomatico vires prosternantur, plura ex usu petunt adhiberi remedia comprobata.

Probatur: Tum ex Paulo *lib. 2. cap. 46.* cui adhæret Perdulcis *lib. 9. cap. 14.* qui in sudore symptomatico, aut vires exsolvente, docent sistendum esse aëris re- D frigerio, corporis ventilatione, cibis adstringentibus, frigida perfusione ex oxycrato, omphacio, decocto stiptico, diapasmatis, seu pulveribus adstringentibus inspersis corpori, ex rosis, balaustiis, myrtillis, malicorio, gallis, nucibus cupressi, succino: oleipasmatis, seu inunctionibus ex oleis adstringentibus, rosato, melino, myrtino, mastichino. Tum Zacutus *tom. 1. lib. ult.* post plura communia remedia, ut meatus occludat, hoc proponit unguentum.

♃. olei myrtillor. ℔. iij. olei rosati omphacini ℔. ß. olei papaverini ℥. ij. succi bursæ pastoris ℥. iij. bulliant ad consumptionem succorum. Adde sarcocollæ ℥. ß. aloës ʒ. v. thuris ʒ. iiij. myrrhæ ʒ. ij. corall. rubri ℈. ij. aluminis usti ℥. ß. cerussæ ʒ. ß. lithargyri ʒ. ij. pompholygos ʒ. j. ß. folior. plantag. m. ß. lapidis hæmatitis ʒ. j. sanguinis draconis ʒ. j. cum cera fiat unguentum. Tum Bauderonius præcipuè pro sudore frigido

A syncoptico proponit vinum stipticum aromatizatum, post cujus lotionem convenient pulveres adstringentes nuper enumerati. Tum Carreirus *lib. 4.* de febribus, *in fen. 1. 4. Avicenna, tract. 2. cap. 13.* plura proponit remedia cum Avicenna, pro regimine superflui sudoris: alia superaddit, ut unguentum similè illi, quem proposuimus cum Zacuto.

Sed generosum aliud proponam cum illo remedium, quod ob vim adstringentem & emplasticam, quam habet, mul- B tùm prodesse expertus sum, etiam in me ipso, qui per illud in diaphoretico sudore ad vitam restitutus sum, dum pro deplorato relinquebar à Medicis. Fit ex gypsi pulvere & albuminibus ovorum mixtis, & plurimùm agitatis, cum quibus superaddo vini rubri generosi quod sufficiat, ut fiat ad modum cataplasmatis, de quo omnes corporis partes resudantes debent inungi, seu incrustari: cum illo per aliquas horas somno me contuli: expergefactus à sudore per- C mansi liber, à febre immunis, & partes emplasticæ resiccatæ paulatim defluebant, à corpore separatæ.

§. V.

Rationes primò proposita solvuntur.

AD rationes primò adductas respondetur, quod duplex est densitas: alia qualitativa, quæ fit à Frigiditate, tanquam qualitas secunda, orta ab illa: alia est densitas localis, quæ fit à locali motu comprimente; & ab hac fit sudor, tam naturalis, quàm symptomaticus. Ex quibus patet pro rationibus dubitandi.

RESOLUTIO XII.

Utrum frigiditas in febribus possit esse utilis?

§. I.

E *Frigoris diversitas in corpore proponitur.*

FRigus est qualitas in summo aquæ debita, prope summum terræ, mixtis juxta debitum illis qualitativum temperamentum. In homine aut accidit ab extrinseco, aut oritur ab intrinseco. Quæ ab internis fit, vel ab anima, ut est forma mixta, provenit, vel ab internis causis. Si ab anima, vel medio substantifico naturali temperamento, adimplet temperamentum qualitativum naturale,

&

& debitum per ætates. Si autem oriatur medio temperamento substantifico præverso per partes materiales frigidas, ut in hydrope, tunc frigus est homini præter naturam, licèt resultet ab anima, tanquam à forma mixta. Frigus verò, quod oritur ob causas intrà corpus supervenientes in febribus humoralibus, illarum est symptoma. Aliud accidit in principiis accessionum, aut aliquarum crisium: aliud in ipsis accessionibus; & vel in toto, vel in partibus. De omni frigore, sive naturali, ad naturales peragendas operationes; sive symptomatico, ad naturæ commodum, inquirimus, an frigus aliquam in febrientibus pro salute, aut in sanis pro naturalibus operationibus præstet utilitatem.

§. II.

Pars negativa proponitur pro utroque eventu.

PRimò apparet, quod nulla possit expectari utilitas ex frigore symptomatico: nam ut colligit Manelphus ex Hippocrate in observationibus adductis *in libris Epidemiorum*, omnes quibus frigus supervenit in febribus, mortui sunt. Ergo constat, quod frigus symptomaticum semper est lethale. Probatur antecedens. Tum de frigore superveniente in determinatis partibus, ipsisque extremitatibus: *lib. enim* 1. *Epidem.* de Pario in Thaso, & de muliere in eodem Thaso decumbente, tenet quod friguerunt illorum extremitates, & ambo mortui sunt. Tum de frigore superveniente in toto corpore plures demonstrarunt eventus, quod fuerit signum lethale, ut constat ex Hippocrate 3. *Epidem. sect.* 3. per plurium interitum: & idem demonstratur in aliis Epidemiorum ægris, in Philisco, Sileno, uxore Philini, Erasino, uxore Dromadæ, in duodecimo ægroto, *lib.* 1. *Epidem.* in filia Euryanactis, in adolescente in foro Mendacii, in muliere apud Pantimedem, in alterâ decumbente in foro Mendacii, in Pythione in Thaso, in Calvo in Larissa, in Apollonio in Abderis, in muliere in Cyzico, in Dealcis uxore. Tum & frigus in febribus lethale est, etsi interpolatum, ut apparuit in filia Euryanactis, & in pluribus aliis febricitantibus. Tum si extremitates sint frigidæ, & æger cupiat extra stragula retinere, lethale etiam est, ut demonstravit Menon *lib.* 7. *Epidem.* qui post hanc frigiditatem, refert Hippocrates, quod morbus interitu fuit terminatus. Ergo ex quacumque symptomatica frigiditate in febribus, sine ulla utilitate, interitus expectandus.

A

Quod verò frigus intra sanitatem nequeat etiam esse causa alicujus naturalis actionis, maximè controvertitur; ut fatetur Zacutus *tom.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 46. Galenus *lib.* 3. *de causis sympt. cap.* 3. negativam partem fatetur, dicens: *Calor adauctus valentiùs alterat, modò tamen eò incrementi perveniat, ut jam colliquet: tum namque ad omnia est inutilis. Frigus verò nulli functioni est ex usu.* Avicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 3. ait: *Et frigus non intrat in servitium harum virtutum, nisi per accidens: si enim in ipsum ingrederetur, operationibus noceret, & motiones debilitaret.*

B

Conciliator *differ.* 61. pluribus rationibus comprobat, frigus esse ex usu pro naturalibus actionibus exercendis: patet enim ex temperato frigido plures perfici; & intemperato plures lædi, quarum superaddit exempla. Vallesius, Veiga, & Vega intendunt componere has opiniones dicendo, quod frigus non per se, sed per accidens conducere potest ad actiones, ut ad instaurandam famem, corrugando ventriculum. Zacutus judicat, quod quia calor majorem amicitiam habet cum nostro corpore, ideo frigus minùs utile est pro operationibus: vel quia calor potiùs agit movendo, & frigus comprimendo.

C

D

§. III.

Pro operationibus nostri corporis qualiter juvet frigus ad operandum.

REsolvendum, quod frigus ad nostras operationes juvat dispositivè, non verò concurrit activè, sicut calor. Hoc comprobatur ex propositis opinantibus.

Ratio hujus est, quia ex quatuor primis qualitatibus fit temperamentum qualitativum naturale: aliud universale totius corporis, quod est dispositio conservativa animæ in toto homine; alter est particularis unicuique corporis parti, quod conservat partem, & facultates illi inhærentes, disponitque eas, ut debitè eliciant suas operationes: & hoc est commune omnibus quatuor primis qualitatibus, prout adintegrant debitum partis temperamentum. Præter hunc modum disponendi ad naturales operationes, habet calor quod concurrat activè instrumentaliter cum aliquibus potentiis

E

tentiis gradus vegetativi, ut ad coquendum in ventriculo, in jecore, in venis, & in tertia regione, in qua concurrit etiam cum nutritiva, augmentativa, & generativa: unde illius concursus pro actionibus in calore est ad disponendum ut facultates benè operentur, & ut instrumentum est ad agendum instrumentaliter cum aliquibus potentiis. Posset dubitari de frigore, an solùm dispositivè conferat ut actiones fiant perfectæ, an simul instrumentaliter: & de hoc secundo concursu Galenus, & Avicenna negant reperiri in illo, & nos cum illis negamus: admittimus tamen quod dispositivè conferat ad perficiendas operationes, & probat Conciliator: & hoc est commune omnibus quatuor primis qualitatibus, dum debitè adintegrant naturale temperamentum, ut si intemperentur, cuilibet intemperiei annectitur casus virtutis, & propria partium operatio.

A B C D

§. IV.

Symptomaticum frigus, sive in toto, sive in extremitatibus, lethale.

Resolvendum *secundò*, quod symptomaticum omne frigus, pro prognosi funestum.

Probatur ex Hippocrate 2. *prognost.* ibi: *Caput, & manus, & pedes frigida existentia, malum, ventre, & interioribus calidis existentibus. Optimum verò universum corpus calidum, & molle esse.* Ubique enim in febribus non intermittentibus damnat frigiditatem Hippocrates, ut *in lib.* 1. *Epid.* & *in coacis*, ubi inquit: *Si exteriora frigent, interiora verò uruntur, & sitim habeant, lethale est.* Similiter *in coacis*, inquit: *Aures frigidæ periculosæ sunt.* In 4. *aphor.* 8. ait: *In morbo acuto frigus partium extremarum malum.* Et 4. *aphor.* 40. sic: *Ubi in toto corpore mutationes fiunt, si corpus calefiat, vel rursus refrigeretur, longitudo morbi significatur.* Loquitur Hippocrates de frigiditate in febribus continuis, non de intermittentibus; inquit enim 4. *aphor.* 48. sic: *In febribus non intermittentibus, si partes externæ fuerint frigidæ, internæ verò urantur, & sitim habeant, lethale est.* Repetit idem *in coacis, text.* 121. & admittit Celsus *lib.* 2. *cap.* 6. dicens: *Cui febre non quiescente exterior pars friget, interior sic calet, ut etiam sitim faciat, servari non potest.* Tum suadet ratio. Nam extremorum frigiditas in febribus continuis, aut fit ratione internæ inflammationis, quæ ad viscera externum retrotrahit proprium calorem; vel à maligna qualitate absumente spiritus, ob sui malignitatem, & venenositatem. Sed utraque causa imminens minatur periculum. Ergo in omni symptomatico frigore periculum imminet.

§. V.

Aliqua offeruntur auxilia pro frigore partium.

Resolvendum *tertiò*, quod symptomaticum frigus petit auxilia ex variis indicationibus.

Probatur. Tum, quia si ex interna inflammatione fiat, qualiter contingit in febre lipyria, in qua offeruntur frigida cardiaca, apponuntur clysteres, fiunt sanguinis missiones, applicantur cucurbitæ, & scarificantur, apponuntur sanguisugæ, & ad extra supra ventris partes frigida applicantur, præcipuè refrigerantes succi, & pro potu & victu, quæ magis valent attemperare. Si autem venenositate malignæ qualitatis deficiunt spiritus, pro illis generandis utendum cibis boni succi, & facilis concoctionis: ad cor apponuntur epithemata, ad intus alexipharmaca. Tum si sic fovet calorem plenitudo, sanguis copiosè mittendus, ad vitandas venarum interceptiones. Tum ad revocandum calorem ad partes externas, utimur calefacientibus, avocantibus, attrahentibus, inunctionibus calidis calidorum oleorum, præcipuè camemæli, & Mathioli. Zacutus consulit hanc potionem.

℞. Aquæ cardui benedicti ℥. iij. aquæ naphæ ʒ.j.ß. aquæ papaveris erratici ʒ. viij. dictami ℈. ij. theriacæ ℈.j. confect. Alkermes, confectionis hyacinthor. ana ʒ. j. Misce, & fiat potio calida assumenda, quæ spiritus generat, revocat calorem ad partes externas, refrenat malignitatem.

RESOLUTIO XIII.

Utrum symptomata in febribus acutis sint certa signa pro earum eventu?

§. I.

Proponuntur aliqua utilia pro hac dissolvenda Resolutione.

Præcipuè disputamus de eventu cognoscendo in morbis acutis per sua symptomata. Est morbus acutus, ut docet

cet Galenus *lib. . . . . r. com m. . .* cum celeritate, & magnam sint finem: sive qui finem brevi tempore cum periculo. Alter est febris, alter sine febre; alter pendens a calidis humoribus in toto, seu in genere venoso; alter à parte determinata in corpore.

Pro præsagatione in morbis, pluribus in locis egerunt Hippocrates, & Galenus, præcipuè in libris prognosticorum, in coacis, in Prorrheticis, ubi ex variis symptomatibus varios prænuntiant eventus . . . B morborum docet Galenus *lib. 3. prognosticorum*, quod summa totius præsagationis in morituris aut sanandis, sumitur ex comparatione virium ad morbum; si enim vires superant morbum, causamve morbificam, liberatur æger, sin minùs succumbit morbo. Signa morbi, aut virium exsuperantiæ latius prosequitur Andreas Laurentius *lib. de crisibus*. Galenus 3. *prognost. text.* 6. ex magno excessu naturæ supra morbum, aut morbi supra naturam, tenet statim cognosci & C morbi durationem, & eventum: sicut & inter duos luctantes statim juxta illorum vires cognoscitur & luctæ duratio, & qualis alter succumbet ex luctantibus. Dum verò in principio præ exiguitate symptomata non apparent, *lib. 1. prorrhet. text. 1.* pro prognosi docet Galenus, quod Medicus pro prognosi imitetur rusticos, qui cum herbas parvas non statim à similibus valent distinguere, expectant illarum augmentum, quo supervenienter in symptomatibus, Medici D fiunt aptiores ad prædicendum. Dubitatur, verò, utrum modo dicto cognitis morbis, & illorum symptomatibus, præcipuè in morbis acutis, Medicus possit per hæc prædicere morborum eventus.

§. II.

Proponitur pars negativa, & comprobatur.

Licèt tot in locis Hippocrates doceat E prædicere morborum eventus per sua symptomata; eventus tamen ita inconstantes sunt, ut plures in ea sint opinione, ut nulla ex illis certa prædicendi ratio constitui possit.

Probatur primò ex ipso Hippocrate, qui licet reliquos exsuperet Medicos in hac Medicinæ parte, sicut & in reliquis; fatetur tamen *lib. 2. aph.* 19 non esse certam morborum prognosin; inquit enim: *Acutorum morborum prædictiones salutis, aut mortis, non sunt omnino certæ.* Ergo ex Hippocratis documentis, ex symptomatibus acutorum adhuc morborum nulla certa prædictio potest dari.

Secundò: Si ex symptomatibus Medici possent prædicere eventus morborum; maximè quia ex peritia artis, juxta morborum debitas indicationes, omnes valerent prosequi debitam curationem. Sed magna pars Medicorum sunt imperiti, & inepti pro debita curatione exequenda. Ergo prognosis in iis nequit esse certa.

Tertiò, adhuc si Medici omnes sint periti, & pro usu debito Artis operentur; sunt tamen plura alia requisita pro sua actione, quæ nequeunt ab ipsis exhiberi, per quæ prævertitur curatio, & eventus eorum quæ promittuntur ex symptomatibus. Ergo nequit esse certus eventus pro iis morbis. Probatur minor ex Hippocrate *lib. 1. aphor. 1.* dicente: *Oportet non solum Medicum se præstare opportuna facientem, sed ægrum assistentes, & reliqua exteriora.* Ergo curatio morbi ab aliis quàm a Medico dependet.

Quartò: Symptomata ex sua natura sunt res præternaturales, contraria sanitati, & statui naturali. Ergo semper debent prædicere funestum eventum, & nequeunt esse indifferentia ad prædicendam salutem, aut mortem.

§. III.

Qualiter à symptomatibus febrium, prognosis earum desumatur.

Resolvendum, quod febrium symptomata ex se prænunciant earum durationem & eventum, nisi aliunde invertatur eventus. Sic convincitur ex Arte prognostica ab Hippocrate sancita.

Probatur ex Hippocrate, præcipuè *lib. 3. prognost. text. 28.* qui postquam per tres libros antecedentes ex variis symptomatibus proposuerit integram prognosin pro dignoscendis eventibus acutorum morborum, & præcipuè febrium acutarum, sancivit ultimò, qualis sit certitudo prognosis, quæ ex iis desumitur symptomatibus dicens: *Rectè oportet comprehendere omnia spectantia ad conjecturas certas, & alia signa: nec te lateat, quod omni anno, omnique tempore mala malum, bona bonum significant. Quandoquidem in Libya, & in Delo, & in Scythia, quæ superius scripta sunt signa,* veracia

veracia apparent. Ex quibus nosse oportet, quod in ipsis regionibus non est difficile multa affinia ipsis consequi, si quis ea perdiscens, judicare, & ratiocinari rectè sciat. Nec ullius morbi nomen efflagitare opus est, quod hic non fuerit scriptum. Omnia igitur, quæ temporibus prædictis judicantur, cognosces ex eisdem signis. Ergo ex Hippocrate, ex symptomatibus potest sumi ratio præsagiendi in omnibus febribus.

A

Probatur *secundò* ex Galeno 3. *prognostic.* qui summam totius præsagationis ponit in comparatione virium ad morbum, quarum activitas & virtus prævidetur in symptomatum viribus, juxta morbi vigorem, & virium resistentiam. Ergo ex illis sumitur ex se ratio prædicendi in febribus acutis, & aliis morbis.

B

Probatur *tertiò*, quod potest post cognitam prognosin, aliunde præverti effectus. Tum ex imperitia Medici; sicut enim ab ejus peritia morbi vehementia tunditur, inquit enim Hippocrates *lib. de lege*, quod *Medici est vehementes morborum impetus tundere*: & Galenus *in lib. Meth.* gloriatur sanguine misso jugulasse febrem. Similiter ab imperitia Medici morbi sanabiles fiunt lethales; inquit enim Avicenna *fen.* 1. 4. *cap.* 20. quod *quandoque sanguinis missio auget putredinem, & intendit febrem*, viribus collapsis ob imperitiam Medici. Et in aliis observatur, ob intempestivam sanguinis missionem, in ipsa ægros interiisse. Sic & in aliis remediis indebitè adhibitis contingere potest, quod aliunde proveniat alter eventus, ac ille, qui primò poterat prædici ex morbi symptomatibus. Tum si æger non sit obediens, si assistentes, & reliqua exteriora opponantur eis, quæ pro ægri salute debent offerri, necesse est, quod ei, qui ex prognosi symptomatum exspectabatur eventus, omninò contrarius eveniat. Ergo præter prognosin, quæ ex se prævidet eventum morbi ex conjectura symptomatum rationali, aliunde potest eventus alius supervenire.

C

D

E

§. III

Pro fundamentis primò positis respondetur

AD *primum* respondetur, quod prædictiones quæ sumuntur à symptomatibus febrium, ex se sunt certæ in Scythia, in Delo, in Libya, & in quavis regione. Sed possunt fieri non omninò certæ, quasi ab extrinseco, dum eventus mutatur ob indebitam curationem; quia in illa, ut diximus cum Hippocrate, oportet non solùm Medicum se præstare opportuna facientem, sed ægrum, & assistentes, & reliqua exteriora, à quibus potest variari eventus.

Ad *secundum* respondetur, quod inquirimus de symptomatibus febrium, an ex se præstent vera indicia ad prognosin, saltem pro peritis in Arte: & hoc asserimus, quod non tollit, quin imperiti inutiles maneant ad prædicendum ex illis, sicut & ad veram prosequendam curationem.

Ad *tertium* respondetur, quod non probat quod per se à symptomatibus non sumatur vera ratio præsagiendi; sed tantùm, quod prædictiones desumptæ à symptomatibus, non sint omninò certæ, quia possunt eventus ab aliis immutari causis propositis.

Ad *quartum* respondetur, quod symptomata sunt res præternaturales, & ut tales semper malum prænuntiant; sed ob suam intensionem, aut remissionem demonstrant quantum possint morbi superare vires, aut ab illis superari, penes quæ sumitur ratio prædicendi ex illis.

SECTIO VIII.

De infrequentium febrium differentiis.

FEBRIUM omnium una est species infima physica, sub morbis in intemperie, quam Galenus *lib. de differentiis febrium*, diffinit dicens, quod est *calor præter naturam lædens operationes.* Medici qui pro fine habent illius curationem, varias invenerunt illius differentias accidentales, penes quas variæ sumuntur indicativæ curationes, variaque remedia pro illius curatione. Præcipua & communior est indicatio, quæ per se sumitur ab ipsa febre, attemperandi præternaturalem calorem per suum contrarium. Per accidens sumitur curativa indicatio febrium ab earum causis conservantibus, quatenus priùs unamquamque causam abscindere oportet: & cùm omnium febrium triplex sit causa, spiritus, humores, aut propria viventis substantia; ideo communis febrium curatio in iis auferendis causis consistit, juxta

indicationes ab illis desumptas. Contingit tamen, quod conjungantur febri aliqua accidentia, quæ urgeant, aut induant rationem morbi, aut causæ morbificæ, & ab iis variæ etiam superaddantur curativæ indicationes. De aliquibus earum, quæ communiora sunt symptomata in febribus humoralibus, aliqua disputavimus sectione antecedenti; sed sunt alia infrequentiora, quorum infrequentia etiam solent esse remedia, de quibus agendum sub hac Sectione, ut frequentior fiat harum febrium cognitio.

Resolutio Prima.

Utrum typus in febribus sit uniformis?

§. I.

Febrium humoralium ponuntur differentiæ.

Galenus *lib. 2. crisium, cap. 3.* febrem humoralem dividit in continuam, & intermittentem. Continua est, quæ continuò affligit: intermittens, quæ per typos, seu accessiones. Distinguuntur ulteriùs, quia continuæ febres, periculosiores sunt, ex Hippocrate 4. *aphorism.* 41. febres verò intermittentes periculo vacant, ex Hippocrate 4. *aphor.* ratione febris, nisi ab alio fiant lethales, ut demonstravimus *tom. 3. Resol. Medicar.* Distinguuntur inter se febres intermittentes, quia breviores sunt tertianæ, ex Galeno 1. *ad Glauc.* 8. *&* 2. *cris.* 11. quotidianæ secundo loco. Quartanæ sunt longiores: quod provenit ob humorum tenuitatem, aut crassitiem. Præcipuè differunt penes focum, aut mineram putredinis, quam intra vasa majora determinant Galenus, & Avicenna pro febribus continuis: in ambitu corporis, pro intermittentibus; inquit enim Galenus 1. *Epidem. sect. 2. comm. 20. Tertianæ fiunt cùm in totius corporis carnibus dominatur flava bilis. Proinde spiraculis impeditis eorum, quæ naturâ biliosa sunt, quantùm bilis in carnoso congestum genere antea vacuabatur, in hoc statu non vacuatum tertianas generavit ardentes, & frequentiores.* Et *lib. 2. febr. cap. 3. in principio,* ait: *Nam cùm flava bilis per sensibiles corporis partes delata, oritur febris, cum rigore vehemente invadit.* Et *cap. 4.* ait: *Est & alia exquisita simplicitas febris, quæ ex pituita putredinosa ortum habet, per sentientes corporis partes à natura occlusa.* Avicenna adhæret Galeno, faeturque omnes febres intermittentes fieri, quia natura superfluos humores contentos intra venas trudit in tertiam regionem, in qua putrescentes typum causant. Fernelius *lib. 4. Pathologiæ, cap. 9. &* 10. cui adhærent alii, intra viscera, primamque regionem asserunt dari in febribus intermittentibus focum putredinis, variis fulciti rationibus. Nos verò cum junioribus fatemur, quod cùm natura se exoneret in partes debiliores, juxta majorem, aut minorem resistentiam; sæpe se exonerat in ambitum corporis, tertiamque regionem; sæpe in primam. Et ideo utraque harum, ut probant argumenta, potest esse minera putredinis, & in utraque potest causari febris intermittens, & de utraque dubitamus, an æqualem servet semper durationem.

§. II.

Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.

Videtur, quod in nulla differentia febrium intermittentium possit variari ordo debitus in typis, aut accessionibus. Primò, quia ut diximus ex Galeno, accessionum constitutiones, & durationes proveniunt juxta humorum materialem causam tenuiorem, aut crassiorem: Sed nequit substantiæ modus humorum variari, manente formâ, ita ut amittat debitam consistentiam. Ergo nequit mutari duratio debita pro accessionibus.

Secundò, ex Hippocrate 1. *aphor.* 12. accessiones, & constitutiones morbi indicant durationem: *&* 2. *aphor.* docet, tertianam terminari septem circuitibus. Sed hæc non essent vera, nisi typus harum febrium esset determinatis circuitibus inclusus. Ergo nequit variari typus intermittentium febrium.

Tertiò, sicut unicuique sub sua specie debentur determinatæ ætates; & durationes: similiter unicuique morbo, & febri debentur determinata tempora & durationes; intra quas febres intermittentes suos eliciant typos; & exacerbationes. Ergò extra illa nullas valent exercere;

§. III.

Pars negativa præfertur, & firmatur.

Resolvendum primò, quod typus febrium intermittentium, præter communiorem illis, sæpe fit infrequens,

& monstruosus. Hoc comprobant Schenkius & Moroldus in variis observationibus.

Probatur ex eisdem. Tum Schenckius cum Hectore Gibalto *comment. ad cap. 7. lib. Galen. de differ. febr.* observat febrem hebdomadariam per septimanas typum invadentem cum sudore: & in alio menstruam febrem, quæ singulis mensibus invadebat unica tantùm accessione. Decimanam febrem observat Zacutus *de PP. M.M. hist. lib. 1. observat. 24.* Tum dari febres quintanas, sextanas, octonanas, nonanas, tenet Moronus ex Schenckio, qui ita ex variis Authoribus, & ex Hippocrate observat, & tenet Tulpius *observat. lib. 3. cap. 52.* Amatus *cent. 5. curat. 67. & cent. 7. curat. 75.* Zacutus *tom. 1. lib. 4. hist. 39.* Tum Schenekius ex Valerio Maximo & Plinio anniversariam observat febrem in Antipatro Sidonio Poëta, qui omnibus annis in solo die natali febricitabat. Idem vidit Rhasis *text. 16. continentis*, & observat Gentilis vidisse in Jacobo Vendesirmo, & Benivenius *cap. 87.* & Thomas Veiga *lib. 2. de differ. febr.* Tum de septennio in septennium febricitantes observat Schenckius cum Foresto *lib. 3. observat. 43.* Plinius narrat Mœcenatem *lib. 7. c. 51.* perpetuò laborasse febre. Schenckius per quinquennium observat alium febricitasse. Tum Ronsseus *epistola 13.* ut tenet Schenckius, per plures annos tertianam cum suis typis passus fuit. Ergo præter communes typos febrium intermittentium, possunt alii infrequentes supervenire.

§. IV.

Aliqua proponuntur pro curatione.

Resolvendum *secundò*, quod pro intermittentibus infrequentibus febribus conferunt plura.

Probatur. Tum quia cùm superveniant ob infectam materialem causam, illius evacuatio necessariò debet prodesse, præcipuè in proximioribus temporibus, pro solitis paroxysmis proderunt pilulæ aggregativæ, & de tribus, cum diagrydio: pulveres antimonii & scammoneæ, ac tartari, cum præparatione Cornachini: vel in Gallici morbi suspicione, alexipharmaca pro ipso morbo. Tum Schenckius *lib. 6.* tria proponit empyrica remedia utilia, ut ipse judicat, pro iis febribus. Tum ut suprà proposuimus, Paracelsus, Vanhelmont, &

A Riverius, aliqua offerunt febrifugia pro cunctis febribus, in quibus solùm experimur esse nebulonum figmentum. Tum nostris temporibus in usum veniunt pulveres de Chinachina apud nostros, quæ fiunt ex corticibus arboris de Quarango, qui exhibentur in vino in principio accessionis: cum illis componunt Angli vinum contra longas accessiones; & hæc febrifugia utilia experiuntur. Tum Beverovicius aliqua proponit, sed pleraB que superstitiosa. Areyes plura proponit ex variis Authoribus, & cum Freytagio in principio accessionum laudat decoctum centaureæ minoris, ex foliis, & floribus centaureæ minoris: vel decoctum chamædryos, vel ℥.j. pulver. ejus in jure pulli, vel decoctum asari, vel ℥.j. succi radic. sambuci, vel aquam gentianæ instillatam. Sic ex aliis alia similia deducit, & extollit ex variis Authoribus sudores, simul & usum chalybis,
C & de aliis disputat, quæ potiùs pro frequentibus diuturnis febribus, quàm pro infrequentibus possunt esse ex usu.

Tum Hodegus plura offert febrifugia pro longis intermittentibus febribus, & quartanis, quæ deducit ex vegetabilibus, animalibus, & mineralibus: præcipuè ab Spagyricis, ex remediis selectis ex animalibus, proponuntur ab illo aranearum telæ, bezoar orientalis, caput serpentis, castoreum, cor hirundinum, lucius piscis, ranæ, lacerta viridis, lapis limacis: similiter & alia de collo sus-
D pensa. Sed ab Spagyricis detrahit antimonium diaphoreticum, antipyriton Poteri, crocum Martis, elixir proprietatis Paracelsi, flores reguli antimonii, magisterium Martis Mynf. Mercurium præcipitatum solare, pulverem Joëlis, specificum febrile Crollii, & alia quæ ejusdem sunt farinæ, ac reliqua ab Spagyricis summis encomiis commendata. De specifico, seu universali remedio pro omnibus curandis morbis, quale proponatur, & quibus impugnetur, di-
E ximus *sect. 1. harum Resolutionum Practicarum.*

§. V.

Solvuntur argumenta pro parte negativa suprà posita.

Ad *primum* respondetur, quod febres humorales dupliciter possunt habere suos typos, seu accessiones: uno modo frequentes, & regulares: alio modo raras, & infrequentes. Frequentes,

regula

regularesque sunt, quæ proveniunt ratione putredinis humorum, de quibus agit Galenus, docens earum durationes, & modum superveniendi juxta naturam cujuslibet humoris,& juxta majorem, aut minorem crassitiem humorum, aut quantitatem. De infrequentibus typis non agit ibidem Galenus; hi enim non superveniunt ratione putredinis in humoribus; sed ratione fermentationis, quia dum humores contingit generari conspurcatos, aut præditos aliqua qualitate impediente illorum coctionem & repositionem in partes nostri corporis, & simul putredini resistunt, natura ut se exoneret ab illorum sarcina, commovet spiritus, per quos illos fervere facit, & fermentatione fit infrequens accessio,per quam humores amittunt conspurcationem, vel substantiæ modum impedientem coctionem, & habiles relinquuntur, ut coquantur, & perficiantur: sicut perficitur mustum, cervisia, & panificium, dum fermentatione alterantur: & à simili causa contingit etiam, quod similis infrequens fiat typus.

Ad *secundum* respondetur, quod Hippocrates loquitur de febribus secundùm frequentes typos, quos habent ratione putredinis: quod non tollit, quin sit alia doctrina de febribus, seu typis fermentatione ortis.

Ad *tertium* respondetur, quod nos idem fatemur in temporibus febrium, quæ oriuntur ratione putredinis; non in typis qui irregulares sunt. Idem enim contingit in hominum durationibus ætatum; diverso enim modo mensurantur ætates in Pygmæis, ac in reliquis hominibus, qui valde majoris sunt durationis.

RESOLVTIO II.

Quid sit febris rheumatica, & per quid fiat talis?

§. I.

Quid Rheuma, seu catarrhus, & de ejus origine.

RHeuma est defluxio à capite in subjectas partes: ideo Hippocrates *lib. de glandulis*, inquit: *Radix omnium malorum caput est.* Caput mobile membrum, in quo locatum est cerebrum, sedes facultatum rectricum, fons sensuum internorum, & motricis virtutis origo: ideo plurimis abundat ventriculis, sinubus, vasibus, meatibus, infundibulis. Pluribusque scatet excrementis, quia amplum, & plurimo indigens alimento, ex quo plurima resultant excrementa; quia est membrum seminale frigidum, quia est tectum corporis, à quo plures recipit evaporationes: ideò & natura pro illis rejiciendis excrementis varias illi adaptavit vias pro naturali eorum excretione, nares, palatum, oculos, aures, commissuras. Hæc cùm non sufficiant, cogitur natura abuti aliis viis, & in metaptosi, aut epigenesi, per omnes corporis vias excrementa diffundit, per venas ad partes proximas, per quas foventur ophthalmiæ, inflammationes, dentium dolores, anginæ: si per palatum mittit in œsophagum, fiunt diarrhϾ, dysenteriæ, tenesmi, dolores ventriculi, intestinorum, corruptiones cibi, inappetentiæ, imbecillitates, vomitus, viscerum obstructiones. Si fiat transfusio humorum per fauces ad asperam arteriam, fiunt tusses, raucedines, gravedines, difficilis respiratio, asthmata, suppurationes, & tabes. Si tamen nequit natura expurgare superflua excrementa, nec à capite detrudere, retenta in cerebro varia alia lethalia procreant symptomata, delitia, somnum, lethargum, paralysin, apoplexiam. Dum à capite confluit fluxio in partes subjectas, rheuma, seu catarrhus vocatur, ut tenuit Socrates, Plato & Avicenna. Galenus 3. *aphor. comm.* 12. tripliciter accipit catarrhum: *primò*, communissimè: *secundò* propriè: *tertiò* strictissimè; prout est motus ad pectus. Secundo modo acceptus dividitur à Gerardo ex Herculano 9. *ad Almansorem*, sic:

Dum fluit ad pectus, tunc dicitur Rheuma catarrhus:
Ad fauces Bronchus: ad narem, dico Coryzam.

§. II.

Vera ratio febris Rheumaticæ proponitur.

REsolvendum, quod febris quæcumque orta ex catarrho latè sumpto, qui est fluor excrementi præter naturam à cerebro ad partes subjectas, induit naturam febris catarrhalis. Sic admittit Zacutus ex Galeni doctrina.

Probatur *primò* ex Galeno apud eundem. Tum *lib.* 2. *de differ. febr. cap.* 11. §. *Ex destillatione à capite ad inferiores partes, oculos, aures, tempora, labra, dentes, malas, palatum, gingivas, gar-*

gareonem, pulmonem, fauces, ventriculum decumbente, febrem oriri asseberas, quando nimirum cerebrum, vel aliquando caput acervatam in se superfluitatem ad partes inferiores expellit: qui affectus rheumaticus à fluxionibus appellatur. Sed quamlibet hujusmodi catarrhosam fluxionem potest concomitari febris ex illa defluxione suborta: Ergo quælibet ejusmodi febris erit catarrhalis dicenda. Probatur minor ex variis Authoribus, qui hujusmodi febres catarrhales admittunt in suis observationibus. Tum Zacutus *lib. 3. Praxis Medica, observat. 12. de febre rheumatica*, ipsam constituit primò diariam, postea verò putridam, juxta diversa symptomata, quæ illam denotant. Tum Massarias, in consilio pro febre rheumatica, admittit febrem humoralem intermittentem, ortam ex catarrho, quæ focum putredinis habebat circa cervicem, in quam pro accessionibus defluebat catarrhosus humor in cerebro superfluus. Et Mercurialis *tom. 1. Consilior. cons. 102.* observat tertianam catarrhalem intermittentem, cum aliis complicatis accidentibus catarrhalibus. Tum Epiphanius *histor. 69.* curavit febrem hecticam catarrhalem. Poterus *centur. 2.* agit de catarrho cum febre lenta. Guarinonius *consilio 12.* & in pluribus aliis, varias observat febres catarrhum insequentes. Lælius à Fonte *consilio 10.* febrem proponit complicatam cum catarrho confluente in pectus. Ergo catarrhalis febris potest concomitari, & sequi quamcunque catarrhalem fluxionem.

§. III.

Proponitur curatio astrictior febris catarrhalis.

Resolvendum *secundò*, quod pro catarrhali febre curanda, præter indicationem attemperandi, per se desumptam à febre, per accidens à causa concomitante variæ sumuntur indicationes.

Probatur. Tum, quia à prima fluxionis catarrhosæ origine sumitur prima indicatio, sive foveatur in capite catarrhus à ventriculo, sive à ventris obstructionibus, sive ab uteri vaporibus, sive à jecore, sive à liene. Unde à morbis illarum partium prima attenditur indicatio, quæ prosequenda ex illorum curatione. Tum à capite, à quo confluunt excrementa, quæ fovent febrem

A & fluxionem, sumitur indicatio corrigendi cerebri intemperiem, evacuandi superflua excrementa, corrigendi contractam intemperiem, & debilitatem confortandi. Tum juxta partes, in quas confluit fluxio, & juxta morbos contractos cum febre, variæ aliæ sumuntur indicationes. Tum si frequentior fiat febris catarrhosa, Jonstonius ad præcautionem consulit purgationem singulis mensibus ante plenilunium, cum vino Adriani Papæ, quod sic præscribit.

B ℞. Cortic. myrobal. omnium cum nucleis priùs exsiccator. ana ℥. ij. ß. cinnamom. ℥. j. caryophyl. galangæ, cubebar. cardami, granor. paradisi moschat. ana ℈. ß. rosar. rubr. siccar. ℥. j. ß. flor. anthos, lavendulæ, ana ℥. ß. contusa mixta in septem vini mensuris misce, & per intervalla exhibe. Tum si non sufficit præcautio dicta, roborandæ partes, in quas irruit fluxio, ex Galeni doctrina, qui *lib. de sanguinis missione, cap. 8.* inquit: *Quibus ergo carnoso genere pulmo, lien, ac cerebrum naturâ robustiora*

C *sunt, in iis ad adenas & carnes fluxiones perveniunt, ubi totus nimirum habitus infirmus fuerit, veluti in rheumaticis affectibus accidere solet. Meritò ergo in iis curandis scopus est, non evacuatio, sed corporis totius roboratio; quum tamen curationis initium in illis à misso oriatur sanguine. Si verò excrementa cum qualitate priùs fuerint, purgationem adhibemus.* Tum si febris ex inveterato fiat catarrho, ob viscidas contentas materias in pulmone, consulit Zacutus uti hoc syrupo, quatuor in die binarum unciarum

D quantitate.

℞. strobilor. mundator. num. 50. urticæ recentis m. ß. flor. violar. ℥. j. ficuum pinguium num. vj. dactylor sine nucleis, num. v. pasular. sine nucleis ℥. j. ß. scabiosæ, hyssopi, prasii, adianthi, ana m. j. seminis card. bened. bombacis, anisi, fœniculi, papaveris albi, ana ℥. ß. tussilag. glicyrrhyzæ, enulæ campanæ, ana ℥. ij. cinnamom. ℥. ij. pulegii, thymi, calaminthæ, ana ℥. v. oxy-

E mel. simpl. ℥. iij. oxymel. scillitici ℥. j. ß. omnia bulliant, & secundùm artem fiat syrupus, & aromatizetur cum ℥. ß. specier. diaireos.

Giesvvein in Hodego Medicò, pro impedienda fluxione catarrhali plura proponit auxilia, simplicia, composita, & Spagyrica, inter quæ sunt electuarium ad fluxionem Cratonis, Sennerti, Sclani: de opio Plateri, laudanum minerale

rale Mynſ. morsuli catarrhales Horſtii, pilulæ ad tuſſim Schrœderi, benedictæ Benderi, de ammoniaco Quercetani, pulviſ reſtrictivus Mynſ. ſyrupus anticatharricus ſuffimentum ſandarach, tinctura corallorum Fabri. Alii præferunt cauterium retro aures, alii in catarrho ab aquoſo humore laudant ſudorifica, vel lac ſulphuris.

Resolutio III.

Utrum nulla febris complicata cum interna inflammatione, indicet ſui curationem.

§. I.

Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.

FEbris alia per ſe oritur primariò à cauſa ſovente illam, tanquam morbum primarium lædentem operationes: alia oritur, & conſervatur ab alio morbo, à quo dependet, tanquam illius accidens, & proprium ejus ſymptoma; & hæc febris accidens vocatur, quia ut tale, nullam ſui indicat curationem, ſed ſolùm illam exigit, quæ indicatur à morbo, cujus eſt accidens, quo ablato, ipſa aufertur, ut febris orta ex pleuritide, aut angina, aliiſve internis inflammationibus, cum quibus febris duplicitèr poteſt reperiri, vel tanquam accidens illarum, vel tanquam complicata illis, pendens tamen per ſe ab alia ſovente cauſa, per cujus ablationem petit auferri.

Videtur quod omnis febris complicata cum interna aliqua inflammatione, ſit accidens illius, & nullum indicet remedium præter ea, quibus inflammatio concomitans petit curari. Suaderi videtur ex Galeno locis citatis à Carreiro *in fen. 1. 4. tract. 1. cap. 1. diſput. 3.* Tum *primò* Galenus 4. *aphor.* 73. inquit: *A febribus moleſtari dicebant antiqui, eos qui abſque inflammatione, vel abſceſſu, vel dolore, vel eryſipelate, vel ut ſimpliciter dixerim, abſque aliquo membro præcipuè affecto ægrotabant. Quod ſi vel propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel talis partis alterius febricitarent, non febricitantes ipſos nominabant, neque à febribus moleſtari dicebant, ſed pleuriticos, aut peripneumonicos, & aliis ſimilibus nominibus, veluti hepaticos, & lienoſos.* Tum 7. *aphoriſm.* 43. inquit: *Verùm tales morbos, aut laterum inflammationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis, antiqui nominabant, ꝛ[illegible]entes febrem non eſſe morbum ipſum ſed caſum morbi. In quibus autem ſine partis inflammatione, putreſcente in venis humore febrem accendunt, in illis ſolis dicebant homines à febre moleſtari, & ipſum à febre haberi: atque in ipſis febrium ſcripſere differentias hepialon lipyriam, elodem, & typhodem peſtilentem, & cauſar nominantes.* Tum *lib. 1. Epidem. ſect. 3. comm.* 4. inquit: *Nam ſi jecoris inflammationem, vel lateris alteriuſve partis febris conſequatur pleuritim vel peripneumoniam vel hepatis morbum non febrem.* Tum idem repetit *lib. 6. Epidem. ſect. 1. comment.* 38. Tum *lib. 1. de Arte curat. ad Glaucon. cap.* 3. idem confirmat, dicens: *Reliquæ verò febres nonnullæ ex inflammationibus accenduntur, & quæ ex inflammationibus fiunt, ſunt veluti quædam accidentia partium phlegmone laborantium & morbus magna ex parte ab inſtrumento patiente denominatur phrenitis, aut peripneumonia atque pleuritis, aut aliud tale.* Ergo conſtat ex Galeno, quod omnis febris concomitans internam inflammationem, tanquam illius ſymptoma, nullum indicat remedium.

§. II.

Proponitur qualis indicatio curativa ſumatur à febre, quæ eſt ſymptoma.

REſolvendum, quod licèt febris accidens ſit ſymptoma internæ inflammationis, ab illa ſemper ſumitur indicatio, quæ per ſe deſumitur ab illa, ut febris eſt, licèt non ſumatur indicatio per accidens, quæ petit ſumi à cauſa ſovente.

Probatur. Febris, utcumque ſit accidens, eſt per ſe morbus lædens operationes. Sed omnis morbus, quia eſt res præter naturam lædens operationes per ſe, indicat per ſe ablationem per ſuum contrarium. Ergo febris accidens, licèt non indicet ſui ablationem per accidens per cauſæ ablationem, illam indicat per ſe per ſuum contrarium, ſcilicet per frigiditatem attemperantem illam.

A

§. III.

Non omnis febris complicata inflammationi petit per accidens curari per illius ablationem.

RESolvendum *secundò*, quod febris superveniens cum interna inflammatione, si sit ejus symptoma, curatur per illius ablationem; si solùm complicata, per ablationem causæ foventis.

Probatur prima pars ex locis nuper adductis ex Galeno, ex quibus constat, receptum semper fuisse apud vetustiores, quod si febris ex inflammatione oriatur, ablata indicatione per se, quæ ab illa sumitur, sine prosequutione ad causæ indicationem, ex sola inflammationis curatione, febris curatio sistere debet.

B

Probatur secunda pars. Febris petit curari per ablationem causæ foventis, & conservantis illam. Sed multiplex febris potest complicari cum internis inflammationibus, quæ non oriuntur, nec foventur ab illis. Ergo in iis prosequenda est indicatio curativa ad evacuationem propriæ causæ foventis illas. Probatur minor. Tum, quia potest febri persistenti supervenire inflammatio. Ergo & in quacumque illius specie. Ergo prosequenda indicatio curativa causæ foventis illam. Tum plures febres, quæ complicantur inflammationibus pleuræ, aut aliis, priùs apparent quam inflammatio, aut simul cum illa, ita ut humor, qui movetur simul, maneat putrescens in parte, à qua movetur. Ergo tunc, licèt febris subsequutæ ex inflammatione curatio pendeat ab ejus curatione, curatio tamen febris, quæ in alio fovetur foco, illius causæ fovenitis indicat evacuationem. Tum, ut tenet Serrier, si quæ febris concomitans videtur non indicare sui curationem per suæ causæ ablationem, maximè quæ provenit ex transitu ab exercitio ad refrigerationem, ut in labori dedilis. Sed nulla ex iis experitur, quæ non antecedat inflammationem. Ergo licèt illam concomitetur, propriam petit curationem per causæ ablationem, à qua primò fovetur. Tum à posteriori patet, quia in complicatis febribus solet sæpe cum febri, quæ non pendet ab inflammatione, & cum perfectis signis coctionis in lotio, & permanere quæ fovetur ab inflammatione, aut pure, à quo postea periclitatur æger. Ergo ex propria indicatione, hujus curatio est tentanda.

C

D

§. IV.

In febre non symptomatica, plura remedia, & ipsi, & inflammationi simul prosunt simul.

RESolvendum *tertiò*, quod si febris sit symptoma inflammationis auxilia sunt communia; si tantùm sit complicata, possunt & aliqua simul prodesse utrique.

Probatur. Si enim primò fiat febris, & postea inflammatio accidit, ab utraque indicatur sanguinis missio, quæ est commune auxilium pro auferenda causa fovente febrem & inflammationem. Solet autem variari locus, ex quo fit; nam ex brachiis magna ex parte petit febris sanguinis missionem; inflammatio verò in principio à distantiori parte, postea à proxima, tandem ab ea lcm affecta parte, aut proximiori ex Hippocrate enim, *Statim revellere, derivare, renitentem cedere.* Præterea si diversæ aliæ indicationes simul supervenient ex iis affectibus, *Conf. tum curantes dirigi debet ad id quod magis urget, altero non neglecto* ex Galeno *lib.1. ad Glaucon. cap.14.* fluentes humores incrassandi syrupo granatorum syrupo de rosis siccis, cum aqua portulacæ: dolor præcipuè partium vitalium temperandus. Prodest syrupus qui hîc præscribitur. ℞. flor. papaveris rhœados p. iij. rosar. rubrar. p. ij bulliant in [illegible] cocti quantitate sufficienti, [illegible] saccharo: ferveat ad spissitudinem [illegible] tum fiat Revulsione [illegible] dæ: sic pro aliis inflammationibus [illegible] da topica.

RESOLVTIO IV.

Utrum ex chyli, & sanguinis excrementis possit supervenire obstructio, ex qua sequatur febris lenta.

§. I.

E

Quid, & quotuplex sit febris lenta.

FEbris lenta dicitur à Jonstonio, quæ cognoscitur exinde, quod calore lento, cum quo notæ putredinis in urina, & pulsu apparent, affligit sed nullo gravi symptomate ægro molesta fit. Giesvvein [illegible] quod est affectus continuus, ab inquinamento [illegible] cordi communicato [illegible] æger ob suorum temporum [illegible] rardè afficiun

afficiuntur. Hæc lenta febris in communi non tam aptè definiri potest, quàm describi per sua accidentia. Nullo gravi symptomate, inquit Jonstonius, ægro molesta fit, vires collabuntur, ut æger vix progredi possit; corpus sensim contabescit, ultra quadragesimum diem protrahitur, purgantium usu exasperatur, nullum servat ordinem. Oritur ex materia extra vasa effusa in substantiam alicujus visceris, aut in capillaribus vasis per visceris substantiam dispersis impacta, ejus putredine visceris substantiam labefactante.

Dividitur febris lenta ratione causæ foventis illam vario modo. *Primò*, supervenit in infantibus ob lac corruptum in ventriculo, aut intestinis, ob aliamve ciborum corruptelam in illis, ac ex lumbricis congenitis, quæ apparent ex ventris tumore, & simul cum febre redundantibus flatibus, & elevatione ventris, cordisque compassione. Curatio perficitur lactis, aut alimentorum correctione, evacuatione excrementorum, & ex appropriatis medicamentis pro lumbricis.

Secundò, provenit febris lenta ex putredine alicujus visceris, ob putridos vapores cordi communicatos, ex corruptione, seu putredine in substantia pulmonis, ob fistulas penetrantes ad interiora, in omento, mesenterio, aut utero, vel ex viscerum inflammatione, cujus causa est sanguis in visceris substantiam effusus, & putrescens, à cujus putredine in cor feruntur halitus, à quibus fovetur lenta febris, ex qua corpus colliquescit, vires prosternuntur, nullo gravi apparente symptomate.

Pro iis sua sunt signa: alia demonstrant lentam febrem: alia partem, à qua fovetur. De febre ut lenta aliqua proposuimus; sed præcipuè lenta ab ulcere procedit, cum corporis macie, molis colliquatione, calore primo tactu non satis acri, sed immoranti manui fit mordax: lotium laudabile apparet: sudoris, & rigoris sunt vicissitudines, intensior febris, dum pus conficitur, jactatio, & inquietudo intensiores, quàm in alio tempore: facta suppuratione fiunt sudatiunculæ, & rigores non periodici, cessant dolores.

Pars fovens febrem, ob illius ulcus, denotatur per signa ulceratæ partis: si sint renes, comitatur dysuria, stranguria, urinæ aut aqueæ, aut turbidæ, cum nympharum inflammatione. Ulcus in A pulmone denotant, sicut & quamlibet visceris inflammationem, mutuò repetentes sudores, & rigores, ex Hippocrate *lib. 1. coacar. 10.* dicente: *Qui frequenter exsudant, & subinde rigent, pessimè habent, & ad extremum suppurationem habere comperiuntur, alvosque perturbatas.* Concomitantur difficilis respiratio, stertosus anhelitus, inanis tussis, clavicularum dolores, ex Hippocrate *lib. 1. concurum, §. Ex pulmonis suppuratione circa ventrem aliquando,* B *ac claviculas, dolores, & anxiè stertere, puris copiam in pulmone significant.* Præcipuè minantur periculum in viscere, partium spiritualium stertor, & ephidrosis, sive sudatiuncula apparens circa caput & thoracem, quam damnat Hippocrates *in coacis, cap. 1. aphor. 12. & 43. & 54.* Præterea febris lenta, quæ ex tabe, phthisi, aut ulcere pulmonis fit, inter has referenda: hæc contrahitur aut primariò ex apertione venæ, C aut destillatione à capite, acri, & erodente; aut ex apertione venæ demittentis mordacem, aut salsuginosum sanguinem erodentem carnes pulmonis, de quo Hippocrates, *A sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes.* Secundariò fit phthisis, & illius lenta febris, ex successione anginæ, ex Hippocrate *in coacis, cap. 15. aphor. 3.* aut ex pleuritide, *in coacis, cap. 16. aphor. 1. & aphorism. 12.* aut ex peripneumonia, *ibi aphorism. 17.* ubi confirmat hoc dicens: *Qui* D *suppurati sunt, maximè ex pleuritide, aut peripneumonia, eos febres continua comitantur, interdiu leves, noctu vehementiores: nihil memoratu dignum spuunt, circa cervicem, aut claviculam sudant: oculi cavi fiunt, malæ rubent, & quod deterius est, digiti summi calescunt, atque exasperantur: ungues adunci fiunt, ac refrigescunt, circa pedes tumores habent, & per corpus pustulas, &c.* Febris lenta ex ulcere, raro curatur; tamen naturæ potenti nihil est difficile. Eques Mediolanensis apud nos empiemate fuit E correptus, vomicamque passus: rupto abscessu, diu multùm fœtidi puris exspuebat: nulla auxilia proderant. Usus fuit sudorificis cum decocto ligni sancti & santalorum rubrorum. Postea inunctionibus unguenti mercurii: nullis proficientibus, missus ad aquas thermales sulphureas sanus evasit.

Tertiò, fit febris lenta si humor, à quo provenit febris humoralis, non coquitur, aut extra corpus mittitur; sed

à natura transmittitur in partem ignobilem, & intra venas ibi retinetur contumaciter, & latenter; unde putrescit, & præcipuè intra viscera. Sic permanens febrem lentam fovet: quod apparet, si febris putrida remisit sine sensibili evacuatione; & lenta manens, vires dejicit citra symptoma grave, quæ nullis reficiuntur alimentis. Ad hanc etiam judicarem reduci febrem lentam, ortam ex humore transmisso in partem determinatam, ob percussam partem ictu, percussione, aut extravasatione, ob aliquem casum violentum, post quem, post plures dies videmus ægrum, si non priùs sanguis mittitur, lentè extenuari, cum febre lenta, nullo symptomate, aut sensibili satis intensione cognita, ex qua ultima, aut paulatina extenuatione, aut sensibili alio superveniente morbo, ægri periclitantur. Ad hanc eandem lentam febrem reducit Fernelius febres albas, amatorias, seu chlorosin; quem ideo Serrier reprehendit *lib. 2. cap.* 10. & nos inquirimus, an hujusmodi febris sit ponenda inter febres lentas.

§. II.

Proponitur pars negativa, & ejus fundamenta.

SErrier contra Fernelium invehitur, quia inter febres lentas reponit febres supervenientes virginibus chlorosi laborantibus. Nam febres lentæ fiunt ex latente quadam obstructione inhærente in viscere, vel ab ejus corruptela. Sed hæ febres fiunt ex serosa, aut pituitosa eluvie in corpus effusa, & putrescente. Ergo non sunt inter febres lentas reponendæ.

Sebastianus Bartolus Parthenopæus Philosophus, liber in systemate novo Astronomiæ Microcosmicæ intrudendo, sua libertate, quâ gloriatur uti, nudâ fronte gloriatur opponi veritati receptæ à Rationalibus Medicis & Philosophis, contenditque in visceribus nulla posse reperiri excrementa ex chylo, aut sanguine aggregata, ex quibus illa resultent; quia nec datur chyli generatio in ventriculo, nec humorum generatio in jecore, ex qua fiant.

Probatur *primò*. Non generatur chylus in ventriculo per coctionem. Ergo nequeunt ex illo fieri excrementa, ex quibus in visceribus per putredinem eorum resultet febris lenta. Probatur antecedens. Si fieret chylus ex alimento in ventriculo, maximè quia per coctionem à calore naturali ventriculi alimentum transiret in chylum. Sed in ventriculo alimentum non coquitur à calore ventriculi, sed à proprio suo calore fermentatur, & per fermentationem alimentum nudatur à suis excrementis, & manet purum, ut transeat in corporis partes, quas sua substantia conservat. Ergo non datur in corpore chylus in ventriculo per coctionem genitus.

Probatur *secundò*. Non datur sanguis in corpore, qui sit aliud ab alimento depurato in ventriculo per fermentationem. Ergo ex sanguine, aut aliis humoribus non fiunt obstructiones in partibus ventris, ex quibus possit causari febris lenta. Probatur antecedens. Tum quia sanguis deberet generari ex chylo per coctionem facto in ventriculo. Sed in ventriculo alimentum non coquitur, sed tantùm fermentatur. Ergo non datur sanguis in corpore. Tum quia alimentum per fermentationem depuratum, non fertur in jecur, ut generet sanguinem; sed in cor, ut transmissum in omnes corporis partes per sui adhærentiam illas conservet. Ergo ex illo non fit sanguis. Tum quia alimenti pars perfectior non mutat formam substantialem, sed solùm accidentalem per colorem, dum transit ad jecoris approximationem. Ergo non mutatur in sanguinem.

Probatur *tertiò*. Si chylus generaretur in corpore, & sanguis, maximè ut per eorum formas perficeretur alimentum, ut per nutritionem transmutaretur in substantiam nostri corporis, & ex illo partes instaurarentur nutritione, & augmentatione. Sed nutritio, & augmentatio partium nostri corporis non fiunt ex alimento, quo utimur. Ergo in hunc finem nequeunt in corpore generari ex alimento chylus, nec sanguis. Probatur minor. Nam augmentum, quod acquiritur in partibus, non fit per materiam repositam per nutritionem ex alimento desumptam, sed quia partes spermaticæ primò productæ in utero, tractu temporis extenduntur à seipsis ob propriam virtutem seminalem sine aliqua de novo à sanguine absumpta portione. Ergo nutritio & augmentatio partium non fit ex chylo, nec ex sanguine.

A

§. III.

Ex retentis excrementitiis humoribus, aut aliis pravis succis intra viscera ventris inferioris, fit febris lenta.

Resolvendum quod una ex differentiis febris lentæ est illa, quæ fovetur à pravis succis infarctis in partibus ventris, in jecore, liene, utero, in venis mesenterii, in glandulis, in pancreate, in venisve lacteis.

B *Primò* sic sancivit Fernelius de partium morbis *lib. 7. cap. 7. §. Ego tamen hoc affirmo, & profiteor, choleræ, melancholiæ, diarrhææ, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum, errantiumque febrium, latentium denique morborum causas me in iis plerumque sedibus animadvertisse, quarum depulsione deploratis salus reddetur.* Tum Matthæus Martinus *lib. de morb. mesenterii, in principio*, inquit: *Et hæc febrium complicatio mirandas sustinet vires, prout in vasorum mesenterii distinctis locis, sanguinis, aut alterius humoris sanguini commixti, originem habuerit putredo, vel unà cum mesenterio, etiam in omento, hepate, utero, aut venæ cavæ ramis sanguis putruerit: unde pro materiæ, aut fomitis diversitate, modò continua, vel tertiana, aut quartana simplices, & conjugatæ; modò nothæ, aut legitimæ, lentæ, aut languidæ febres emergunt.* Tum Vvillis *tom. 1. cap. 11. de febribus*, inquit: *Inter febres symptomaticas refertur, quæ vulgò lenta appellatur: qui hac laborant, plus debito incalescunt, præsertim à pastu, motu quovis, aut exercitio: urina plerumque rubicunda est, spiritus sunt debiles, & vires dejectæ: circa appetitum & somnum mediocriter se habent, tussi, aut sputo copioso carent: verùm in dies tabidorum instar, & sine causa manifesta emarcescunt. Vitium plerumque adscribitur obstructionibus in viscere quodam, putà hepate, liene, aut mesenterio, cujus culpâ alimentum non benè coquitur, nec benè dispensatur.* Tum Zacutus *tom. 1. lib. 3. cap. 10.* inquit: *Febrem lentam adesse in fæminis, quibus menstrua non ritè, aut nullo modo respondent, experimento quotidiano est compertum in illis, quæ uteri obstructione laborant.* Sic etiam apud Dogmaticos communiter est receptum.

§. IV.

A partium conformatione fit etiam lenta febris.

Resolvendum *secundò*, quod sæpe provenit lenta febris ob vitium contractum in prima conformatione in partibus capitis, scapularum, & pulmonis, seu pectoris.

Probatur: Nam communiter expertum est, quod si caput imbecillum sit, thorax angustus, & sic compressus, collum oblongum & gracile, scapulæ sint extuberantes retrorsum, & sint excarnes in modum alarum, denotant hæc omnia facultatis formatricis debilitatem, ob quam omnes partes parvæ sunt resistentiæ. Præcipuè si caput imbecillum repletur vitiosis excrementis, quæ dum confluunt in pulmones, varios morbos, lentasque fovent febres; si thorax sit angustus, cor, cerebrum, & pulmo parva: debet enim esse inde remissus calor influens, & harum partium debiles C actiones. Unde propter collum oblongum juxta thoracis angustiam, & ob indebitam conformationem, varii illarum partium oriuntur affectus, difficilis respiratio, cordis accensio, ob calorem attractio, ob pectoris angustiam defectus debitæ attemperationis, excrementorum debilis expulsio: inde & febris, præcipuè lentæ, conservatio.

§. V.

D *Quid dicendum pro ratione dubitandi.*

Ad fundamentum Serrier dicimus, quod probat, quod febris lenta orta ex obstructionibus ventris, sit diversa ab ea quæ provenit ex ulcere pulmonis; non tamen sequitur quod non sit illi similis, & cum similibus accidentibus.

Ad Philosophum Liberum, quod non est liberum Philosopho non libero, respondere ad sua deliramenta, in- E somniis reperta, contra id quod intellectus, & sensus evidenter percipiunt, præcipuè cùm nullum illi sit fundamentum, nisi quia philosophus liber liberè loquitur.

RESOLUTIO V.

Utrum in febre syncopali conferat sanguinis missio.

§. I.

Quid sit febris syncopalis, de qua agimus.

Febris syncopalis est cui supervenit syncope. Est syncope præceps virium lapsus. Tres sunt illius gradus, ut tradidimus *tom.4. disp.1. sect.3.* in principio dicitur lipothymia, postea syncope, postea mors. Est lipothymia, seu animi deliquium, repentina imminutio virtutum sensitivæ & motivæ, propter debilitatem caloris vitalis cordis. Est syncope destructio virtutum sensitivæ & motivæ, propter debilitatem caloris cordis, ex Avicenna *fen. 1.1. doct.3. text.2. cap.6.* Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap. 14.* inquit, quod est *præceps virium lapsus.* Mors est illius terminus, & separatio animæ à corpore, ob cordis caloris defectum. Horum graduum causa est defectus caloris vitalis, qui debebat cordi communicari ab spiritibus vitalibus, & reliquis corporis partibus. Supervenit syncope febri à duplici causa; ideo & duplex est febris syncopalis: alia minuta, quæ provenit ex humore bilioso, acri, confluente ad os ventriculi, quod statim languet ob nimiam sui sensibilitatem, & corde compatiente fit syncope. Alia, de qua agit Galenus *lib.12. Method. cap. 3.* dicitur syncopalis humorosa, quia provenit à copia humorum crudorum, qui apti sunt suffocare calorem, ob cujus inopiam fit syncope. Dicuntur humores tripliciter crudi. *Primò* strictè, succus crudus dicitur quædam species pituitæ, gravis, & crassæ, qualis est succus in lotio puerorum, & aliorum deditorum ingluviei, & otio, qui est albus, crassus, puri similis, ex Galeno *lib. de plenit. cap. 11.* Differt à pure, quia non fœtet, nec est lentus. *Secundò* latiori acceptione succi crudi vocantur, qui extra sanguinem apparent albi, quales sunt omnes species pituitæ. *Tertiò* crudi dicuntur succi, quicumque à natura nondum sunt cocti, sive sint frigidi, sive calidi, sive excrementa. Sic cruda dicitur urina, & flava bilis, ex Galeno *2. acut.44.* Cùm igitur ex copia crudorum succorum extinguatur naturalis calor, & superveniat, aut immineat periculum syncopis, aut lipothymiæ, ob caloris extinctionem in corde, inquirimus, an pro febre curanda, in qua syncope supervenit, sit mittendus sanguis.

§. II.

Tralliani cum Galeno apparens contradictio proponitur.

Galenus *lib.12. Methodi, cap.3.* agens de febre syncopali humorosa, negat absolutè, sanguinis missionem posse exerceri pro ejus curatione; inquit enim: *Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet; cùm tamen vacuationem desiderent. Verùm nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinent, utpote quos sine iis syncope facilè adoritur. Quænam igitur est ratio talibus medendi, qui cùm evacuari postulent, vacuantia præsidia non ferunt? Sanè nullam aliam iis idoneam vacuationem inveni, præter eam quæ ex frictione paratur, &c.* Trallianus *lib. 12. cap. 3.* agens de iis qui syncope periclitantur, inquit: *Curandi sunt, qui ex humorum copia in syncopen incidunt, tenui victu, atque omnibus quæ extenuare possunt, quantum ad copiam attinet: vacuationem per sectam venam moliri, & eam irritare oportet, præsertim si humor ita exsuperaverit, ut periculum sit, ne vires suffocentur; nam tum ex copia modicum extrahere absurdum non est, & gravatas ipsas levare, præsertim si vires robustæ sint. Si verò imbecilles, & cruditas multa subsit, frictionibus utendum.* Averroës *lib. 7. collig. 2.* & Rhasis *16. continent. cap. 2.* adhærent Tralliano, discedentes à Galeno, qui renuit mittere sanguinem in febre syncopali humorosa. Zacutus *tom. 1. lib.4. historia 39. & lib.3. de Praxi admirabili, observat. 23.* de hac febre agens, conatur concordes reddere Galenum, & Trallianum, asserens quod cùm humor est extremè crudus, præcipuè si vires renuant, sanguis non est mittendus: quod loco citato fatetur Trallianus, dicens: *Metus enim est, ne vires prostratæ humorem crudum nequeant concoquere, & distribuere. Satius igitur arbitror, ut venæ sectionem potiùs vitemus.* Si autem subsistant vires, & humores sint semicocti, & sanguis abundat, Galenus non renuit mittere sanguinem; inquit enim *lib. de curand. rat. per sanguinis missionem, cap.12. Ubi ergo multa evacuatione est opus, verùm vires sunt imbecilliores,*

in iis vacuationem partiri expedit, uti A *nimirum & me fecisse vidistis in iis, quibus succorum crudorum copia inerat: nam pauco sanguine detracto, protinus melicratum exhibeo probè coctum, cum incidentium medicaminum copia, velut hyssopi, origani, aut pulegii, aut certè cum melicrato, oxymelite, aut oxyglici: ac si rursus sanguinem minuo, vel ipso eodem, vel nonnunquam die postero, in quo rursum exhibito propositorum medicamentorum quopiam, iterum de sanguine quid aufero, &c.* Ex quibus constat, quod B Galenus, dum vires sunt debiles, ob crudorum humorum copiam, dum tamen non omninò renuant, nec ipse umninò renuit sanguinem mittere.

§. III.

In febre syncopali continua quid agendum, & quando in intermittente purgandum.

Resolvendum, quod in febre syncopali continua, nullum utile remedium magnum: in febre syncopali humorosa intermittente, si vires permittant, priùs purgandum.

Probatur prima pars. Febris humoralis syncopalis continua continuam habet causam, humorem scilicet foventem, aut minantem syncopen: cùm ipsa sit continua, & ab illius causa proveniat syncope. Ergo nullum est tempus, in quo possit exerceri magnum remedium. Probatur consequentia. Tum quia exhibito remedio magno, fit magna commotio humorum, & necessariò D subsequitur syncope imminens. Tum quia imminet in febre continua syncope continuò, ob vaporosas, crudasque materias, quæ magis commotæ in cor, magis valent infrigidare. Tum quia syncope supervenit ob spirituum defectum, & continuò minatur periculum. Ergo multò magis si ab aliquo remedio magno imminuantur vires, & resolvantur spiritus vitales. Tum quia syncope est præceps virium lapsus, & ultimus gradus proximus ad mortem. Ergo non debet infamari ars exhibitione medicamenti, cum quo possit supervenire, aut concitari.

Probatur secunda pars, quod si febris syncopalis sit intermittens, primo potiùs debet exhiberi purgatio, si vires subsistant. Tum quia in febre syncopali est duplex indicatio, altera mittendi sanguinem, ratione febris; altera purgandi, ratione crudorum succorum. Sed purgandi indicatio ratione succorum, à quibus fit syncope, magis urget. Ergo si febris, quia intermittit, permittat, priùs purgandum, quàm mittatur sanguis. Tum quia semper in febri syncopali humorosa superabundant succi crudi. Ergo priùs purgandi, quàm mittatur sanguis, ex Galeno *lib. 9. Methodi*, dicente: *Quod si praecedat ciborum cruditas, tantopere venæ sectionem differre jubebis, quantum sufficere videbitur, tum ad eorum coctionem, tum ut excrementa descendant.* Idem docuit *lib. de sanguinis missione.* Tum patet in reliquis febribus intermittentibus lethalibus, de quibus *tom. 3.* docuimus, quod in die intermissionis petunt purgari ante missionem sanguinis. Tum quia in die ante accessionem moventur succi crudi, à quibus subsequente die fit accessio syncopalis. Ideo Hippocrates docet, *quibus futura accessio, nox gravis ante accessionem.* Ergo cùm sunt separati à consortio C sanguinis, in die, in qua nec timetur accessio, nec syncope, datur opportunum tempus pro succorum purgatione. Tum quia in die intermissionis instaurantur vires pro ferenda purgatione, quæ in febre continua continuò resolvuntur. Ideo Hippocrates docet, in febribus intermittentibus non dari periculum. Ergo indicata purgatio, quæ prævalet ad indicationem missionis sanguinis, in die intermissionis, in quo non timetur syncope, petit exerceri.

§. IV.

In febre syncopali humorosa, quando mittendus sanguis.

Resolvendum *secundò*, quod si præcedente purgatione syncope remittatur, vires instaurentur, & permaneat febris, sanguinis missio exercenda est modo præscripto à Galeno nuper citato.

Probatur ex Galeno *lib. de curandi* E *rat. per sang. missionem.* Sanguinis missio petit exerceri dum adest præsentia postulantium, & absentia impedire valentium. Sed viribus instauratis, in febre syncupali humorosa, post crudorum humorum purgationem, si manet febris, adest ipsa febris humoralis indicans sanguinis missiunem, & subsistere possunt vires. Ergo & ratio adest ad sanguinem mittendum.

RESOLVTIO VI.

Utrum in putrida lumbricorum febre sit sanguis mittendus.

§. I.

Qualia extranea valeant in homine generari.

Misera hominum conditio ob varias alterationes, putredines, corruptiones, & fermentationes, quibus subditur, varias procreat omnium entium sortes, variaque viventium genera, à quibus dilaniari contingit, ut latè prosequitur Areyes *in Campo Elysio, quæst. 36.* Mixta procreat homo non viventia, ut lapides, & metalla. Gypsum produci in homine, gypseosque tumores in arthriticis, confirmant Practici, & observat Brassavolus 4. *aphor.* 79. De mineralibus à pluribus receptum, dentem aureum natum in puero Silesio. Bartholinus *histor. cent. 2. hist. 24.* observat puerum, in quo dens ferreus ortus fuit. Lapides posse generari in omnibus partibus corporis, observant Marcellus Donatus *lib. 4. hist.* & Horstius *lib. 2. sect. 4. fol. 449.* In cerebro eum vidit Hildanus *cent. 5.* & Schenckius *lib. 1.* ubi & de dentibus idem observat. In faucibus idem observat Tulpius *lib. 2. observ. 25.* in pulmone vidit etiam Dodoneus *observat. cap. 23.* in jecore referunt Schenckius & Hildanus *cent. 1. observ. 10.* in liene Schenckius *lib. 3.* & idem in utero *lib. 4.* Langius agit de calculo renum & vesicæ *lib. 2. epist. 57.* de causis calculi Schenckius *lib. 3. observat.*

Frequentiora animalia, quæ in homine generantur, sunt serpentes, reptilia, & lumbrici, à quibus plerumque dilaniati intereunt, ut varii tradiderunt Authores collecti à Francisco Areyes. Mercurialis *de Arte gymnastica lib. 1. cap. 1.* refert quoddam genus morbi circa Mare Rubrum visum, in quo vermes alati in hominibus generabantur, unde sequebantur dura scabies, & mors. Strabo, & Diodorus horum referunt turpitudinem, & horridam figuram. Plutarchus idem refert de accolis Maris Rubri. Avicenna *lib. 4. 3. tract. 3. cap. 21.* cui adhærent plures juniores, de dracunculo morbo egerunt. Pediculis in se genitis periere Dictator Sylla, Alemanes, Poëta Pherecides, Speusippus, Acastus, Callisthenes, Mumius, Calvi-
A nus, Cassander Rex, & Honorius. Moronus variam describit lumbricorum congeriem in corpore humano genitam, firmatque variis observationibus ex Schenckio: variam in intestinis visam copiam protulit, in aliis per umbilicum excretam, sæpe in vessicula conclusos: de alio refert quod ob illos congenitos loquebatur linguâ sibi ignotâ: ab illis capitis dolorem observat, cum Claudino: cum Zacuto ab eis provenire convulsionem: cum Hildano, posse in capi-
B te generari: cum Benivenio, in naribus: cum Amato in angulis oculorum: cum Schenckio, in auribus: cum Benivenio, ex pectore: cum Vvolfango, in corde: cum Schenckio, in jecore, renibus, inguine: cum Roseo, in meatu urinario, in utero: cum dolore ventriculi, ex Amato: cum febre, ex Montano, & Termisone. Vermem prodigiosæ magnitudinis observat cum Amato *cent. 6. curat. 74.* cum Augenio *tom. 2. lib. 6.* cum Hildano *cent. 2. observat. 72.* cum Horstio *epist.*
C *sect. 18.* cum Fontano *exempl. 6.* cum Tulpio, Schenckio, & Zacuto. Præcipuè currit difficultas de lumbricis, qui in magna copia solent generari in prima corporis regione, cum quibus solet complicari febris, ob materias putridas commixtas, ex quibus fiunt simul febres periculosæ, & plurima accidentia lethalia.

§. II.

D *Pars affirmativa proponitur, & suadetur.*

Videtur quod omnis febris, quæ cum lumbricis supervenit ex putredine humorum, ex quibus fiunt lumbrici, petat curari per sanguinis missionem. Probatur ex Galeno *lib. 9. Methodi*, dicente: *Saluberrimum, ut prædiximus, est in omnibus febribus non continuis modò, verùm & aliis omnibus, quas putrescens concitat humor, sanguinem mittere.* Sed ex putredine humorum, ex quibus generantur lumbrici, variæ, & malignæ
E solent supervenire febres. Ergo petunt curari sanguinis missione.

§. III.

Febres ex putredine humorum cum lumbricis extra secundam regionem renuunt phlebotomiam.

Resolvendum, quod febres cum lumbricis, ex putridis humoribus, extra secundam regionem, non phlebotomiâ,

miâ, sed purgatione, & appropriatis petunt curari.

Probatur prima pars. Nam sanguinis missio, ut diximus, indicatur à morbo magnò pendente ex vitio sanguinis, qui fovet illud intra venas. Sed febris lumbricorum fovetur ex putridis humoribus extra venas, qui separati à sanguine putrescunt. Ergo non petunt sanguinis missionem.

Probatur *secundò*, quod purgatione indigeant febres lumbricorum, quia pendent ex putridis humoribus cacochymis, & separatis à sanguinis commixtione. Ergo petunt curari purgatione, quæ indicatur ab illis.

Probatur *tertiò*, quod appropriatis præcipuè exequatur curatio. Tum per medicamenta acria, amara, acida, sive per potum, sive per cibum commixta exhibeantur, vel sub quacumque forma, per potiones, purgationes, clysteres, inunctiones. Tum purgantia per se indicantur, per quæ excernantur lumbrici, qui sunt toto genere præter naturam. Conferunt pro illis pulveres hieræ picræ ad ʒ.ij. quia enecant, & expellunt: rhabarbarum pulverizatum ad ʒ.j. santal. citrin. ℈.j. in aqua portulacæ, cum syrupo viol. Tum prosunt propriis viribus remedia, quæ sic præscribuntur.

℞. radic. gramin. & acetosæ, ana ℥. j. folior. endiviæ, cichorii, acetosæ, portulacæ, ana m.j. summit. hypericonis, scordii, centaurii minor. ana p.j. corallinæ ʒ. iij. coque ad ℔. j. dissolve in colatura syrup. de succo limonum ℥.iij. pro duabus dosibus in die. Tum appropriata plura conferunt, ex Hodego, inter quæ acetum Prævotii, antidotus lubricaria Spigerii, arcanum contra lumbricos Timæi, julepium contra lumbricos Tilemani, mercurius dulcis, rotulæ contra vermes Mynsic. vel ex eodem, unguentum contra lumbricos.

Tanquam specificum præstantissimum remedium contra lumbricos proponit Riverius mercurium, præcipuè præparatum, sic.

℞. Mercurii dulcis ℈. xij. diagrydii gr. vj. fiat pulvis, qui detur in pomo cocto, sacchato consperso, vel panatella saccharata. Nec tamen alienum à ratione judicat usum mercurii crudi pro lumbricis exterminandis, adhuc in pueris, cujus securitatem approbat, ex variis Authoribus, ex Mathiolo *epistola 4. ad Stephanum Laureum, Medicum Cæsareum*, ex Fallopio *tract. de morbo Gallico, cap.76.* ex Platero *in curatione lumbricorum*, ex Baptista Zapata *lib. de secretis, mirabilibus, cap.5.* ex Baricello *in hortulo geniali*, ex Sanctorio *in Methodo vitandor. error. lib.5. cap.11.*

§. IV.

Solvitur ratio dubitandi primò posita.

AD rationem dubitandi respondetur, quod Galenus docet, quod febris potest provenire ex putredine humorum, vel ut sunt cacochymi & separati à sanguinis commixtione, ut contingit dum provenit ex lumbricis; & tunc indicat purgationem. Simili modo dum humores sunt concocti, ut docuimus *tom.1. Resolut. Medicar.* Alio modo provenit febris ex humoribus putridis sanguini commixtis; & in iis convenit sanguinis missio, & de iis loquitur Galenus, dum docet, quod in omnibus febribus putridis convenit sanguinis missio. De iis latè *tom.1. disp. de sanguinis missione*, egimus.

DISPU

DISPUTATIO MEDICA DOGMATICA.

Contra Sectatores qui opponuntur veræ Medicinæ.

Propositio Disputationis.



MEDICINA à medendo dicta, sumitur pro quacumque medendi operatione, præcipuè pro vera medendi scientia, & pro Sectis quæ illi opponuntur. Est vera Medicinæ scientia, quæ dicitur dogmatica, aut rationalis: sunt Sectæ, quæ illi opponuntur, Empirica, Methodica, & Paracelsistica, quæ ab illa differunt in confictis principiis & modo curationis. Empirica, & Methodica Secta antiquiores sunt, & à Galeno refutatæ, & exclusæ à communi, & recepto usu medentium. Paracelsistica recentior est, & nostris temporibus ab agyrtis ludicris imposturis adaucta, quarum præcipuè abusum refutare conabimur.

RESOLUTIO PRIMA.

Utrum Medicina Dogmatica sit aliis Sectis præstantior.

§. I.

Pars affirmativa sancitur, & demonstratur.

RESolvendum, quod Medicina Dogmatica, & Rationalis, est præstantior, & nobilior reliquis Sectis Medicinæ.

Probatur *primò*: Omnes scientiæ sunt præstantiores & nobiliores quàm Sectæ quæ illis opponuntur. Sed Medicina Dogmatica est scientia, reliquæ quæ illi opponuntur, sunt Sectæ. Ergo & præstantior, & nobilior illis est habenda. P[illegible] nam scientiæ sunt habitus [illegible], & evid[illegible], acquisitus p[illegible] [illegible] æ verò sunt [illegible] seu opinab[illegible]les, acqui-

A siti ab aliquibus scientiarum innovatoribus. Ergo scientiæ, & nobiliores, & præstantiores illis debent haberi. Probatur minor. Quod scilicet Medicina Dogmatica, quæ agit de instauranda salute per naturales rerum virtutes modo rationali applicatas, sit scientia, docetur in Universitatibus, acquiritur per demonstrationes; & ideò definitur, quod sit scientia, quâ humani corporis dispositiones noscuntur. Ex parte, quâ sanantur, vel ab ea removentur, sunt sub

B Rationali Medicina maximæ propositiones indemonstrabiles, & per se notæ, ex quibus fiunt demonstrationes, quibus carent suæ Sectæ, quæ in fictitiis & lubricis præsuppositis fundantur à suis innovatoribus.

Probatur *secundò*. Præstantior, & nobilior habenda Medicina, quæ à præstantiori provenit origine: Sed dogmatica Medicina provenit à vero, rerum origine; reliquæ Sectæ ab innovatoribus

C quibusdam hominibus. Ergo illa nobilitate has excedit, firmitudine, & præstantiâ. Probatur minor. Tum de Medicina Dogmatica, de qua docet sacra Pagina, quod creavit Deus Medicinam de terra, idest de virtutibus medicinalibus rerum, quæ sunt in terra, & earum cognitione; & quod ideo vir prudens non abhorrebit illam, quia tanquam Rationalis eam cognoscet; licèt sint plures, qui illam abhorrent, quia *stultorum infi-*

D *nitus est numerus*. Tum patet de Sectis, quæ ab innovatoribus sunt inventæ; Empirica enim Secta antiquior ex plurimis experimentis artem formavit, & conatur ostendere nihil conferre artificiosa præcepta. Juniores nomen fugiunt, in solo exercitio aliquorum remediorum sistunt, ipsis solùm experientiâ receptis, sine alia observatione. Prior magis ornata habuit inventorem Philinum Coum, & Antenorem, quem se-

quuti

quuti sunt Crito, Philistion, Menodotus, Serapion, Marcellns Empiricus, Leonellus, Faveutinus, Claucias, Apollonius, Diodorus, & alii plures.

Tum contra Dogmaticam Medicinam, novam sectam, Methodicam dictam, invenit Themison Laodicæus Syrus, cui adhæsit Thessallus, à carpendis lanis ad ipsam sequendam, ut inquit Galenus, elatus: prosequuti sunt Trallianus, Masæus, Antipater, Archigenes, Agatinus, Proclus, Olympicus, Messesius, Minemacus, Soranus, & alii. Exterminavit hanc Sectam Galenus *lib. de sectis, & lib. Methodi.*

Tum proximior nostris temporibus Bombastus Paracelsus, contra Rationalem Medicinam, novam Medicinæ condidit Sectam, quæ Severina etiam nuncupatur, ab aliis Spagyrica. Severinus enim ille commixtus fuit in chymicis, & dæmoniacis propositionibus, in chymicis proponendis auxiliis. Sequuti sunt illum Quercetanus, Crollius, Hartmanus, Schrœderus, & alii plures, non solùm ex Spagyricis, sed etiam ex Dogmaticis: inter quos Vanhelmont, rejectâ Dogmaticâ Medicinâ, transtulit se etiam ad imposturas Paracelsi; & in nulla subsistens Secta, aliam condere visus fuit, constituens morbos in depravatione imaginationis, & illorum causas in depravatione Archæi: pro quibus varias suas adjunxit depravationes, variasque ineptias in oppugnandis auxiliis Medicorum Rationalium. Ergo iis relictis Sectis, inventis ab innovatoribus quibusdam, tumultuariisque hominibus, ratione originis Dogmatica Medicina Adamo à Deo condonata in subsidium salutis humanæ, nobilitate, utilitate, dignitate & præstantiâ præferenda.

Probatur *tertiò:* Scientia quæ nobiles facit suos Professores, præstantior, & nobilior est, quàm Sectæ, quæ illi opponuntur. Sed Medicina Dogmatica reddit nobiles suos professores. Ergo est nobilior quàm Sectæ, quæ illi opponuntur. Probatur à nobis *tom. 2. Apologetico*, minor. Tum quia Medicina Dogmatica, ut demonstravimus *tom. 1. Resol. Medicat.* est scientia, & omnes scientiæ valent nobiles facere suos professores, ut cum Tiraquello comprobamus *tom. 2. sect. 2. resolut. 1.* quod in Sectis innovatorum reperiri non potest. Tum quia specialiter Medicina Dogmatica, ut patet ibidem, suos nobiles per se red-

A dit professores, ut demonstravimus §. 2. ejusdem Resolutionis latissimè.

Probatur *quartò:* Qui cùm non sint veri Medici Dogmatici, personam Medici induunt, & quasi tragœdi Medicos se esse profitentur, ipsam veram Medicinam Dogmaticam, & suos professores videntur reddere ignobiles, quasi ipsis se commiscentes. Ergo quia reliqui profitentes, seu abutentes vera Medicina Dogmatica, ignobiliores sunt & indigni, ut suo nomine illustrentur. Probatur antecedens ex Hippocrate *lib. de lege*, dicente de Medicina Dogmatica, B quam professus fuit, docuit, & ampliavit: *Medicina omnium artium præclarissima est; verùm propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis judicat; & habet, jam ● res devenit, ut omnium artium longè vilissima censeatur: ac verò hoc peccatum ob hanc potissimùm causam mihi committi videtur; soli namque Medicina nulla pœna in Rebuspublicis statuta est, præterquàm ignominia. Verùm hæc ipsa non sufficit, neque contingit vel, qui ex composito personam ipsius induerunt;* C *simillimi enim hujusmodi Medici sunt personis, quæ in tragœdiis introducuntur; quemadmodum enim illi figuram quidem, & habitum, & personam eorum, quos referunt, habent; illi ipsi autem non sunt: sic & Medici fama quidem, & nomine multi, re autem, & opere valde pauci.* Ergo ab iis qui à vera & Dogmatica Medicina recedunt, dum illius personas induunt, ipsa ignobilis, & vilissima judicatur.

Probatur *quintò:* Illa Medicina præ- D clarior reliquis Sectis, & imposturis judicanda, quæ à prudentibus Legislatoribus selecta, approbata, in usu recepta, honoribus condecorata, in Scholis recepta, conservata, & conclamata fuit. Sed sola Dogmatica Medicina est hujusmodi, quæ in omnibus regnis & Rebuspublicis, in Universitatibus, & studiis publicis, per omnem Europam recepta fuit, reliquis Sectis & impostoribus rejectis, & exterminatis. Ergo E hæc venit præferenda, ut nobilior, utilior, & præstantior reliquis, quæ legibus exterminantur. Probatur minor ex communi usu Cathedrarum illius in Academiis, ex honoribus, quibus in illis honorantur Professores ejus per gradus Bacchalaureatus, Licentiaturæ, & Doctoratus; per privilegia, quibus utuntur Professores approbati ad curandum,

per prohibitiones professorum reliquarum Sectarum, & aliorum, qui se fingunt Medicos, & tanquam Tragœdi Dogmaticornm, conantur illorum repræsentare personas.

RESOLUTIO II.

Utrum ex Paracelsistica Secta aliqua admittenda sint pro auxiliis Dogmaticorum.

§. I.

De Bombasto Paracelso, & illius Secta.

PAracelsistica Secta à Paracelso dimanavit, dæmone coadjuvante. Fuit Paracelsus, ut tenet Gesnerus, editus Tuguri anno 1555. homo omninò inconstans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, sæpè compotator & aleator inter rusticos: fuit peritus Alchymiæ professor, dæmoni mancipapatus, & necromanticus, si quis alius talis haberi debuit, ut tenet Pater Joannes Roberti. Ex iis duabus professionibus complevit suam Sectam Medicam: ut Chymicus chymica sua principia conatus fuit introducere in Medicinam. Plura illi superaddidit auxilia chymica, non solùm ex metallis extracta, sed plura etiam Spagyrica, extracta ex animalibus, & vegetabilibus, quæ à suis sequacibus non parum sunt locupletata. Tamen quia dæmoni fuerat conscriptus, ab arte Necromantiæ plura impia, dæmoniaca, & detestanda immiscuit suæ Sectæ; & hæc non ut Medicinam locupletaret, sed ut dæmonis impietatem remediis commixtam introduceret. De iis in sua Secta commixtis inquirimus, an aliqua sint recipienda à Professoribus Dogmaticæ Medicinæ; Sectam enim totam rejecerunt Erastus, Sennertus, & Freytagius.

Resolvendum, quod Spagyrica Paracelsi admittenda est.

Probatur *primò* ex dictis *tom.* 2. quia Ars Spagyrica, ut tenet Alstedius *lib.* 3. *Encyclopadia*, est *Ars qua artificiosa medicamentorum praparatione Pharmaceuticam auxit, & variis, ac magnificis magna ex parte vi ignis extractis medicamentis illam instruxit.* Sennertus diffinit, quod sit *Ars corpora naturalia, sive concreta composita, sive simplicia, in ea, ex quibus naturaliter constant, resolvendi, resolutaque pura & viribus validissima reddendi vim habens, ut utilia Me-* A *dico prabeant remedia, vel metallorum perfectionibus, & transmutationibus deserviant.* Vocatur Spagyrica, Chemia, Chymia, Alchymia, Ars Hermetica, & Segregatoria. Ea utuntur veteres, præcipuè circa metalla, & mineralia: Juniores circa omnia mixta, ut puriores separentur substantiæ, & selectiora reddantur medicamenta; quod ignis vi consequuntur, nullo dæmonis requisito consensu. Ergo Paracelsi Spagyrica remedia utiliter admittenda à Medicina
B Dogmatica, seu Pharmaceutica pro morbis rationali methodo curandis.

Probatur *secundò* latiori calamo in Beguini præfatione, in qua demonstratum manet, Chymiæ Spagyrica remedia conjungenda esse cum Dogmaticorum remediis, & ut illa adaugeant, & ut sæpe utiliora, & fortiora meliùs prodesse possint; & præcipuè, quia auxilia medica, eorumque necessitas adimplentur, ac usus ex utraque præparatione, Dogmatica, & Spagyrica: curandi autem
C modus, sine quo curatio est Empirica, & inutilis, à Medicina Dogmatica est desumendus, à qua dimanat ejus cognitio, quæ in Medico debet Rationali uniri, ut viribus medicamentorum cognitis à Dogmaticis & Spagyricis, præparatis eis utantur per scientificum habitum Dogmaticæ Medicinæ, quæ in hunc usum Dogmatica, & Spagyrica medicamenta præparata retinet in sua Pharmacopœa, ut juxta rationem eis utatur, & juxta magis expertas eorum operationes, ut docuit Galenus *lib.* 4. *Methodi*, di-
D cens: *Novisse debet quilibet Medicus, quod omnes antiqui in hoc consentiunt, medicamentum id, quod plures experti sunt, & natura est familiarius, illi esse longo intervallo praferendum, quod non est experientiâ comprobatum.* Ergo pro usu Dogmaticorum recipienda sunt remedia Spagyrica sub eorum pharmacopœa pro eorum debito usu.

Probatur *tertiò*: Inter veteres, & Juniores, plures referuntur professores Chymiæ, qui per varias operationes sine
E ope dæmonum, & metallorum elaborationes, & medicamentorum compositiones consequuti sunt: Ergo ut Chymicus, seu Spagyricus valuit Paracelsus illas innovare, aut superaddere. Probatur antecedens; ut enim diximus *tom.* 2. Guibertus Arabibus tribuit Chymiæ inventum. Alii recurrunt ad Adamum: alii ad Tubalcainum. Post diluvium recurrunt ad Hermetem Trismegistum: admittunt

admittunt alii, fuisse derivatam à Salomone. Per plures annos latiùs apud Monachos claruere in illa Raymundus Lullius, Albertus Magnus, Iob de Rupe Scissa, Savanarola, Morienus, Rogerius, Tritemius, Frater Basil. Valentinus. Paracelsus illam traxit in usum Medicinæ, nec negat hanc artem didicisse à dæmone adjutum, ab Avicenna in inferno. Sed sine dæmonis imposturis valuit per illam plura invenire medicamenta, quæ nobis ex usu sint, sine aliis ludicris & impiis, quæ illis commiscuit, qualiter & inter Juniores consequuntur Quercetanus, Hartmanus, Beguinus, Schrœderus, Hamyfinch. & alii plures.

Probatur *quartò* necessitas retinendi intra officinas Medicinæ Dogmaticæ medicamenta Spagyrica, non solùm quia utilia, & necessaria sunt Dogmaticis, à quibus tantùm debent ordinari; sed quia si permittatur ipsis Spagyricis, agyrtis, fumivendulis, & aliis deperditis hominibus illorum usus, cùm deficiat illis Medicina Dogmatica, quæ modum utendi docet, & ipsa sint potentiora, in pericula & mortem ægros properant. Ergo ad hæc vitanda, Spagyrica remedia in sola Pharmaceutica officina debent permitti, & à solis Medicis Dogmaticis applicari.

§. III.

Impietates Paracelsi, quas seminavit, ut dæmoni mancipatus, rejiciendæ à Dogmaticis.

RESolvendum *secundò*, quod abominandæ Paracelsi propositiones, quas tanquam necromanticus sparsit in suis scriptis, rejiciendæ & abominandæ sunt.

Probatur *primò*: ut tenet P. Joannes Roberti, *Nemo unquam fuit magus, necromanticus, veneficus, si Bombastus non fuit.* Sed maleficorum, & necromanticorum opera, & dæmoniacæ doctrinæ, ac prolata & scripta, condemnata sunt tanquam provenientia à dæmone, in sacra Pagina, in variis Conciliis, in Jure Canonico, in variis Constitutionibus Pontificum, in Jure Regio Hispaniæ, in catalogo Librorum prohibitorum, ut latè prosequitur Torreblanca *de jure spirituali, lib.* 11. *cap.* 7. Ergo prolata à Bombasto, ut magicus est, ab usu Dogmaticæ Medicinæ, quæ nobis à Deo data est, rejicienda, & exterminanda sunt.

A Probatur *secundò* ex communi consensu eorum, qui illum magicum fuisse attestantur, & impium, dæmonique associatum, ut patet apud Erastum, & præcipue apud Scunertum *tom.* 3. ubi pluribus rationibus nostram confirmat propositionem. Tum Socispus in vita Operini, qui illi per duos annos fuit consocius, refert audivisse ab Operino, quod Paracelsus is fuit, in quo nullam unquam invenit nec pietatem, nec eruditionem; quod erat totis diebus, & noctibus ebrietati & crapulæ deditus; nunquam orabat, nec curabat sacra. Papam & Lutherum concordes redditurum promittebat, & alia impia de illo refert Operinus. Tum Georgius Verterus tenet de illo, quod fuit Magiæ nefandæ studiosus, & cacodæmonem non aliter quàm socium nominare consuevisse; refertque, quod nihil aliud metuebat, dum esset ebrius, qualis erat frequenter, quàm ut agmen diabolorum accerseret; & monenti huic, ut abstineret à dæmonis consortio, respondebat se non multò post receptui cantaturum. Ex quo convincitur, quàm impiæ fuerint ejus cogitationes & mores, & indignæ ut recipiantur illius magicæ propositiones.

Probatur *tertiò* ex Joanne Roberti, qui ex libris Paracelsi plurimas coadunavit propositiones ab ipso prolatas, quæ demonstrant, fuisse prolatas tanquam ab homine impio, necromantico, dæmoni mancipato, quæ exterminandæ sunt à Dogmatica, Rationalique Medicina, quæ donum est Dei, hominibus condonata in subsidium salutis humanæ: inquit enim P. Roberti contra Gocleanum, *sect.* 12. claritatis causâ, impia ejus dogmata proponamus, quæ sic prosequitur in vita Paracelsi per plures propositiones.

Prima: Quatuor sunt genera hominum, qui ab Adamo originem non ducunt, quorum alii igne vivunt, alii in aëre, alii in terra, alii in mari: vocantur ij Nymphæ, Sylvani, Salamandræ, &c.

Propositio *secunda*: Sermonem, & reliqua omnia homunculi isti habent cum reliquis hominibus communia, excepto quod animam habent mortalem.

Propositio *tertia*: Ineunt conjugia cum hominibus, qui ab Adamo ducunt originem, & liberos procreant.

Propositio *quarta*: Per istiusmodi conjugia efficiuntur eorum animæ immorta-

mortales, & participes redemptionis A
Christi.

Propositio *quinta*: Tales homunculos esse certum est; nam Bombastus eos vidit, & familiariter cum eis egit.

Propositio *sexta*: Morborum hyperfiphycorum curatio frustra à natura petitur, sed petenda est à dæmonibus, per applicationem sigillorum, & characterum.

Propositio *septima*: Nihil refert à quo remedium petatur, modò curetur B
æger, etiamsi ab immundo spiritu. Hoc enim Scriptura ipsa approbat, *Salutem ex inimicis nostris.*

Propositio *octava*: De curatione morbi magico artificio inflicti, nihil est in Avicenna, nihil in Galeno: qui ut non scripserunt, ita nec sciverunt de iis rebus quicquam. Debeat igitur Medicus quandoque accedere ad vetulas, sagas, rusticos, circunforaneos, & ex iisa rtem istam addiscere. Nam ii de iis rebus C
plus sciunt, quàm Academici Professores omnes.

Propositio *nona*: Etsi hæc rideant Academiæ Professores; tu tamen eis utere forti imaginatione, & effectum experieris.

Propositio *decima*: Si quis supernaturali morbo, aut dolore vexetur, magico remedio malum tolli debet, quale est introductum.

Propositio *undecima*: Hujusmodi curationes Magieæ non sunt contra Deum, quia iis utimur non ad perniciem hominum, sed ad salutem. D

Propositio *duodecima*: Fac ceream imaginem similem ægroto, adhibitâ certâ fide, & vehementi imaginatione, fore ut per illam sanetur. Adde magicas precatiunculas, ac denique imaginem in ignem injice. Hæc omnia audacter crede, & fac, nec floccifacias, quæ ad hæc dicunt Theologi. Hæc impia, dæmoniaca, & ludicra collegit P. Joannes Roberti: ex quibus convincitur, impietates Paracelsi abjiciendas esse à Medicina Dogmatica. E

Probatur *quartò* ex imposturis à Paracelso proponendis & refutandis, ex quibus convincitur, eas rejiciendas ab usu Medicinæ Dogmaticæ, à Deo nobis condonato, & ab ejus Professoribus; quamvis essent utiles pro aliquibus auferendis morbis; quia, ut inquit D. Augustinus *serm.* 241. *de tempore: Permittit Deus ad probandum Christianum, ut interdum per sacrilega remedia aliquid opis sentiant: sed qui religionem Christianam custodire desiderat, tota animi virtute illa contemnit.*

RESOLUTIO III.

Utrum Spagyrica remedia sint præstantiora remediis Dogmaticorum.

§. I.

Proponuntur Artifices, & eorum præparationes.

Medicina Dogmatica, aut est scientifica, sistens in theoria; aut progreditur in suum finem, qui est curatio. Hæc perficitur per tria instrumenta, per Diætam, Chirurgiam, aut Pharmaceuticam. Pharmacia est ea Medicinæ pars, quæ per medicamenta absolvitur, estque ars, quæ docet modum medicamenta seligendi, præparandi, & miscendi. Sumuntur medicamenta ex mineralibus, vegetabilibus, & animalibus. Præparant illa duo Artifices, Pharmaceutici, & Spagyrici. Pharmaceutici sunt Ministri Medicinæ Dogmaticæ, qui juxta Dogmaticorum præcepta, medicamenta eligunt, præparant, miscent, reservant, & præstant pro usu. Spagyrici sunt etiam Artis ministri, qui Chimiæ præceptis contendnnt, præcipuè vi ignis, elevare medicamenta in majorem agendi potestatem, utilioremve, ac faciliorem utendi modum. Unicuique horum suus est agendi & præparandi modus; sed unus finis præstantior, præparatio & utilitas pro curandis morbis, quam ambo sibi arrogare contendunt.

Præparantur medicamenta à Dogmaticis Pharmaceuticis per varias operationes, ut usui & compositioni fiant aptiora, vel gratiora, vel validiora, vel salubriora, vel magis miscibilia. Fiunt præparationes à Dogmaticis communiter coctione, lotione, infusione, triturâ: à Recentioribus etiam adduntur, lotio, purgatio, infusio, humectatio, maceratio, dissolutio, clarificatio, emollitio, colatio, extractio, solutio, digestio, fermentatio, tritura, pulverizatio, confricatio, rasio, limatura, fissio, coctio, calefactio, ustio, frixio, assatio, liquatio, putrefatio, insolatio, extinctio, refrigeratio, despumatio, digestio, mixtio, fartura, extractio, conservatio, duratio: per quas operationes sua Dogmatici perficiunt Dogmatica medicamenta; sicut Spagyrici per alias, quas ut

ut proprias eligunt, quales sunt calcinatio, digestio, fermentatio, destillatio, circulatio, cohobatio, rectificatio. *Cohobatio est reiterata destillatio. Quæ per prædictas præparationes perficiuntur medicamenta, oportet asservari in Pharmacopœis Dogmaticorum, ut ibidem reservata præscribantur à Dogmaticis Medicis, juxta indicationes desumptas à morbo, & ejus causis, pro eorum exhibitione, ne ineptè à vafris agyrtis, fumivendulis, circulatoribusque vendantur.

Inter sic pro usu reposita medicamenta, est controversia inter Dogmaticos, & Spagyricos, qualia sint judicanda præstantiora. Dogmatici sua præferenda esse contendunt. Tum quia antiquior eorum est origo, & experientia. Tum quia à natura, illorum virtutes pro usu veræ Medicinæ sunt à Deo nobis condonatæ; creavit enim Deus Medicinam de terra, idest de virtutibus eorum, quæ creantur in terra. Tum quia hujusmodi virtutes sunt naturales, reliquæ violentæ, & ab arte factæ. Tum quia virtutes naturales sunt securiores, & curatio debet fieri citò, tutò, & jucundè. Medicamenta autem Spagyrica pleraque sunt venenata, naturæ humanæ aversa, ut sumpta ex mineralibus, & metallica: alia sunt aëria, alia corrosiva, alia caustica, alia ab ignis empireumate, ustiva. Tum medicamenta Spagyrica elaborantur vi ignis, à quo propriæ virtutes resolvuntur, & quasi emortua fiunt medicamenta, corruptis propriis formis. Tum quia metallica remedia, & mineralia, dissipant nativum calorem, & nocumenta inducunt in partibus principalibus nostri corporis. Ergo Dogmatica remedia Spagyricis sunt præstantiora.

Spagyrici verò sua præstantiora esse remedia contendunt. Tum, quia activiora, majori arte parata, & majori agendi vi prædicta. Tum quia valent curare morbos, ad quos curandos non sufficiunt medicamenta Dogmatica. Tum quia applicantur in minori dosi, & sumuntur in pauciori quantitate. Tum quia non obstat quod aliqua fiant ex venenosis metallis, quia ab ipsa arte nudantur a venenositate materierum, ex quibus fiunt. Tum quia non obstat præstantiæ Spagyricorum remediorum, quod aliqua aeria evadant; eadem enim sunt salubriora, sicut & alia non Spagyrica; & licèt corrosiva sint, debitè

A tamen propinata conferunt, ut apparet in quinta essentia vitrioli, quæ alexipharmacum redditur utile, sicut allium, cepa, & alia medicamenta Dogmatica. Tum quia medicamenta Spagyrica non sunt reprobanda, quia vi ignis proprias amittunt formas, fiunt cadavera, & ablatis propriis formis, propriæ etiam pereunt virtutes, per quas induunt rationem medicamentorum. Nam Medicina Dogmatica sua præparat remedia per varias operationes, quæ interturbant præ-

B parandorum compositionem, & mixtionem: immò & ipsas substantias nutrientes corpora nostra immutat, & transmutat assatione, coctione, & destillationibus: nec per quaslibet transmutationes, aut alterationes, adhuc amissis formis, amittuntur virtutes. Elaterium enim manducatum à capra, masticatum, transmutatum à ventriculo in chilum, à jecore in sanguinem, à mammis in lac, suas tamen virtutes retinet ad infantes purgandos. Ergo hæc non

C obstant pro præstantia Spagyricorum medicamentorum, respectu Dogmaticorum.

§. II.

Sancitur qualis cuivis medicamento sit sua præstantia præ reliquis.

RESolvendum, quod in unoquoque morbo præstantiora sunt medicamenta Dogmatica, quàm Spagyrica, vel econtrà, quantùm magis hæc, aut illa sunt indicata à morbo.

D Probatur *primò*: Contingit quod in morbis, sint indicata sola medicamenta Dogmatica, & securiora in eisdem; in diversis temporibus sint indicata fortiora, & Spagyrica remedia. Sed juxta has indicationes variatur occasio utendi remediis Dogmaticis benignioribus, aut Spagyricis & fortioribus. Ergo dum quævis eorum sunt indicata, præstantiora pro illo morbo erunt Dogmatica, aut Spagyrica remedia pro morbis curandis.

Probatur minor. Tum ex Hippocra-

E te, docente quod *extremis morbis extrema & exquisita remedia sunt adhibenda*. Sed Dogmatica sunt benigniora, Spagyrica magis extrema. Ergo prout fuerint indicata, erunt præstantiora. Tum quæ præstant spem proficiendi in curatione, præstantiora sunt, & debent eligi, etsi sint periculosa; quia dum unica via salutis est, etsi periculosa, tentanda est. Ergo etsi Spagyrica reme-

dia sint violenta, dum non sufficiunt benigniora Dogmatica, hæc præstantiora judicanda. Tum si benigniora remedia sufficiant pro morbo curando, præstantiora judicanda fortioribus Spagyricis; quia curatio perit fieri tutò, & jocundè. Tum si benigniora remedia non sufficiunt pro curatione, jam non sunt indicata, nec ex usu, & fortiora indicantur. Ergo hæc sunt præstantiora, quia Celsus *capite de esthiomeno: Unicum*, inquit, *remedium restat, etsi miserabile, ut scindatur pars. Sed quid interest, quod miserabile sit, si hoc unicum est?*

§. III.

Solvuntur discordes opinantium sortes.

AD opinantium rationes dicimus, quod juxta Hippocratem, pro benignis morbis benigniora indicantur remedia; extrema verò pro morbis extremis; & prout magis indicata, magis sunt utiliora benigna, ne ulteriùs noceant; quia nullum remedium ita tutum, quod aliqua ex parte non noceat: extrema fortiora, etsi exquisita; quia pro extremis morbis benigna remedia non sunt indicata, quia nullus est jam eorum usus.

RESOLVTIO IV.

Utrum à materiali rerum causa fiant sympathicæ curationes.

§. I.

Hujus, & sequentium Resolutionum proponitur dubitandi ratio.

PAracelsus gloriæ cupidus, in fallendo cautus, ut suam Sectam redderet plausibilem, ut plebem falleret, & incautos infatuaret, plura promittit remedia ad res impossibiles, per quæ morbos à Dogmaticis incurabiles judicatos, à suis remediis posse devinci promittit: contendit quod datur quoddam universale remedium, à quo unico omnes morbi possunt curari: promittit remedium cum quo senes retrorrahantur ad prægressas ætates: ipsemetque non veretur affirmare, homines immortales posse reddi; & licèt à nullo hæ experiantur imposturæ, & ipse anno ætatis quadragesimoseptimo vitam cum morte commutarit, non valente ad id suorum secretorum adjuvamine: sui tamen Sectatores, licèt non contendant per experientias has comprobare ineptias; contendunt tamen per ludicras rationes illas sustinere, quæruntque confictas virtutes, & pro suprà promissis, & pro unguento Armario sustinendis, easque vocant Magneticas, ut occultatæ novis figmentis, & nominibus, videantur aliquam præstare fidem pro promissis, & non adimpletis à suo Magistro, de quibus subsequenter disputabimus, & primò an illæ possint supervenire à causa materiali rerum naturalium.

§. II.

Varia proponuntur principiorum placita pro ente naturali.

JUxta varia placita principiorum entis naturalis, varia etiam assignantur principia materialia.

Prima opinio est Roberti Huddi, qui inter Juniores duas tantùm admittit entis naturalis causas, lucem, & tenebras: & ut tenet Gassendus *tom. 3. in examine Philosophiæ Roberti Huddi*, per lucem intelligit universale agens, formaleque omnium principium, quod vectum purissimo spiritu, universam molem pervadit. Per tenebras intelligit patiens, seu materiale principium, ex quo omnia compinguntur. Gassendus hæc duo principia considerat in triplici statu, sive in abstracto concepta, vel ut sunt quoddam aggregatum, seu radicalis entitas, sine determinatione ad res naturales. Sic lux & tenebræ adhuc increatæ sunt, & hæc lux nondum creata, adhuc dicitur esse in tenebris, donec à Deo fiat, & manifestetur. Dum lux, & tenebræ considerantur extra illum statum præcisionis, sunt principia entis naturalis, quod fit ex luce, tanquam à principio formali, à quo habet esse; & à tenebris, tanquam à materiali; quia ab illo nihilo, seu tenebris, recessit ad lucem.

Ardua hæc sunt, ut intelligantur, & intellecta nihil ponunt in re, nisi laborem eorum, qui tempus in illis conterunt; sed semper relinquitur, quod tenebræ sunt nihil, & ex nihilo nihil potest fieri, quod subsistat in illo; nec ex hoc modo philosophandi potest deduci, quod sit in ente aliquo naturali aliquod, ex quo subsistant aliquæ reales sympathicæ virtutes.

Secunda opinio potest esse Paracelsistarum, qui tria principia materialia admittunt,

mittunt, ex quibus fit quodlibet ens naturale, quæ sunt sal, sulphur, & mercurius. Sed cùm in omni ente naturali sint, & virtutes sympathicæ non reperiantur in omnibus, coguntur recedere ab hoc principio, & alias quærere causas illarum virtutum productivas, de quibus infrà.

Tertia est communis doctrina, ex Aristotele sancita, quod sint tria principia entis naturalis, materia, forma, & privatio: quarum materiale principium est materia prima, & hoc nequit esse, à quo proveniunt sympathicæ proprietates mixtorum; quia cùm eadem sint in omnibus, eædem simul essent proprietates; & quia nihil activitatis illi tribuendum, cùm tantùm habeat, quod sit pura potentia passiva ad recipiendas formas, nihil activitatis sustinens, ratione sui.

Quarta opinio est aliorum, qui pro generatione mixtorum duo admittunt principia, & formam mixtam substantialem, & materias omnium elementorum, in quibus præcesserunt formæ simplices, à quibus sigillatæ manent, potentes ad determinandam formam, ut in unaquaque producat qualitates debitas formæ simplici, quæ præcessit in illis, ut latiùs demonstravimus *tom. 1. Resolut. Medic. disp. 2. sect. 2. de remanentia elementorum in mixtis.* Et juxta hanc opinionem magis disputari posset, an ab hoc materiali principio proveniant sympathicæ facultates, cùm & ab illo dicantur provenire primæ, & subsequentes aliæ qualitates, quatenus cogit formam ad illas producendas. Sed nec ab hoc fiunt principio materiali; nam sicut ab illo in omni mixto fiunt modo dicto omnes manifestæ qualitates; similiter esset fatendum, fieri sympathicas: quod à nemine experitur, nec est qui in hanc inciderit opinionem.

Quinta opinio inter vetustiores fuit, quod materiale principium entium naturalium, sunt atomi, cujus primi Authores fuerunt Leucippus, ejus discipulus Democritus; & post illos maximi tutelares fuerunt Epicurei, qui cùm nequirent assentiri Aristotelis opinioni de tribus principiis, atomorum sustinuerunt opinionem, tenentes duo esse principia concretorum, atomos, & inane. Hos atomos vocant indivisibiles, fortissimos, ejusdem naturæ; habere tamen magnitudinem, figuras, gravitatem, & unum esse alio majorem. Ex atomorum conjunctione tenent res omnes generari, segregatione corrumpi, & rerum proprietates originari ab ipsis vario modo agitatis, conjunctis, aut segregatis; ab eorum gravitate res moveri, & juxta varias eorum figuras & proprietates, varias oriri proprietates mixtorum. Ideò licèt Paracelso sui adhæreant Sectatores, aliqui tamen superaddunt, quod præter compositionem à Paracelso illis tributam, à cujus principiis non sumitur ratio ad inveniendas proprietates, quæ ab illis finguntur, & sympathicæ dicuntur, admittunt compositionem aliam priorem atomorum, à quibus, tanquam à primo materiali principio, possunt oriri sympathicæ proprietates ab illis confictæ. Ratio eorum est, quia in inanimatis relucent stupenda effecta, quæ à solo temperamento proveniunt. Ergo in brutis judicare, meminisse, appetere, fugere, & alia similia, possunt provenire ab eorum temperamentis ortis ex varietate atomorum, ex varia eorum figura, positione, & natura. Ergo multò meliùs ab eisdem atomis diverso modo ordinatis, commixtis, aut coadunatis, poterunt in mixtis produci sympathicæ variæ, ac diversæ occultæ, & incognitæ qualitates, seu proprietates.

§. III.

Abolita atomorum opinio rejicitur, & quæ intenduntur deduci ex ipsa.

RESolvendum, quod suscitata atomorum opinio pro entium principio, suscitat Atheismum, & comprobat impietatem admittentium illam.

Probatur falsitas admissi hujus principii rerum naturalium. Tum quia recepta opinio atomorum à Leucippo & Epicureis, confutata fuit à reliquis omnibus Philosophorum Sectis. Tum quia ita ab Aristotele fuit confutata, ut post ipsum per omnes ætates fuerit rejecta ab Scholis. Tum ita adhæret animis Aristotelis vera doctrina de principiis entis naturalis, ut omnes Rationales Philosophi illi adaptentur. Tum quia Theologia vera omninò coacta est recedere ab illo errore. Tum quia ex illo incidendum in Atheismum, & in animæ mortalitatem; immò non esse in rebus aliquam animam, fatendum. Tum quia ablatâ animâ à viventibus, & anima rationalis auferenda ab homine, & peccatum, & meritum, & metus inferni, & spes

spes divinæ fruitionis, & gloriæ æternæ cum Deo. Ergo qui novam suscitant hanc imposturam, alieni sunt à vera religione, & Paracelsum tanquam necromanticum sequuntur, impiumque dæmonis consocium. A

Probatur *secundò* falsitas hujus erroris contra Epicureos authores illius, Lucretium & alios. Si omne ens naturale sine alia forma componitur ex atomis, cùm ab eisdem fiat omnis entis naturalis conformatio, in omni ente naturali erunt eædem actiones ortæ ab eodem uno principio. Sed in omnibus ferè diversæ apparent. Ergo alia sunt diversa principia illorum. B

Respondet coactus quidam Author, quod compositio entium naturalium fit ex atomis; actiones verò illorum omnes fiunt à solo Dei spiritu incumbente in aquis, qui spiritus est incorruptibilis, æternus, & infinitus, & ideo aptus operari actiones omnium rerum naturalium.

Sed hic negat meritum, & demeritum operationum in homine, & omnem illi aufert spem, & metum salvationis. Tum aufert à rebus naturalibus omnem vim agendi, cùm omnis actio fit à solo illo Dei spiritu. Tum aufert omnes scientias inquirentes rerum causas, cùm hæc una detur causa omnium operationum. Tum non est cur ignis calefaciat, & aqua frigefaciat; cùm ab hoc spiritu solo fiat calefactio, & refrigeratio. Tum frustra laborant Medici in quærendis variis remediis, cùm ipsa nihil agant, sed solus Divinus Spiritus. Tum frustra homines laborant in vitandis causis, à quibus possunt lædi, aut periclitari; cùm nulla ab illis possit provenire læsio, nec à veneno, leone, aut serpente mors. C D

Probatur *tertiò* impossibilitas generationis entis naturalis, si ex atomis fieri deberet. Tum quia supponunt, quod sunt principium passivum, & quod tale solùm habet vim recipiendi aliud, non aliquid agendi: nec in illis assignatur quid est quod agit. Tum, si fiat generatio concursu fortuito, ex illo possent coadunari varii atomi in figura, quantitate, duritie. Sed à quo hæc uniuntur in corporibus heterogeneis, juxta diversas partes, & organizationes? Tum, quæ produci tenent ex atomis, differunt specie; ideò quærendum, unde variæ rerum fiant species? Ab atomis enim potest densitas, aut levitas partium fieri; sed quod sit homo, leo, aut piscis res E producta, ab alio fieri petit. Tum in uno horto variæ plantæ crescunt & diversæ, juxtà positæ, cum diversis modis substantiæ; & in eodem corpore variæ diversæ partes, quæ ex diversis atomis densioribus, aut crassioribus petunt coadunari. Sed non apparet ratio, quare sic fortuitò attrahantur. Ergo admittendum aliud principium non fortuitum, activum, & selectivum fortuiti concursus.

§. IV.

Solvitur communis atomorum ratio proposita.

AD ludicrum fundamentum quoad atomorum ineptias: Respondetur, quod quæcumque portentosa, & effectus qui proveniunt in mixtis & viventibus, proveniunt ab eorum formis substantialibus, mediis potentiis earum, sine atomorum aliqua actione, quæ solùm ficta à nebulonibus judicata est possibilis, ab illisque qui in solis imposturis tempus conterunt.

Resolutio V.

Utrum sympathicæ operationes proveniant ab anima cœli.

§. I.

Proponitur ratio recurrendi ad animam cœli à Paracelsistis.

CUm Paracelsus à dæmone instructus, in varias se ingesserit curationes rationi, & experientiis contrarias, ejus Sectatores, ut aliquas pro illis adaptent invasiones, partim recurrunt ad ludicras & jam confutatas antiquorum opiniones, partim sua insomnia manifestant, & nuda fronte proferunt quædam absurda, à quolibet rationali homine irridenda; sed nec convincenda, cùm contra chimæricas fictiones nulla subsistant fundamenta. Cùm igitur qui recurrunt ad atomos tanquam ad materiale principium rerum, & suarum operationum, nequeant ex hac suscitata opinione id suadere; alii recurrunt ad formale principium, asserentes cum Pythagora & Platone, mundum esse corpus animatum, & ab ejus anima omnes componentium illum provenire operationes, simul & operationes sympathicas, ignotasque morborum curationes, ut diximus *in hoc tom. 5. sect. 1.*

si

si quæ dentur in rebus, ut fingunt impostores.

Vetusta controversia de anima mundi à Catholicis jam expulsa, fuit ab aliquibus Paracelsistis suscitata. Inter antiquiores & Juniores non eodem modo sustinetur, ut Conimbricensis, & Gassendus valdè prosequuntur. Chaldæi primi mundum esse animatum sanciverunt. Plato acerrimus fuit illorum defensor. Græci, & Ægyptii celebriores eam amplexi sunt doctrinam non eodem assensu. Alii mundum magnum docebant esse animal una anima animatum. Alii pro singulis orbibus singulas assignabant animas: alii pro unaquaque stella: alii solam animam intelligentem admittebant: alii altricem in mundo cœlesti. Cœlos, inter Judæos, esse animatos, tenuerunt Philo Judæus, & Rabi Moses: inter Arabes Avicenna, Algazellus, Alpharabius, Albumazar, Ptolomeus: adhæserunt illi, & illi plurimi Astrologi, nec discessit Origenes. Distingunt alii tres coordinationes rerum in hoc mundo; aut ex partibus mutuò dissitis, cum quadam relatione, ut in exercitu; aut ex cohærentibus solùm, ut in ædificio commixtis; aut in commixtis, & coalitis, ut in partibus animalis. Primam, & secundam coordinationem in partibus mundi fatentur omnes: de tertia dubitatur, an sit in rebus per mundi animam. Sunt qui admittant in mundo quandam vim per totum mundum diffusam, sicut stat anima in animali: hanc vocanr mundi animam, admittuntque cum Pythagorà, Platone, & Stoïcis. Maximè adhærent iis aliqui chymici, & hanc vocant cœlestem naturam; & in iis maximè hæreticis se inferunt, & ab hac suas effectuum occultorum nugas protrahunt hujusmodi animam admittentes. Aliqui animam mundi concipiunt esse quandam substantiam tenuem per mundum diffusam, non simplicem, sed compositam ex una simplici, sed incorporea, & altera impuriori.

§. II.

Quæ suadeant mundum esse præditum anima.

Licèt pro impostoribus nulla forent quærenda fundamenta; quia tamen isti conantur suas fulcire ineptias in tantorum virorum antiqua opinione, horum proponemus comprobantes rationes. Tum *primò*, mundus generat hominem, & reliqua sensibilia. Ergò est sensibilis; quia impossibile est, sensibile generari ab insensibili. Tum *secundò*, corpus nostrum est vivens, & pars mundi. Ergo vivit mundus, aliàs non viverent illius partes. Tum *tertiò*, mirabilia quæ fiunt in mundo hominis; & rerum reliquarum conformatio, innumeræ mirabiles animalium & reliquarum rerum operationes, antipathiæ, sympathiæ, caloris dispersio per omnes res, corporum cœlestium mutationes, & influxus, nequeunt fieri sine causa efficiente, quæ in hoc mundo nulla posset dari, si mundus per suam animam has non produceret operationes. Tum *quartò*, vivunt astra, & cœli; & idem fatendum de reliquis creatis in mundo. Patet antecedens; nam per illa communicatur vita inferioribus: & sicut talis influxus vivificat inferiora, similiter & superiora recipientia illum.

§. III.

Quicumque ab ethnicis, & maleficis deviant, coguntur deviare ab anima mundi admittenda.

Resolvendum, quod à solis ethnicis & necromanticis circulatoribus potest suscitari antiquorum opinio admittens mundum informari per animam; quæ sit aliud à Dei præsentia.

Probatur ex Catholicis, qui eam reprobarunt, & rejecerunt, inter quos Damascenus *lib. 2. Fidei Orthodoxæ cap. 6.* ubi inquit: *Nullus cœlos, aut sydera animam esse existimet; anima quippe ac sensu carent.* Sic tenent D. Cyrillus *lib. 2. contra Iulianum*, Divus Ambrosius *lib. 2. Hexaëm. cap. 4.* Divus Basilius *homilia 3.* Lactantius *lib. 2. cap. 5.* Divus Augustinus *in lib. de duabus animabus*, D. Hieronymus *super Deuteronom. 32.* & simul citati à Conimbricensibus. Divus Thomas *1. p. quæst. 70. art. 3.* Alensis *2. p. quæst. 87. membro 3. cap. 4.* Albertus *tract. de quatuor cœlis, quæst. 4. art. 25.* Bonaventura *in 2. dist. 14. quæst. 2.* Durandus *ibidem, quæst. 2.* Ochamus *quæst. 12.* Ægidius *quæst. 3.* & de cœlis admittunt alii Theologi de anima assistente, non informante, ut tenuerunt Ethnici.

Probatur *secundò*: Si anima requiratur in mundo, maximè ut recipiat ab illa suum esse, ut tenent Platonici. Sed ad hoc non; nam ante animam, aut mundus habuit esse, & ad suum esse non

non indiguit illa: si post suum esse recepit animam pro illo, & cœpit tunc esse, aut tunc natus, aut factus fuit: si natus, aut ex parentibus, aut spontaneo ortu: si sponte ortus, aut casu, aut ex certo consilio: si sponte, sine omni providentia ortus: si consilio, præcessit providentiæ consilium ab aliquo authore conformante. Non ergo ab anima fuit formatio mundi; quia cùm illa sit mundi pars, ipsa ab eo qui mundum formavit, fuit facta, sicut & mundus; quia totum sunt suæ partes simul.

Probatur *tertiò*: Anima est quâ vivimus, sentimus, ac intelligimus. Sed mundus non hæc exercet, sed viventia, quæ sunt in illo, ut ex eorum convincitur operationibus. Ergo illa sunt viventia, & non reliquæ partes mundi.

Probatur *quartò*: Anima est actus corporis unius physici, organici. Sed hæc non sunt in mundo: tum quia non est unum corpus, sed tot quot sunt ejus individua: tum quia individua hujus mundi habent esse individua, & sub tali specie, à propria, individua, & specifica sua forma. Tum quia, si omnia quæ sunt in mundo informantur à sola forma mundi, esset unicum individuum per omnia quæ continentur in illo, simul informata ab unica ejus forma: si simul ab aliis formis, & animabus informarentur, facerent unum ens per accidens, & non unum animal, quod à determinata formâ habet totum suum esse recipere; cùm forma sit quæ dat esse rei. Tum illa anima non esset una, sed multiplicata in diversis entibus; unde essent tot animæ quot viventia. Tum si corrumpantur partes mundi informatæ per mundi animam, ut in lignis, & brutis, anima in illis aut subsistit incorruptibilis, & est rationalis; aut corrumpitur, & mundi anima per partes desinit esse.

Probatur *quintò*: Adhuc si mundus esset animal informatum propriâ animâ, nihil concludunt innovatores pro suis operationibus Magneticis. Tum quia si fiunt ab anima mundi, frustra fingunt sua unguenta, & alia medicamenta, ut unguentum armarium, & aquas vitæ; cùm ab ipsa anima mundi fiant tales operationes. Tum quia si fiunt ab anima mundi, cùm ipsa informet totum mundum, per totum illum eas spargeret sine ope Maleficorum, & agyrtarum, à quibus venduntur. Tum sine anima mundi reperiuntur causæ, & facultates entium naturalium, à quibus possibiles operationes constat provenire. Tum impostores & agyrtæ, qui recurrentes ad mundi animam, promittunt operationes ludicras & confictas ineptias, in solis promissis sistunt, solùm per palinodias, tanquam circulatores, fallentes vulgares mulieres, & simplices incautos. Ergo frustraneus est recursus ad mundi formam, de qua Capreolus & plures Sancti, Synodusque generalis Constantinopolitana, affirmantem opinionem damnant, reponuntque inter Origenis errores.

§. IV.

Solvuntur rationes foventes mundi animam.

AD fundamenta pro anima mundi: Respondetur. Tum pro *primo*, quod homo, & reliqua sensibilia generantur in mundo, non ab ipso mundo, sed à Deo, & aliis causis, quæ si petunt esse sensibilia, hoc habent à propriis animabus, non à mundi anima. Tum pro *secundo*, quod corpus nostrum est vivens, & vivit in mundo non per mundi animam, sed per illam quæ illud informat, ut sit vivens adintegrans mundi creaturas. Tum pro *tertio*, quod mirabiles actiones, quæ fiunt in mundo, habent mirabiles facultates, à quibus proveniunt, quæ non sunt facultates animæ mundi, sed particularium animalium, & formarum rerum, quæ mundum adimplent, non tanquam partes informatæ per unam mundi animam, sed per animas & formas mutuò inter se diversas. Tum pro *quarto*, quod nec astra, nec cœli vivunt, nec recipiunt animas vivificantes, sed quasdam dispositiones quæ in inferioribus possunt prodesse, ut animæ producantur; non tamen in cœlis, qui licèt possint recipere influxus, non sunt capaces animarum.

RESOLUTIO VI.

Utrum in unguento Armario aliqua sit virtus sympathica, aut magnetica ad vulnera curanda distantia.

§. I.

Proponitur quid sit unguentum Armarium, & miraculosæ virtutes illi adaptata.

INter miraculosas, & sympathicas virtutes, quas Paracelsus tentavit introducere, sunt quas vocat sympathicas, ortas

ortas ex unguento Armario, quas refert, & extollit Gocleanus; oririque affirmat ex spiritu balsamico, qui ab illo vocatur vector, vehiculum, vinculum, potentiarum occultarum vehiculum, spiritus lucidus, mundi, & cœlorum vector, vis cœlitus demissa, virtus non semper sui similis, mundi spiritus, infusus spiritus, unus, continuatio, divinus spiritus, spiritus intermedius inter cœlum & sublunaria, vaporve mediæ cujusdam naturæ inter corporatas, & incorporatas substantias, qui spirituales actiones in se recipiat, aërique repræsentet; cùm sit corporeus, contactu suo realiter alteret, divina, magica, superior, sublimor causa. Hæc colligit Joannes Fabri ex Gocleano, ejusque adductas pro hoc spiritu laudes superaddit, dicens quod affirmat de illo. Hic mundi & caloris existit vector, in totam universitatem diffusus, rebus singulis simul speciem, & nativum, vitalemque calorem impertit, gignendis illis accommodatum. Is est qui omnia continet, calore, vitaque fovet: hujus vi, & ope in anima quæque persistunt, & animata, seu quæque generis habent animam diversam. Sic tamen vis illa cœlitus demissa rebus sese accommodat: sic & plures alias superaddit laudes, ortas ex unguento Armario, medio spiritu balsamico. Ipsum tamen unguentum utile pro omni vulnere, adhuc distantissimo, receperunt, ut tenet Sitonus *tract.* 28. Isaias Manchisnero, Baptista Porta, Joannes Ernestus Burgravo, Vsualdus, Crollius, Daniel Bechero, Rodolphus Glekenius, Basilius Valentinus Monachus, Vvitrichius, Cardanus, Schenkius, Cornarius, Vvecherius, concorditer definientes unguentum; discordes tamen in illius compositione. Gocleanus verò ex omnibus suam profert sic compositionem.

℞. Usneam concretam in Calvaria furis suspensi, & in aëre relicti.
Mumiam veram.
Sanguinem humanum adhuc calentem.
Adipem humanum.
Oleum lini.
Terebinthinam.
Bolum Armenum.
Vel ex eodem Gocleano,

℞. Usneæ abrasæ ex cranio hominis violenta morte perempti: adipem verris aprugni, item ursi, lumbricorum terræ ex vino lotorum, inque pistoris fornace,

A olla tecta, torrefactorum, cerebrum aprugnum, aliquid santal. rubr. odorati, aliquantulum mumiæ, & hæmatitis, sanguinem, & adipem humanum: idem præstare affirmat quod suprà positum unguentum: de quo & similibus affirmant Paracelsistæ, quod si cum illis ungatur instrumentum vulneris sanguine occisi inspersum, vel quodvis aliud ferrum, aut lignum, etsi non applicetur parti vulneratæ, & æger sit per distantissimum spatium sejunctum ab ungnen-

B to, & per plurimas leucas, curatur magnetica vi unguenti. Superaddunt alii, ut tenet Gassendus *tom.* 1. *Practica, sect.* 1. *lib.* 6. non solùm unguentum Armarium, magneticum, & sympathicum dictum; sed & idem dicunt de pulvere ex calcantho, seu vitriolo calcinato, crebrò jactato; solere scilicet sanare vulnus distans per milliaria leucarum, si applicetur gladio, vesti, linteo, ligno, aut alii rei sanguine, aut sanie vulneris infectæ: qui suum figmentum suadere con-

C tendunt.

Primò ex variis naturæ occultis miraculis, variisve signaturarum effectibus, variis occultarum qualitatum operationibus, variis novis rerum eventibus à recentioribus recognitis, variis sympathiæ & antipathiæ inopinatis, & incredibilibus ferè expertis eventibus, quibus fides datur ab omnibus. Ergo etiam mirabiles eventus unguenti Armarii virtuti tribuendi sunt.

Secundò, aut nihil in humanis credendum, aut saltem fatendum id, quod

D percipiunt sensus circa propria objecta. Sed per sensus experientia demonstrat, quod plures curati per curationem unguenti Armarii, ejus virtute sunt curati, & ad sanitatem restituti. Ergo evidenter constat, quod est illi virtus magnetica vulnera sanandi, in quavis distantia, in qua vulnerati reperiantur.

Tertiò. Gocleanus maximus defensor hujus imposturæ, cùm non adinveniret comprobantem rationem, recurrit ad ineptias, & apparentes rationes, nihil

E significantes, nihil ad rem conducentes; sed ut infatuet legentium animos, proponit quod si non succedat promissum, non est defectus unguenti, sed ob ignorantiam conficientis illud, qui debet habere scientiam astralem, syderalem, magneticam, cognitionem scilicet proprietatum spiritualium totius naturæ, hoc est magni, & minoris mundi: & tenet hanc Philosophiam consistere, ut

tenet Vvecher. in sympathismo spiritus, sive animæ mundi communissimæ; & secretissimæ; in sympathismo, seu magnetismo; & antipathismo, seu theamedismo; quia theamedes lapis ferrum respuit: & utrumque per astralismum perficitur, mediante sinatrismo spiritus, sive animæ mundi communissimæ, secretissimæ, mysticæ. Et concludit pro infatuatis suis professoribus, quod unguentum, si non operetur, est defectu artificis idonei ad illud conficiendum.

Quartò, sine dæmonis ope, aut magiæ interventu fit curatio in distans ab unguento Armario per causas naturales. Ergo admittenda illius magnetica virtus. Probatur antecedens. Nam in ingredientibus est virtus unitiva partium vulneris; & in anima mundi, virtus quâ illa applicetur vulneri.

§. II.

Denegatur unguento Armario magnetica vis curandi vulnera.

Resolvendum, quod virtus magnetica ad curanda vulnera per inunctionem instrumenti conspersi sanguine vulnerati, est fictitia, ludicra, sine omni possibili naturali virtute in unguento Armario. Sic demonstrarunt Libavius, Joannes Roberti, Sitonus, & alii Catholici, & præclarissimi viri; comprobantque ipsum esse superstitiosum Paracelsistarum figmentum.

Probatur *primò* à Joanne Conrado de unguenti Armarii difficultatibus, qui probat illud condemnandum, tanquam superstitiosum. Tum *primò* à modo agendi sine applicatione debita ad passum. Tum ab inventore Paracelso; constat enim ex modo compositionis, quod non composuit illud ut chymicus, sicut alia plura quæ introduxit in Medicinam; sed tanquam magicus, sicut alia plura quæ dæmoni adjunctus disseminavit in agyrtas, & deperditos homines, ut constat ex suis fautoribus Goeleano, & Servio, & aliis, qui saltem ut propagatorem hujus impiæ credulitatis illum subscribunt, & nos de illius moribus & vita plura demonstravimus. Ratione ingredientium reprobatur Armarium unguentum; non enim sui sequaces acquiescunt in eisdem ingredientibus; & qui magis selectum illud intendunt proponere, illud componunt ex rebus superstitiosis, impiis, & futilibus, & à sagis pro imposturis dæmonis declamatis in suis conventiculis. Tum, ut patet ex Goeleano, plura superadduntur à sequacibus Paracelsi, quæ sunt ceremoniæ impiæ, necromanticæ, & superstitiosæ. Ponit gladium inunctum in loco mundo, & calido, ne inferat dolorem in vulnere per plures leucas distante. Telum priùs immersum in vulnere, immergit in unguento: in punctura jubet gladium ungendum à cuspide versùs capulum; in cæsura ab acie versùs tergum: tenet obligandum gladium secundùm illam partem tantùm, quæ in vulnere fuit. Quas imposturas, superstitiones, irrisiones, & nullius efficaciæ operationes in finem confictum nihil conducere ostendit Vvecherus *loco citato*. Ergo tale unguentum damnandum, ut superstitiosum, & sola ope Dæmonis valens operari.

Probatur *secundò*. Ex Sitonio varii morbi varias præstant indicationes curativas, per quas variant illorum remedia. Sed vulnera quæ possunt supervenire in corpore humano, sunt varia, diversa, & à quibus variæ sumuntur indicationes curativæ. Ergo non possunt omnes curari per unum unguentum Armarium, etiamsi aliquam haberet vim curativam aliquorum vulnerum. Probatur minor: Nam vulnera alia sunt venenata, alia non venenata. Ex venenatis variæ sunt differentiæ ab instrumentis, seu venenosis substantiis inficientibus illa. In non venenatis variant ætates, sexus, complexiones, dispositiones, aliorum morborum complicationes, regionum, & anni temporum intemperies, & mutationes. Tum sumuntur in vulnere variæ indicationes in variis temporibus, quæ non possunt unius medicamenti virtute corrigi, scilicet sistendi sanguinem, arcendi inflammationem, uniendi vulneris labra, extraneum extrahendi, abstergendi, pus laudabile conficiendi, carnem generandi, cicatricem inducendi: quæ virtutes requisitæ nec ab unguenti ingredientibus valent præstari, nec per instrumenti sanguine conspersi unguento applicationem aliquid operari in vulnere nudo ab omni remedii appositione: nec pro diversis temporibus vulneris possunt unguenti componentia mutari, ut applicentur suis temporibus.

Probatur *tertiò* ex communi omnium Rationalium evidentia convincente has ineptias. Supponunt unguentarii Paracelsistæ, quod sine applicatione ad vulnus,

nus, potest illud curare unguentum in qualibet magna distantia existens. Ergo supponunt unum impossibile, invertens ordinem naturalem rerum. Patet consequentia. Tum quia supponunt quod sine eo quod passum sit approximatum & intra sphæram activitatis agentis, possit ab illo recipere terminum suæ operationis, quod manifestè est falsum; quia cùm operatio sequatur ad esse, ubi non est esse, nequit esse ejus operatio. Tum, quia nulla est virtus naturaliter valens agere ultra sphæram propriæ activitatis; & nulla est in unguento Armario, quæ id possit, nec infinita, nec in longinquam distantiam valens operari facultas; omnia enim agentia naturalia, per virtutes naturales & determinatas agunt. Tum quia non constat, quid sit illud, per quod agit unguentum. Ad quod respondent, quod est qualitas corporis expers, & vis balsamica. In qua responsione cùm nihil sit significatum, infatuare contendunt, non autem respondere ad id quod æquè ignorant. Tum licèt in unguento esset virtus, quam fingunt, cùm non sit à quo deferatur ad vulnus distans, nec est ratio suadens quod sine illa curetur ab illa.

Dices cum Paracelsistis, quod per inunctionem unguenti in ferro aut alio instrumento consperso sanguine, fit extractio salis instrumenti, qui unitur cum spiritu sanguinis, ex quorum amicitia resultat sanitas in vulnere. Sed tot sunt figmenta, quot verba: quid enim sal habet cum spiritu? ubi datur spiritus in sanguine perfrigerato? à quo fertur illa virtus in vulnus? quid prodest hæc amicitia pro unione vulneris? quid pro reliquis implendis indicationibus?

Dices cum aliis Paracelsistis, quod non quærendæ sunt curandi indicationes, sed quod curetur æger; quia docuit eos Paracelsus, quod nihil interest si curetur æger, quod à Deo, aut ope dæmonis curetur.

Sed impia hæc responsio, blasphema, & à necromantico prolata, indigna est ut proferatur, nisi ab ipso dæmone, aut à necromanticis illi mancipatis. Tum quia nos non disputamus de dæmonis imposturis, aut potestate supra res naturales; sed de potestate agendi naturali unguento Armario attributa; si quid enim agit, dæmonis ope fit, non propria virtute.

Dices ulteriùs, quod unguentum Armarium non curat vulnera per qualitates manifestas, sed per occultas, nobis incognitas, & imperceptibiles, & quæ sine eo quod manifestentur nobis, possunt occultos producere effectus. Sed licèt fateamur, dari aliquas occultas qualitates, ut doctissimi admittunt Medici; in affectibus tamen impossibilibus non est recurrendum ad ipsas; nam non sunt admittendæ tanquam subterfugium ignorantiæ. Tum occulta rei qualitas non patitur contrariorum admixtionem, qualis requiritur pro vulnere curando, ut apparet in venenis, alexipharmacis, & aliis occulta vi agentibus. Tum quia omnia quæ occulta vi operantur, non transgrediuntur naturæ leges, ita ut possint operari non applicata passo, & ultra sphæram activitatis agentis naturalis.

Dices, quod est physicus contactus unguenti cum vulnere, medio unguento per spiritus ab ipso elevatos, qui ob sympathiam feruntur ad vulnus ductu spiritus mundi. Sed tam strenuus ductor cur non defert unguentum ad omnia ulcera, à quo fit talis motus impulsus? Cur per longam distantiam non aberrat? Cur durat spiritus sic elevatus? Cur non erubescit nugator, sperans quod debet contemni à Philosophis, qui debent tempus consumere in rebus seriis, in cognitione & contemplatione effectuum naturalium, & non in ludicris ineptiis, & chymæricis fictionibus maleficorum, qui magnetismum fingunt, & reliquas ineptias, ut pro uno impossibili salvando superaddant plurima.

Paracelsus magnetismum obumbrat cum occultis qualitatibus, ut impugnavimus suprà, quas reducit ad confictos atomos suprà impugnatos. Quercetanus magneticos admittit spiritus ab omni corpore elevatos, qui ferantur ad vulnus. Sed unde credit elevationem spirituum à corpore, in quo generantur? vel si velit elevari à vivente, cur credit eorum conservationem extra illud? à quo tenet ferri in corpus vulnerati? à quo foveri in illo, ut operentur? à quo habere virtutem medicamenti curantis vulnera? à quo moveri localiter ad vulneratum? à quo retineri, & applicari; & suscitari ad agendum, & ad variandas varias curationum operationes, quæ requiruntur pro vulnere curando in variis illius temporibus.

Probatur *quartò* Resolutio. Si unguentum Armarium communicaret virtutem curatricem distantibus vulneri-

bus, vel per influentiam corporum cœlestium communicantium suas virtutes per elementa dispersas, vel per balsamicam virtutem unicuique propriam. Sed utrumque est fictitium fundamentum. Ergo frustra propositum. Probatur minor quoad primam partem, non quia negemus præter lumen & motum à cœlo communicari inferioribus alias vires, ut contendunt Averroës *lib.2.cæli, text.42.* Damascenus *apud Philoponum*, Pavisius *disp.4. Meth. quæst.9.* Philaltheus *lib.1. cæli*, Mirandulanus *de singulari certamine*, Plotinus *ennead.2.* Ægidius *in 2. dist.14. quæst.13.* Assentimur enim Aristoteli *2. metheor. cap. 2.* docenti, quod oportet *mundum hunc inferiorem, contiguum esse supernis lationibus, ut inde omnis ejus virtus regatur.* Sed quia futiliter ex hoc Paracelsistæ conantur probare, quod unguenti virtus curativa vulneris, communicetur vulneri, displicet illorum conatus, quia supponunt virtutem unguenti, quam fingunt; præsupponuntque quod movetur, & non assignant à quo: supponunt quod fertur ad vulnus, non assignant directorem: supponunt quod applicata vulneri, agit curando illud per varias indicationes oppositas & contrarias; sed non asserunt quâ cognitione. Ex quibus convincitur, quod nihil probat paritas influxuum, qui sunt entia realia, virtute astrorum producta, communicata., applicata ab Authore naturæ in varios fines, & in universi conservationem destinata: quod evidenter demonstratur per suos effectus, per quos varias impressiones inferunt in hæc inferiora in accessu, aut recessu solis, in lunæ mutationibus, in stellarum ortu & occasu, in solstitiis & æquinoctiis. Tum ludicra est evasio asserentium, id fieri virtute usneæ abrasæ à cranio hominis suspensi. Dæmonis hæc est impostura: quid cranium in hos fines continet? quid superaddit, quod fuerit hominis suspensione extincti, nisi dæmonis ostendat ridiculam imposturam. Tum supponunt ii quosdam spiritus qui ferantur in vulnus. Sed à quo geniti? Cur non in aëre pereunt? Per quas vires uniunt vulnerum labra.

Tandem probatur secunda pars minoris, negans figmentum balsamicæ virtutis. Tum ex dictis. Tum quia contrarium latè demonstravit Joannes Roberti *sect. 24.* contra Gocleani curationem magneticam, ubi tegit illius imposturas. Tum quia virtus balsamica, quæ fingitur, posset esse utilis corpori, in quo resultat, non in corporibus extraneis. Tum quia si esset utilis, esset extracta, aut dimanans à corpore vivo animato, non ab ejus cadavere. Tum si à cadavere oriretur, nullam ei superadderet virtutem, quod fuerit cadaver corporis suspensi, ut virtus balsamica oriatur ex illo. Tum paritas, quod adeps humana prosit applicata vulneri nervorum, non facit paritatem, ut etiam cranium abrasum, & non applicatum vulneri in parte carnosa, possit prodesse. Tum quia asserere cum Gocleano, quod duo spiritus, occisi & vulnerati, mutuò se ament, mutuò se quærant, mutuò moveantur in eundem locum, mutuò se uniant, sunt cantilenæ ridiculæ, quibus nullus vel mediocris intellectus se irretiri permittit. Tum si spiritus mutuò se amant, mutuò moventur, & se quærunt sine omni inunctione unguenti, dato uno unguento in rebus, omnes vulnerati, ab ipso poterunt sanari. Præterea, quia balsamica virtus intimè considerata, nihil aliud est, quàm prava cautio conantis depravare judicium fatuè credentium, quod idem reperitur in reliquis Paracelsistarum figmentis & imposturis, quas ope dæmonis seminarunt.

§. III.

Solvuntur fundamenta primò posita.

AD *primum* respondetur, quod sunt varii, mirabilesque rerum effectus, & eventus qui proponuntur in argumento, quique non repugnant ordini naturæ; sed recipiuntur, & investigantur illorum causæ: sed dum proponuntur effectus incogniti, qui invertunt ordinem operandi rerum naturalium, vel ipsi judicantur effectus ultra naturam ope dæmonum supervenientes, vel judicantur imposturæ nebulonum conantium suas fraudes stabilire, & suas opes adaugere. Et cùm unguentum Armarium supponatur suas habere virtutes, cùm componatur ex ingredientibus, à quibus nequeunt supervenire, eo quòd illas exerceant ultra sphæram suæ activitatis, & quod sine cognitione applicentur, sine motore moveantur; evidenter convincitur, quod sint quid à deperditis hominibus confictum, vel à maleficis factum.

Ad *secundum* respondetur, quod plures, qui dicuntur curati vi unguenti Armarii, sani evaserunt ab ipsa natura, quæ

quæ est morborum medicatrix: & ablâtis impedimentis, positis ligaturis, & debita munditie, docet experientia sine unguento armario vulnera curari, non solùm in hominibus, sed & in aliis animalibus. Si verò incurabilia sunt, fatentur Paracelsistæ, quod nec post unguenti usum possunt sanari.

Ad tertium respondetur, quod Gocleanus cognoscens quod effectus non est talis qui correspondeat suis promissis, quærit evasiones; & cùm non sint rationes convincentes, ponit involucrum terminorum & rerum nihil ad rem pertinentium, ut sic infatuati legentes suspendant judicium: & consequitur juxta commune dictum, quod qui obscurè, & confusè loquitur, aut fallit, aut intendit fallere; cum quo suas obumbrat cantilenas.

Ad *quartum* respondetur, quod sine ope dæmonis non est virtus naturalis, quæ moveat virtutem agendi sine locali motu, quæ applicetur, quæ plurimas prosequatur indicationes, ad quas non habet vires; & si haberet, nec intelligentiam ad immutandas illas; & ideo hæc possibilitas deneganda naturali agenti. Tum denegandum, quod hæc fiant ab anima mundi, quam suprà demonstravimus denegandam esse, licèt ab ethnicis receptam; quia illorum opinio refutatur à nostris tanquam falsa; excluditur à Catholicis tanquam impia. Tum quia nec in ipsis ingredientibus unguenti armarii, licèt sit virtus aliqua agglutinandi, aut curandi vulnera, non est tamen virtus, ut operentur sine applicatione ad passum, sine qua nisi prævertatur naturæ ordo, nullum agens naturale est potens operari. Tum, nec ipsa anima mundi posset cogi ab unguento armario, si esset possibilis, ut deferret illud ad unum subjectum, & ut non communicaret illud pro reliquis vulneratis in hoc mundo, per ipsam informatis, & toti mundi corpori unitis per eandem animam.

Resolutio VII.

Utrum aliqua aqua vitæ, aliudve medicamentum possit esse remedium universale pro omnibus curandis morbis.

§. I.

Quid aqua, quales ejus differentiæ.

Aqua vel est elementum, vel potabilis, vel artificialis, vel astralis. Quæ A elementum, est corpus simplex, à prædominio frigidum, & in summo; humidum prope summum, cum aliquali siccitate. Aqua potabilis est quæ pro communi potu à natura fuit destinata animalibus, & pro conservatione vegetabilium est necessaria: præcipuè ut deserviat pro potu hominis, petit esse pura, limpida, omnis saporis expers, gustu jocunda, clara, pellucida, tenuis, & levis. Ex modo ortus, aut mansionis alia est fontana, alia pluvialis, alia fluvialis, alia est putealis, alia lacustris, alia palustris. B Quarum variæ pro usu sunt utilitates.

Aqua prout elementum, in suo loco & centro proprias retinet qualitates, ibique maxime in usu est, ut adimpleat universi spatium sibi destinatum, ut servetur in suo naturali statu, ut proprias retineat qualitates, & pro propinquis elementis sit propugnaculum.

Aqua potabilis deservit vegetabilibus, ne arescant, ut virescant, & proprios fructus valeant producere: in animalibus pro attemperatione, pro alimentorum coctionibus, & in partes distributione, C proque resultantium excrementorum exterminatione, & in calidissimis morbis pro intensissimi caloris vel remissione, vel extinctione, & similium morborum curatione.

Aqua artificialis est, quæ arte extrahitur ex mixtis, præcipuè ex vegetabilibus, caloris subsidio. Hæc magna ex parte Medicinalis redditur, juxta adjunctas vires, quas secum extrahit ex suis mixtis. Est duplex, alia quæ excellit in prædominio ignearum qualitatum; D alia in reliquis primis qualitatibus, simul cum aliis virtutibus medicinalibus primis, secundis, tertiis, aut à tota substantia. De iis maximam pharmaceutici adimplent suæ officinæ partem. Aquæ quæ ex igneis à prædominio mixtis instillantur, vocantur à Dogmaticis aquæ vitæ: ab Spagyricis aquæ ardentes. Harum communiores sunt, quæ extrahuntur ex vinis, prout vinum sumitur non solùm pro vino uvarum, sed pro potu, E qui fit ex aliis fructibus, aut seminibus, ut vinum pomorum, seu cidra, vinum pirorum, cervisia & alii similes potus ab arte facti. Præcipua, & communissima aqua vitæ, seu ardens est, quæ instillatur ex vino uvarum: hæc juxta vini potentiam, vel ejusdem rectificationes fit remissior, aut potentior, præcipuè pro curandis omnibus frigidis morbis, & maximè

maximè conservatur in Pharmacopœa Dogmaticorum; sed Spagyrici, ut exaltetur, varias addiderunt illi commixtiones, per quas vel ad omnes morbos tenent prodesse, vel saltem pro aliquibus miraculosè operari. Inter has miraculosas operationes excelluit Philippus Vlstadius *in suo cœlo Philosophorum, seu libro de secretis naturæ:* in quo, sive ex vino, sive aqua vitæ, cum diversis ingredientibus, per varias instillationes varia præscribit remedia magnis concomitata promissis.

A

B

§. II.

Aqua Astralis, qualis dici debet?

AB astris, seu ab aëris regione continua circulatione aqua à terra sub forma vaporis ascendit, & sub variis formis impressionum meteororum descendit: sic & exhalationes. Dum aqua servat formam, alia est oleaginosa, ex qua contendunt Chymici componere suum lapidem philosophalem, ex qno fiat aurum tot seculis promissum, & expectatum. Alia est tenuior, ex qua Paracelsistæ intendunt fieri quoddam medicamentum universale pro omnibus morbis curandis; & ideo vocant illam Aquam vitæ, illis specificam & propriam; sed ut suas tegant ineptias, variis nominibus obvelatam. Præcipuè instillata vocatur Aqua maris, quia fit amara ab ignea natura acquisita: vocatur aqua nubis, quia guttatim aggregatur; vocatur aqua permanens, quia permixta perdurat: vocatur acetum, quia est penetrativa: vocatur argentum vivum, quia illi assimilatur in colore: vocatur fumus albus, leo viridis, aqua fœtida, canda draconis, avis volans, quia sursum ascendens: vocatur spiritus, quia subtilis est, & sursum ascendit, ut tenet Ventura *lib. de lapide Philosophorum*, reddens ex Lullio rationem, quia aqua est natura illa cœlestis, quæ elementa in corporibus existentia suo regimine separat; & iterum ea componens, in unum reducit. De hac aqua, sive astrali, sive instillatitia, præcipuè inquirimus, an aqua vitæ remedium universale sit contra omnes morbos.

C

D

E

§. III.

Impostura agyrtarum proponuntur.

AGyrtæ, impostores, innovatoresque majori ex parte conveniunt in hoc, quod sciunt quoddam conficere medicamentum universale, aptum ad curandos omnes morbos possibiles: sed in illo præscribendo variant, at verò in impossibilitate adimplendi promissum sunt uniformes.

Primus inventor hujus imposturæ fuit Raymundus Lullius *lib. de secretis*, qui ut omnes homines reddat immortales, universale promittit remedium, cum quo sine omni dubio omnis possibilis morbus curari potest; & lato calamo ex omni genere simplicium adimplet suum universale miraculosumque medicamentum, quod ex iis adimplet.

♃. *Ex mineralibus, & lapidibus*

Aurum purissimum,
Rubinorum,
Alabastrum,
Sapphirorum,
Hyacinthorum,
Granatorum,
Lazuli,
Silicum combustorum,
Sericorum combustorum,
Animalium generantium illa,
Margaritas albas,
Ambarum succinatum,
Terram sigillatam,
Bolum Armenum.

Ex animalibus

Sanguinem humanum,
Mumiam,
Castoreum pingue,
Caudas stincorum,
Ossa de corde cerui,
Rasuram cornu cervi,
Eboris rasuram,
Algaliam,
Moschum,
Ambram balenæ.

Ex herbis.

Ivam moschatam,
Scorpam Regiam,
Peoniam,
Melissam,
Angelicam,
Chelidoniam,
Rutam,
Salviam,
Mentham
Majoranam,
Saturejam,
Calamintham,
Euphrasiam,

Momordi

Momordicam,
Scolopendrium,
Betonicam,
Sanguinariam,
Matrem sylvarum,
Rosmarinum,
Calamum aromaticum,
Stœchados,
Chamædryos,
Chamæpythios.

Ex Radicibus.

Zinziberis albi,
Aristolochiæ rotundæ,
Dictamni albi,
Gladioli,
Zedoariæ,
Satyrionis,
Consolidæ Majoris,
Tormentillæ recentis,
Enulæ campanæ,
Carlinæ,
Imperatoriæ,
Satyrionis,
Consolidæ majoris,
Chelidoniæ,
Caryophyl. agrestis,
Liquiritiæ,
Calami aromatici,
Gentianæ,
Galangæ,
Doronici,
Aristolochiæ largæ.

Ex Floribus.

Anthos,
Rorismarini,
Salviæ,
Calaminthæ,
Rosarum omnium,
Momordicæ,
Matris sylvæ,
Camomillæ,
Anethi,
Buglossæ,
Borraginis,
Sambuci,
Flor. Myrthi,
Arantiorum,
Zitri, seu Afati,
Spicæ nardi,
Citriorum,
Spicæ Celticæ,
Croci,
Caryophyllor.
Aromatum.

Ex Seminibus.

Carpobalsami,
Ocymi,
Caryophyllat.
Anisi,
Anethi,
Fœniculi,
Sinapis,
Basiliconis,
Melonum,
Momordicæ,
Peponum,

Ex fructibus.

Amygdalæ dulces,
Pineæ,
Baccæ Lauri,
Iujubæ,
Ficus siccæ,
Uvæ passæ,
Dactyli,
Nuces moschatæ,
Anacardis,
Momordicæ.

Ex Corticibus.

Macis,
Corticum citri,
Corticum arantior.

Ex foliis & frondibus.

Caryophyl.
Citriorum,
Aromatum,
Arantiorum,
Lauri,
Abbatis.

Ex granis.

Cardamomum utrumque,
Piper omne,
Melichatam,
Hermas odorifera.

Ex lignis & fungis.

Cinnamomum,
Aloës,
Xylobalsamum,
Aromatum,
Santalorum,
Rhabarbari,
Costum.

Ex Gummi.

Saccharum,
Mannam,
Mel,
Sanguinem draconis,
Alicam moschat.

Aloëm hepaticam,
Myrrham,
Thus,
Maſtichem,
Laudanum,
Storacem,
Sarcocollam,
Gummi hederæ,
Gummi helenii,
Terebenthinæ,
Camphoræ.

Totam hanc farraginem omnium medicamentorum ſimplicium, quæ aſſervantur in Pharmaceutica, ſeu producuntur in univerſo, proponunt Lullii ſectatores; ſed non ſine nova impoſtura. Tum quia ſi proponunt omnia univerſi medicamenta pro omnibus morbis, non unum, ſed omnia medicamenta offerunt, quæ Deus creavit pro illis. Tum quia ex illis omnibus nec poteſt una aqua deſtillari, nec formari unum medicamentum ex tanta farragine & diverſitate, quod ſimul contineat tot virtutes. Tum quia nequit una virtus univerſalis coadunari ex tot diverſis virtutibus oppoſitis & contrariis. Tum quia ſi illa ſic proveniens virtus prodeſt pro frigidis, nocebit pro calidis. Tum quia ſi talis curativa virtus omnium morborum eſt in rebus, debet adaptari alicui formæ ſubſtantiali, tanquam illius proprietas; & non apparet qualis ſit hæc forma, an ſimplex, an mixta, an vivens, an ſenſitiva, aut rationalis.

Secunda medicamenti univerſalis impoſtura, eſt quam ſuſcitavit Paracelſus, magnus ſectator Raymundi Lullii, & quam ſequuti ſunt Sectæ Paracelſiſticæ ſequaces, qui affirmant poſſe dari univerſale remedium, quod valeat omnes morbos curare, ſine conſideratione naturæ, loci affecti, morbi, & cauſæ morbificæ, ætatis, ſexus, aut aliorum, quæ in methodo Rationalium obſervantur: & per hoc medicamentum promittunt ætates primas conſervare, prægreſſas retrotrahere, à morbis imminentibus liberare, à præſentibus omnes curare, & cunctos homines immortales reddere. Sic promittunt quidam circulatores, ſed præ reliquis maximus aſſertor refertur Coringius, de quo inquit Freytagius, quod uſque ad mortem texit impoſturam ſuam, affirmans quod nulli hoc revelari remedium volebat, ne manifeſtaretur alicui: ſed ipſi etiam fuit occultum, cùm nulla illius operatio fuerit experta.

Contendit Coringius ſuam cantilenam ſuadere, non ab effectu, per quem deberet manifeſtari & convinci tam decantata univerſalis virtus; ſed per quaſdam ſophiſticas rationes. Tum Freytagius proponit pro illo, quod datur univerſale in rebus. Ergo & univerſale medicamentum, quod poſſit prodeſſe pro omnium morborum curatione. Tum *ſecundo*, fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Sed per unum medicamentum univerſale pro omnibus morbis, tutiùs, & ſecuriùs omnes poſſunt curari. Ergo tale medicamentum poſſibile dedit nobis Deus, aliàs deficeret in neceſſariis. Tum *tertiò*, contrariorum eadem eſt ratio. Sed Deus creavit venenum, quod eſt morbus univerſalis. Ergo & remedium aliquod univerſale. Tum *quartò*, ignis eſt univerſale agens, valens omnes alterare, conſumere, & in ſe convertere. Ergo poterit dari univerſale medicamentum, valens agere in omnes morbos, & illos curare.

Sed ridiculus horum conatus ſuis ineptiis cedit. Si daretur univerſale medicamentum, retrotrahens homines ad prægreſſas ætates, præcavens omnes morbos, qui poſſunt ſupervenire, eximens ſupervenientes, & vitans omne genus mortis, poſſent Paracelſiſtæ homines omnes reddere immortales, & impedire quod à Deo fuit ſtatutum, omnes homines ſemel mori. Tum fuiſſent calamitoſæ antecedentes mundi ætates, in quibus omnes homines moriebantur. Tum, ut tenent Alexander de Angelis, Freytagius & alii, maximè notandus eſſet Paracelſus, qui habens remedium ut fierent reliqui immortales, ipſe anno quadrageſimoſeptimo ſuæ ætatis veniam dedit morti, ut vitam commutaret in illam. Tum fruſtra Coringius cavillationes quærit contra evidentes rerum eventus.

Proro *primo* dicimus, quod datur univerſale in rebus per intellectum abſtractum, non in rebus individuum: quod erat neceſſarium, ut operaretur; quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Pro *ſecundo* admittimus, quod quæ æquè bene poſſunt fieri per pauciora, fiunt fruſtra per plura. Sed quia nullum poterat individuum operari per omnium rerum virtutes, ipſas Deus partitus eſt in innumeris rerum ſpeciebus, & individuis. Tum pro *tertio*, quod ſunt ſpecies morborum innumeræ, & unicuique correſpondet ſua ſpecies, ſicut & variæ medicamentorum ſortes. Tum pro *quarto*, quod ignis eſt agens univerſale in ſuo genere calefaciendi, non tamen univerſale in omni genere agendi.

Contra

Cortalaseus, Sindivocius, & alii juniores citati à nostræ ætatis proximioribus assertoribus medicamenti universalis, deviant à Lullio, & Paracelso; quia manifestè convincuntur experientiis, rationibus, & eventibus: & ne videatur Paracelsi opinio, seu impostura nuda ab omni defensore, dicunt quod tale medicamentum est quædam aqua vitæ ab illis inventa, & sic nominata, quia vitam perpetuam conservat: & ut non possint impugnari, illius compositionem præscribunt per voces nil ad rem conducentes, & solùm significantes ad illorum placitum.

Hanc aquam extrahunt per destillationem ex terra, & rore cœlesti. Sumunt terram crassam, præcipuè rubram, quam vocant Virginem, ad denotandum, quod non priùs fuerit ex usu pro hoc opere: minuunt in parvas portiones, admovent igni donec exsiccetur. Postea superimponunt per noctem super terram, ut recipiat rorem descendentem ab aëre: illum dicunt contineri in bursa, seu crumena mundi, quæ est pars illa aëris, quam nos vocamus secundam aëris regionem: hunc rorem vocant radios Solis, quia per illos elevatur à terra, & sursum fertur. Vocant etiam illum atomos Solis, quia attenuatus ascendit in minimos atomos, ita ut fugiat nostros sensus. Dum descendit sub forma roris in terram præparatam pro illo, dicunt incarcerari, & quod colligitur per quædam ferri instrumenta, qualiter & olim ludicræ Diomedis aves. Trahitur maximè ratione siccitatis acquisitæ in terra: cùm illa destillatur; exit aqua operantibus peritis artis, tenuis, lucida, salsa, sine odore: impeditis, fœtida, adstringens & venenosa.

Fumivenduli hujusmodi nostris temporibus proximiores excellunt præcedentibus in nova verborum immutatione; per quæ & res sublimiores, & nondum excogitatas proponere ostentant; & in ludibriis, & imposturis coæquantur illis; & suum inventum, seu aqua vitæ, non minora pericula minatur, & potiùs aqua mortis, quàm aqua vitæ meretur judicari.

Tum quia ros, qui ut illi dicunt, reservatur in bursa, seu crumena mundi, non est semper idem, sed sæpè medicamentosus, ex quo fit manna; sæpè alimentosus, ex quo fit mel; sæpè terræ, & fructibus necessarius, & utilis, ex quo ipsa fœcundatur; sæpè est venenosus, vel quia ex venenosis elevatis vaporibus descendit, vel ex corruptis & putridis vapo-

A ribus coinquinatur, ex quo fiunt sæpè ranæ, buffones, langustæ, & alia venenosa animalia; sæpè etiam depascentibus ovibus & brutis, subsequuntur pestilentes morbi. Sed instillatores hujusmodi roris nequeunt venenositatem cognoscere. Ergo si ex illo extrahant aquam vitæ, potiùs aquam mortis instillabunt.

Tum eadem aqua vitæ, etiamsi sit optima, fit venenosa, & lethalis, dum extrahitur ab Spagyricis parum peritis, ut advertunt illius inventores; quia cùm ne-
B sciant debitos ignis gradus applicare pro ejus extractione, non solùm extrahunt aquam utilem, quæ debet esse clara, tenuis, subsalsuginosa; sed aliam venenosam, ratione empireumatis fœtidam, adstringentem, turbidam, corrosivam, quæ veneni veram rationem habet, & ut in plurimum talis fit, quia Spagytici inexperti illam plerumque quærunt, & efficiunt lucri causâ sine artis peritia. Tum quia nullam potest habere vim pro omni morbo curando; quia unumquodque
C operatur secundùm id quod habet in actu: quæ autem ab illis profertur, est subsalsa, quæ simul est calida & adstringens, solùm valens curare frigidos, & exsiccantes morbos. Tum ex tot millibus hominum pauperum ægrotantium per civitates, nullum vidimus curatum per aquam vitæ, nullum rediisse ad prætergressas ætates; nullum ex iis circulatoribus immortalem factum à suo universali medicamento. Vidimus plures usu hujus aquæ breviter ustione consumptos, alios vitam proroganD tes; quia innovatores; ne detegatur sui medicamenti sævitia, & venenosa vis, loco illius aliquas offerunt aquas instillatitias, communes in Pharmacopœa, à quibus licèt nullum percipiant juvamen pro morbo, non tamen præcipitantur in mortem.

Sunt inter hos circulatores, qui pro aqua vitæ offerunt aquam fortem, seu separatoriam metallorum, quam componunt ex mercurio; & sale petræ. Sunt alii qui sua quasi particularia contendunt appropriare remedia pro omnibus morbis,
E ut apparet apud Doncelinum agentem de antimonio: & Vanhelmont suum etiam proponit medicamentum universale. Sed universalis omnium prudentum ratio contra hos impostores stat in eo, quod nondum expertus fuit aliquis eventus confirmans has imposturas, & quod nisi prævertatur naturæ ordo, & Dei decretum, nequit expectari, nisi à fumivendulis confictum.

Helmontius proponit tanquam remedium univerſale pro omni morbo Alkaeſt mercurium diaphoreticum ; quia morbi poſſunt debellari tribus modis, extractione ideæ , per ſedationem archæi commoti , & per ablationem materiæ. Sylveſter Rathracy diſſentit ab illo : plures verò alii diſperguntur per varios dicendi modos.

Gaſſendus contra Philoſophiam Fludianam *tom.2. lib.23. ſect.3.* ex epiſtola qua-
A dam Fratrum de immortalitate adepta, ad Germanum , proponit falſa & ludicra fundamenta eorum, qui fabulantur, poſſe reddere corpora immortalia. Tum *primò* tenent , dari animam mundi , à qua foventur viventia, & humidum radicale producitur , & innovatur , & conſervatur. Tum *Secundò*, hic animæ mundi ſpiritus undique ſparſus, inſpiratione , & cibis attractus, novas continuò reparat noſtræ conſervationis cauſas.

Hæc ſcribens immoritur doctus & celeberrimus Hiſpaniarum Regum Philippi IV. & Caroli II. Archiater ; nec plura ad tam futilem de hominum immortalitate opinionem debellandam potuit proferre argumenta , non inopiâ quidem rationum , ſed fato ita diſponente: & ſi quibus veriſſimam de hominum mortalitate doctrinam rationibus probare deſtitit , ipſemet viam univerſæ carnis ingreſſus , indubitatam reliquit. Sed quia poſt ejus obitum inter illius adverſaria repertus eſt ſequens Tractatus de morbis turpitudinem inducentibus humano corpori, qualis inventus eſt, talem tibi exhibemus, Candide Lector , ne quid Operum tam præclari Viri tibi deeſſet, utque omnia ejus ſcripta , ad minimum etiam uſque fragmentum , utilitati tuæ & publicæ conſulentes , tibi praſto præ manibus eſſent. Nec plura debent ab eo expectari , cùm ſimul Operis hujus progreſſum & finem, & Authoris vitæ filum Athropos implacabilis occaverit.

DOCT.



DOCT. MED. D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,

PROMPTUARIUM PRACTICUM, De Morbis turpitudinem inducentibus humano corpori.

PRO TYRONIBVS.



PROPOSITIO OPERIS.

HOMO omnium sublunarium præstantissimus est, cui ratione formæ insunt igniculi, semimque Divinitatis. Minuit enim eum Altissimus paulò minùs ab Angelis: gloriâ, & honore coronavit eum, & constituit eum super opera manuum suarum. Illius corpus, ut esset rationalis animæ domicilium, reliquis præstantius fabrefecit, figura se in cœlum attollens, cum moderata temperie, partium æqualitate, justa proportione, mirabilique amplexu omnium rerum, quæ in naturæ imperio, & legibus continentur, ut eruditissimè prosequitur Doctissimus Andreas Laurentius *in sua Anatome*. Accidunt tamen illius cuti pulchritudo, & turpitudo, quarum illam conservare, hanc vitare, Medici est munus. Pulchritudo ex Cicerone, est quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate, quæ in fœminis magis

A luxuosa permittitur, & sæpè optatur, qualis depingitur à Franc. Corniger, hoc carmine.

Alba cutis, nivei dentes, albique capilli,
Nigri oculi, cunnus, nigra supercilia.
Labra, gena atque ungues rubri: sit corpore longa,
Et longi crines, sit quoque longa manus.
Sint breves dentes, aures, pes, pectora lata,
Et clunes: distent ipsa supercilia.
Subtiles digiti, crines, & labra puellis:
Parvus sit nasus, parva mamilla, caput.

In viris non ita compta desideratur pulcritudo, licèt aliqualis permittatur orna-
B tus; sed ut voluit Ovidius:

Forma viros neglecta decet, Mincida Theseus
Abstulit, ast nulla tempora comptus erat.
Hippolytum Phædra, nec erat benè comptus, amavit:
Cura Dea sylvis aptus Adonis erat.
Munditie placeant, fuscentur corpora campo,
Sit benè conveniens, & sine labe toga.
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos:
Sit coma; sit doctâ barba resecta manu.

Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
Inque cava nullus stet tibi nare pilus.
Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque, paterque gregis.
Cætera lasciva faciant concede puellæ,
Et si quis malè vir quærat habere virum.

Turpitudo opponitur pulchritudini, ponitur inter vitia quæ apparent in cute, in unguibus, & pilis, quæ illius sunt ornamentum. Cutis constitutio completur ex temperatura, compositione, & unitate, ex quarum vitiis turpitudo provenit: ideo prosequemur cuti supervenientes affectiones, sive in pilis, sive in dentibus, sive in unguibus, sive in cutis temperatura, compositione, ac unitate.

SECTIO PRIMA.

De affectionibus capillis supervenientibus.

SUNT pili corpora oblonga, ex poris erumpentia, cuti connata, producta à peculiari facultate pilifica formatrice, in determinatis hominis partibus destinata, ut illos generet ex appropriata sanguinis materia, præcipuè ad capitis tegumentum, & corporis ornatum. Est enim cæsaries ex D. Ambrosio, reverenda in senibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, dulcis in pueris. Varios præstat usus in variis corporis partibus. Pili in capite sunt quasi naturale tegumentum: in palpebris obstant externis, & visioni usum præstant; in barba præstant viris sexus ornamentum: in aliis partibus materiam humorum consumunt, quæ ad alios usus conversa, superflua, ac noxia redundaret.

CAPUT PRIMUM.

De usu magnorum auxiliorum pro omni corporis affectione.

IN omni morbo materiali sumitur duplex indicatio, ab ipso morbo, & ab illius causa. De indicatione ab unaquaque turpitudine desumpta, prosequemur topica experimentis, & usu cognita, & observata. De indicationibus evacuatoriis causæ, per magna præcipuè remedia, sub hoc capite agemus. Indicatio desumpta à causa, antecedit in exequutione: nam ex Galeno, priùs unamquanque causam abscindere

A oportet, postea ad ea quæ per discrasiam facta sunt, oportet pervenire. Indicat materialis causa sui ablationem: aufertur derivatione, revulsione, evacuatione. Fiunt hæc per magna auxilia, sanguinis missionem, & purgationem. Fiunt & per parva, per clysteres, suppositoria, frictiones, cucurbitulas, scarificationes, & alia hujusmodi.

Sanguinis missio, & purgatio, quæ sunt remedia magna, maximam exigunt considerationem; multùm enim valent juvare, B si debitè applicentur: multùmque nocere, si indebitè iis utamur. Differunt inter se penes diversa illarum indicantia. De iis antiqui sat plura dedere, sed confusè sunt prolata. Nos in Resolutionibus Medicis, *disput. de sanguinis missione, & disput. de Purgandi ratione*, sat plura disputavimus, quorum necessaria pro hoc Opere transcribemus.

Indicatur sanguinis missio à morbo magno, pendente ex vitio sanguinis in quantitate, qualitate, aut motu. Indicatur pur-C gatio à morbo magno pendente ex humorum cacochymia. Est humor cacochymus, qui manens in corpore extra vasa, aut intra illa, est separatus à sanguinis commixtione, supernatans in illo, ut loco citato, & in secundo Tomo tradidimus.

Generantur serum, & reliqui humores à jecore simul commixti, complentes massam sanguinariam, quæ etiam sanguis dicitur, dum ipsi humores manent commixti sanguini, & coërceantur quasi sub una forma, sicut variæ substantiæ sub forma la-D ctis unam adimplent naturam; & sic quilibet humor est pars sanguinis, cujus est pars adintegrans. Dum verò serum, aut quivis alius humor sanguini nequit commisceri, nec potest ab ejus forma coërceri, sicut natans butyrosa pars lactis separatur à lacte; & licèt sit in eodem vase cum illo, jam alia apparet substantia: sic separatus humor à sanguinis commixtione, quasi alia substantia separatus manet à sanguine, & jam non dicitur sanguis, nec sanguinis pars, sed substantia à san-E guine separata, quam cacochymam appellamus.

Ex humoribus hoc vario modo se habentibus, dum fovent morbum magnum, indicatur remedium magnum evacuatorium, aut sanguinis missio, aut purgatio: sed non eodem modo. Nam ab humore, qui manet sanguini commixtus, cùm adhuc sit pars sanguinis, indicatur evacuatio per sanguinis missionem, quæ est redlum

medium magnum, coaptatum pro sanguine evacuando, pro quo evacuando nulla sunt destinata purgantia pharmaca.

Ab humore separato à sanguinis commixtione, cùm jam desinat esse pars sanguinis, & sit hic, aut ille humor cacochymus, indicatur purgatio selectiva talis humoris, quæ petit fieri à pharmaco solutivo illius.

Provenit quandoque, quod humores fiant separati à sanguinis commixtione, supernatantes, & cacochymi variis modis. *Primò* sunt cacochymi præternaturales humores, qui generantur in ventriculo, & in prima regione, cùm sint sine sanguinis commixtione, & extra ejus consortium omni ex parte alieni à natura sanguinis, sive fiant ab excedente calore, ut substantia nidorosa; sive à frigore, ut variæ præternaturales pituitæ species, quæ fiunt in ventriculo.

Secundo modo generantur humores cacochymi in jecore, vel ob illius intemperiem magnam: hoc modo ab inflammatione jecoris, aut intensa illius calida intemperie fit tanta copia bilis, ut non possit commisceri cum sanguine, nec intra massam sanguinariam coërceri: & ideo separata supernatat, & fit cacochyma. Simili modo à frigida jecoris intemperie, ac humida generatur tanta copia seri, aut pituitæ, ut non possit commisceri intra massam sanguinariam, nec à sanguine coërceri, ut apparet in cachexia, & hydrope: ob quod illi superabundantes humores statim petunt purgari. Vel in jecore fiunt etiam humores cacochymi ob nimium usum ciborum, ex quibus possunt generari. Sic ex nimio usu mellis fit superabundans, & cacochyma bilis in jecore, quæ ob copiam nequit commisceri sanguini, & ob usum nimium frigidorum ciborum fiunt in jecore humores frigidi cacochymi, excedentes, & supernatantes.

Tertio modo contingit, quod humores generentur naturales, & commixti sanguini; sed intra venas nimia ustione alterantur, & pars tenuis sanguinis abit in bilem, & crassa in melancholiam: & dum sic augentur alii humores distincti à sanguine, coërceri cùm non possint, nec commisceri jam in massa sanguinaria, supernatant, & fiunt cacochymi, qualiter apparet in turgentia; & ideo hos cacochymos & turgentes humores docet Hippocrates purgandos esse statim eadem die.

Quarto modo fiunt humores cacochymi intra venas, dum illi qui erant sanguini commixti, putredine alterati, fiunt inepti nutritioni, quia nequeunt concoqui in juvativo; coquuntur tamen in nocivo, & sic per coctionem separantur à sanguinis commixtione, & fiunt cacochymi; quos ideo Hippocrates purgari docet, dicens: *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principiis morborum, nisi materia turgeat.* Nam si turgeat, sine coctione fit cacochymia, & ideo statim eadem die petit expurgari. Ex dictis constat quot modis fiunt humores cacochymi, à quibus indicatur purgatio.

Sed restat proponere signa, quibus cognoscuntur hujusmodi indicantia sanguinis missionis, & purgationis. A morbo magno pendente ex vitio sanguinis, in quantitate, qualitate, aut motu, diximus indicari sanguinis missionem. Vitium in quanto demonstrant plenitudinis signa, quæ ex Galeno *lib. de plenitudine*, est duplex: alia ad vasa, alia ad vires. Quæ est ad vasa, ostenditur ex mole pleniore corporis, vasorum repletione, & suffocato corporis calore, tensiva lassitudine, gravitate corporis, obstructione, tumore, rubore, difficili respiratione, pulmonum compressione, somno gravi, & longo, ignavia, segnitie ad motum, urina rubra, crassa, ex multo sudore, ex sanguinis profusione ex naribus. Plenitudo ad vires apparet ex actionum imbecillitate, dejecto appetitu, pulsu languido, & inæquali; ponderis gravitate, sensus hebetudine, & motus torpore. Vitium sanguinis in quali, demonstrant morbi in quali, orti cum sanguinis vitio. Vitium sanguinis in motu apparet ex illius decubitu in aliquam partem, & ex parte affecta, in quam sanguis decumbit.

Cacochymia, sicut multiplex est, ita & ejus signa, juxta uniuscujusque speciem. Ostendunt biliosam cacochymiam, quæ attestantur redundantem bilem in magna copia, ut hepatis intemperies calida, ætas florida, tempus æstivum, calida regio, usus calidi & sicci alimenti & potus, inedia, vigiliæ, cura gravis, ira frequens, habitus gracilis, macilentia, pilorum abundantia, flavus color, oris amaror, calor aëris, vomitus bilis, alvi biliosæ dejectiones, lotium acre, sputum flavum, pulsus celer & frequens, iracundia, jactatio corporis, immodica vigilia, actionum promptitudo, morbi ex bile supervenientes, & signa bilis sine concomitantia sanguinis signis.

Melancholicæ cacochymiæ, sive atræ bilis

bilis sunt signa, sicca, & frigida intemperies; aut pro atra bile, calida, & adurens lienis impedita segregatio, declinans ætas, tempus autumnale, anxia vitæ conditio, hæmorrhoïdum suppressio, aut varicum, macies corporis, nigredo pilorum; nigra ictericia, vitiligo nigra, nigræ pustulæ & dejectiones, frequens exercitatus, flatuum copia, pulsus parvus, & tardus, depravata appetentia, acidus ructus, metus, & tristitia, difficiles mores, somnus turbulentus, & morbi ex melancholia supervenientes, & conjectura ex iis, quod tanta melancholiæ redundantis copia nequeat coërceri à sanguine.

Pituitosam cacochymiam denotant temperies frigida & humida jecoris, & totius corporis, ætas puerilis, aut senilis, frigida constitutio, aut hiemalis, aut regionalis, pituitosorum alimentorum usus, longior, & frigidior potus, assidua satietas, & ingluvies, lingua alba, & urina, frequentes destillationes, & morbi frigidi orti ex pituita, segnities, propensio ad somnum, color albicans, actionum tarditas, rectricum operationum segnities, pulsus tardus, & parvus: ex crudis enim iis succis, & serosa copia, quæ nequeunt commisceri sanguini, oritur pituitosa intemperies.

Serosam cacochymiam denotant usus frequens olerum, & fructuum horariorum, ac frequens potio aquæ frigidæ, suppressa consuetæ urinæ evacuatio, sudorum intermissio, frigida, & humida intemperies totius, melancholiæ prædominium, lienis, & jecoris obstructiones, salivæ copia, frequentes madores, sanguinis emissi copia, seri abundantia, ventris, & abdominis intumescentia.

Ex dictis signis apparet prædominium seri, & reliquorum humorum à sanguine: ex illorum copia cognoscitur, an possint à sanguine coërceri, & intra massam sanguinariam contineri; & an ita superabundent, ut supernatare colligatur rationali conjectura, attentis signis cujusque cacochymiæ. In febribus autem putridis, dum humores coctione separantur à commixtione sanguinis, cognoscitur eorum cacochymia per signa coctionis, quæ apparent in urina, quibus apparentibus, regularis perficitur purgatio in morbis materialibus, quam omnes receperunt ab Hippocrate sanctam, à reliquis obscurè cognitam.

Præter quatuor annumeratos modos, quibus humores cacochymi fiunt, est

A quintus alius modus, dum alii humores à sanguine intra sanitatem à jecore geniti, non expurgantur debitè per vias à natura illis destinatas, serum per renes, bilis per vesiculam felleam, melancholia per lienem. Natura enim provida, quia continuò possent superflui ij succi redundare, ut expurgarentur, & ob alios fines, dedit illis receptacula, quæ si impediantur obstructionibus, aut aliis caulis, humores ij exsuperantes nequeunt sanguini commisceri, & superflui & superabundantes

B cacochymi fiunt, & varios procreant morbos, per quos, & per signa obstructionum suarum viarum, manifestantur hujusmodi cacochymiæ.

Apparente cacochymia magnum morbum fovente, apparet jam indicans purgandi, & ab ipso humore purgando indicatur solutivum illius pharmacum, quod vim specificam habet ad ipsum attrahendum: & juxta illius resistentiam attenditur, an pharmacum eligendum mite, me-

C diocre, aut vehemens, an in majori, aut minori dosi.

Pro bilè purganda mitiora simplicia sunt manna, cassia fistula, succus rosarum, tamarindi. Mediocria sunt aloës, myrobalani citrini, rhabarbarum. Vehementia, scammonium, mercurius dulcis, mercurius vitæ, crocus metallorum. Ex compositis, syrupus de cichorio cum rhabarbaro, rosatus solutivus, diaprunum simplex, catholicum, diacassia, electuarium de succo rosarum, tripheta Persica, pilulæ sine qui-

D bus, aureæ, de rhabarbaro.

Pituita purganda phlegmagogis. Inter mitiora simplicia sunt semen carthami; inter mediocria agaricus: inter vehementiora turbith, colocynthis, hermodactylus. Inter composita catholicon, hiera picra, diaphœnicon, electuarium diacarthami, pilulæ de agarico, cochiæ, fœtidæ majores, trochisci de agarico.

Pro melancholia conferunt inter simplicia, senna, epithymum, polypodium, helleborus niger. Inter composita, confe-

E ctio hamech, catholicon, diasenna, extractum sennæ.

Pro purgando sero sunt ex usu inter simplicia mitiora, semen ebuli, succus ebuli, ejus medianus cortex, succus ireos, sambucus. Inter mediocria, radices jalapæ, & mechoacam. Inter vehementia, pulvis soldanellæ, ejus succus, elaterium, chamælea, esula, gutta gummi, thymælea. Inter composita, diacarthamum, diaturbith, pilulæ de sagapœno, antimonium præparatum.

Patet

Patet ex dictis usus magnorum auxilio- in morbis turpirudinem inducentibus, & in aliis motbis: & quos, quibus, & quando expedir purgare. Prosequemur in subsequentibus affectionibus usum topicorum, præcipuè quæ experta sunt ex variis Authoribus.

Caput II.

De Calvitie.

SUb capillorum desectu sunt calvitium, capillorum defluvium, alopecia, ophiasis, seu area. Calvities est pilorum decidentia, præcipuè in syncipite. Communior est ætativa, rarior alia: alia item à nativitate, alia ab aliis causis. Nativa, & ætativa jam facta, nullis remediis cedunt: ætativa aliqualiter potest retardari; & impediri quæ fit ab aliis causis. Provenit calvities defectu causæ materialis pilorum, à cerebro resiccato, vel in senili ætate, vel à morbo, vel nimio veneris usu. Fit præcipuè in sincipite. Capillorum defluvium accidit per omnes capitis partes. Alopecia, ophiasis, seu area, in determinatis partibus hæret. Vera calvities raró accidit fœminis, & eunuchis.

Curatio calvitiei tentatur in variis Medicorum Sectis, & per varia auxilia. Empirici ab experientia invenerunt uti herbis capillaribus, capillis veneris, seu adiantho vero; adiantho communi, asplenio, seu scolopendrio, ceterach dicto polytrico, seu tricomane, & ruta marina. Methodici sub laxis morbis hunc ponunt affectum: sistunt in adstringenda cute. Spagyrici laxare contendunt, utuntur oleo laudani, oleo ex vitellis ovorum, calami aromatici, & oleo vitrioli, cum aqua foncini.

Medici rationales, si fiat calvities à morbo Gallico, utuntur curatione illi debita: si ab aliis causis, non insistunt nimis in evacuationibus universalibus; sistunt in topicis, maximè in emollientibus cutem, vel materiam ad illam trahentibus, & avocantibus, dum nondum formata est calvities. In jam facta potiùs recepit usus cosmetica auxilia: Cæsar utebatur lauri corona, & capillos à vertice revocabat ad syncipur. Juniores utuntur capillitio.

Pro emollienda cute, & poris aperiendis, fiunt lotiones capitis lacte, aut aqua tepidis, vel decoctione ex floribus, & seminibus malvæ, lini, althææ, brancæ ursinæ, fœnugræci. Conferunt olea ex sesamino, lumbricorum, amygdalinum, olivarum; simul & axungiæ talpæ, gallinæ, suillæ, cuniculi.

Pro attractione materiæ pilorum, utile laudanum cum oleo mastichino, vel cum decocto fœnugræci. Iuvant succus ceparum, allij, raphani, tapsiæ, abrotani, salicis, & aqua stillatitia mellis, mel anacardinum, oleum avellanarum, laurinum, raphaninum, vel in quo coxerint radices salicis, myrobalani emblici. Iuvant apes combustæ, cineres asellorum, pellis talpæ, lacertorum.

Galenus ex Archigene plura componit. ℞. ladani, absinthii, ana partes æquales, baccarum juniperi num. x olei q. suff. fiat unguentum. Vel ℞. cum Fumanello apes crematas cum melle, vel ut laudat Criro, ℞. testas herinaceorum marinorum exustas, cum adipe ursino. Vel cum Marinello, ℞ folior. salicis, myrth. ana ℥.ß. ladani ℥. j. olei myrthi quod sufficiat. Fiat unguentum.

Horstius; Claudinus, & Montanus aliqua pro calvitie observarunt, & Forestus. Galenus calvitiem curat sic. ℞. Adipis taurinæ insolatæ ℔. j. succi tapsiæ ℥ j. ß. myrrhæ ℥.j polytrici ℔ ß callitrici ℔.ß membri asinini ℔ j. splenis asini ℔.j. ladani ℔ j. Ladanum in vino pauxillo macera; adipem verò aquæ liquore liquefacias; asini membrum assatum donec consumatur, tadito: splenem verò cum callitrico, & polytrico in nova olla torrefacito, contusisque quæ contundi possunt, ac cribratis, omnia gleucino, aut sabino excipito; & ante balneum utitor, capite priùs pectinato.

Caput III.

De pilorum defluvio.

PEculiare capillorum defluvium dicitur, in quo fit pilorum decidentia sparsim, ita ut omnes pili, plurimive hinc, & inde decidant. Fit ab alimento à tota substantia corrupto, ut in Gallicis; ob ejus defectum, ut in phthisicis, & ab humorum prava corrodente vi, à nimiáve cutis raritate.

Empirici hunc affectum curare nituntur cum herbis capillaribus, sicut calvitiem, & cum aliis ab eis observatis, & à tota substantia operari creditis. Methodici ponunt hunc morbum sub morbis laxis, & sistunt in poris comprimendis, ne pili decidant. Spagyrici utuntur oleo ex vitel-

lis ovorum, in quibus infundunt muscas: A consulunt oleum vitrioli potum in aqua sonchi.

Medici Rationales varias prosequuntur indicationes, juxta diversas causas, à quibus provenit affectio. Si sit profluvium à lue Gallica, præmissis magnis auxiliis, juxta diversos morbi gradus, utuntur alexipharmacis, diæta sudorifica, aut inunctionibus.

Pro topicis confert linimentum ex oleo de abrotano ad ℥.vj. decocti guajaci ℥. ij. radicis tapsiæ, & agarici, ana ʒ.ß. bulliant B ad decocti consumptionem, cola, exprime, adde cinerum pellis talpæ, & capitum murium, ana ʒ. iij. ladani ℥. ß. Fiat linimentum.

Vel fiat lotio cum aqua mellis, & ladano: vel fiat, ex Sennerto, lexivium ex cortice, & ligno guaiaci, sarsaparilla, foliis fumariæ, betonicæ, scabiosæ, abrotani, absinthii, pulegii, asaro, agarico, & cinnabari.

Præter hæc utuntur alii suffumigiis ex hydrargyrio, & cinnabari. Alii utuntur C lactis fotu, vel caput butyro inungunt ad demulcendam acrimoniam. Sunt qui pro secreto habent lavare caput cum lotio asinino.

Si pili decidant ob corrosionem, maximè insistendum in humoribus purgandis, in attemperatione, & humectatione, & in topicis pro alopecia proponendis.

Si sit profluvium ob cutis raritatem, utendum auxiliis adstringentibus. Prosunt capitis lotiones cum lexivio facto ex cineribus juniperi, abrotani, marrubii, avella- D narum, amygdalarum, & cochlearum.

Vel ♃. pro inunctione, olei rosati, omphacini, cytoneorum, ana ℥. j. ladani ʒ. ij. dissolve in omphacio mastichis ʒ.ß. pulver. gallar, nucum cupressi, myrobal. ana ʒ. j. Fiat linimentum.

Fumanellus capiti imponit apes crematas melli commixtas. Rondeletius pro pilis generandis hoc ponit unguentum. ♃. olei juniperi, olei nucum, ana ʒ. j. mellis albi, succi lapathi, ana ℥. ß. semin. apii triti, E asari triti, ana ℥. ij. Fiat unguentum.

Vel ♃. cineris ranarum in olla ustarum p. j. muscardæ, veratri albi, radic. arundinis ustarum, piperis albi, ana partes æquales, misce cum aceto.

Vel ♃. cum Marinello, succi folior. salicis, succi folior. myrthi, ana ℥. ß. ladani ℥. j. olei myrthi q. suf. Fiat unguentum.

In defluvio post morbos, ♃. capillor. veneris, abrotani, polytrici aurei, ana m.ß. folior. myrth. rosar. absinth. ana p. ij. coque in oleo, & vino rubro, ad vini consumptionem: cola, exprime, & ex ℥. iij. hujus cum ladani ℥. j. mastich. ℥. ß. misce secundùm artem.

Rondeletius hoc laudat unguentum. ♃. olei de junipero, de abrotano, ana ℥. ij. cineris herinacei terrestris ℥ ß. pellis talpæ, vel ursi ʒ. iij. abrotani ʒ. ij. cineris vesparum ʒ. ß. ceræ candel. nigrar. q. suff. pro unguento.

Vel pro defluentibus pilis, ♃. corticis cannæ ustæ, avellanar. ustar. granor. myrth. ana ʒ. iij. absinth. thuris, ana ʒ. ij. cum oleo myrth. F. unguentum.

Vel ex Moroldo prosunt lotio capill. vener. inunctio olei stœchados, laudanum cum oleo myrthino, nasturtium, decoctum myrthi, venter, & vessica leporis combusta.

Elideus laudat ovorum q. suf. coque cum butyro, exprime oleum pro inunctione capitis.

Laudatur radix vincetoxici in lexivio cocta pro generandis pilis, vel cepa assata, scissa, applicata parti depilatæ. De pilorum defluvio aliqua observarunt Solenander, Claudinus, Forestus.

Caput IV.

De Area, Alopecia, & Ophiasi.

Sub pilorum defluvio area est capillorum areatim factum defluvium à corrupto humore erodente pilorum radices. Sub illa alopecia nullam determinatè servat partem. Ophiasis serpentis modo tortuosè serpit. Causa est illis pravus humor corrodens radices pilorum, qui frequentiùs est salsa pituita putrefacta. A materiæ copia variat figura. Remotiores sunt causæ, quæ crassos humores procreant in ventriculo, & quæ illos in jecore adurunt, aut bili commiscent: juvant pravi succi corruptioni parati, & capitis calidior temperies. Patet affectus ex figura, & quia in alopecia cutis non læditur, in ophiasi excoriatur, color mutatur, fit albidior, aut pallescit; & si pungitur pars, apparet serosus sanguis. Ophiasis est sanabilis, quia sola superficies læditur. Curatio Si difficilior, dum ii affectus fiunt inveterati, si post frictionem cutis non rubescit, si crassa fit cutis, si in vicinis partibus pili non crescunt, deficit curationis spes.

Empirici variis utuntur remediis. Epiphanius

phanius hac utitur lotione capitis. ℞. Farinæ ciceτum ℔. j. fœnugræci, furfuris tritici, salis nitri, synapis, ana ℥. ij. radic. althææ incisæ ℥. iij. misce cum aceto, & aqua pro capitis lotione.

Postea inungit caput cum hoc unguento. ℞. succi chalcit. ℥ j. pulver. sanguisugar. ustarum, lacertæ viridis ustæ, ta parum, apum ustatum, viridis æris, setarum porci ustar. ana ℥. j. mellis q. suf. Fiat unguentum.

Ut crescant pili post ophiasin: ℞. cineris capillor. hominis ℥. j. olei lini, mellis despumati, ana ℥. iij. myrrh. ʒ. vj. sulphur. vivi ℥. ß. staphisagriæ ʒ. ij. euphorbii ʒ. ß.

Brassianus laudat oleum destillatum ex melle, vino, lacte infusis simul in vase angustioris orificii, & in fimo per dies decem fermentetur: adde pinguedinem talpæ, quæ in cnquendo pernatet.

Horstolphus pro alopecia consulit sic. ℞. Abrotani ciuerem, vel herbam coctam in lexivio, radices asphodeli, aloëm dissolutam in aceto, ubi priùs vetustæ olivæ radix bullierit, & cum farina lupulorum, & pulvere saxiphragiæ fiat inunctio.

Methodicorum Princeps Thessalus in iis capitis affectibus distinguit inter ea, quæ à sola fiunt intemperie, & quæ fiunt vitio confluentium humorum: in iis sistit in purgationibus, in illis in synapismis. Aurelianus, & reliqui ponunt hos affectus sub morbis laxis, & insistunt in adstringendo.

Spagyrici ponunt has affectiones sub morbis tartareis. Proponunt oleum terebenthinæ, laudant oleum tartari, aut sulphuris, balsamum saturni. Purgant cum mercurio vitæ, seu Algareti, cum antimonio calcinato: utuntur lexivio ex fæcibus reguli, mercurio Hermetico, rubeo, præcipitato, mercurio ad ulcera, vitriolo Jovis, lacte sulphuris.

Dogmatici curationem prosequuntur per varias indicationes, sumptâ indicatione à causa materiali. Iuxta suprà adductas indicationes mittunt sanguinem, & purgant. Sumpta indicatione ab intemperie calida, utuntur alimentis frigidis, & syrupis, & apozematibus refrigerantibus: ob qualitates à tota substantia, suis alexipharmacis.

Post universales evacuationes deveniendum ad topica. Conferunt in principio repellentia, profluente materiâ. Postea pro impacta conferunt resolventia, seu digerentia. Ablatis pilis ante topica lavetur caput lexivio, cui addantur folia capillor.

A veneris, abrotani, & polytrici. Facta lotione, perfricanda pars linteo molli, ad cutis ruborem: quo non apparente, nec curatio expectanda. Conferunt similiter errhina, & apophlegmatismi.

Pro topicis sunt debiliora abrotanum, radices ustæ arundinis. Sunt fortiora, nasturtium, synapis, radices liliorum alborum. Applicantur liquida cum adipe ursino. Sunt & alia vehementiora, euphorbium, thapsia, helleborus albus, staphisagria, radices melanii, cineres apum, cum adipe anserino, ursino, vulpino, anatis sylvestris, viperino, ex quibus variæ fiunt compositiones, simul & ex aliis.

B ℞. ex Galeno, folior. arundinis ustæ ℥. ß. muscardæ ʒ. ij. dissolve cum aceto, herinacei usti ʒ. j. illine. Vel ℞. murium domesticor. ustorum, panniculi lintei usti, dentium equinorum ustorum, adipis ursinæ, medullæ cervinæ, corticum arundinis, ana partes æquales, mellis q. suf.

Vel pro pueris, ℞. abrotani, cineris

C radicis, & corticis arundinis, thuris partes æquales, adipis ursi, olei amygdal. amar. ana q. suff. Fiat linimentum, in quo pro adultis adde spumæ maris, sulphuris vivi, fellis tauri, seminis erucæ, nitri, vel tapsiæ, juxta adultiorem ætatem.

Fallopius in alopecia Gallica diebus binis abluit partem affectam cum lexivio decoctiunis ex sabina, asaro, abrotano, mentha, nucibus cupressi, capillor. vener. rosis rubris, cum sapone Constantini, qui fit ex sapone communi, cum rosis rubris,

D gallis, sandaraca, myrrha, spica, & cortic. granator.

Amatus ursi adipem pro alopecia, reliquis præferendam tenuit. Vel ℞. amygdal. amar. cum suis corticibus crematis, radic. cannar. ustarum, ana partes æquales, pulverisata excipiantur adipe ursino, & illine caput.

Fontanus observat alopeciam posse curari solo oleo papyri. Schenkius, quod sola purgatione: quod priùs docuerat Galenus. Scholzius, Fernelius, Ugo, Furestus

E pluta afferunt topica. Rhasis sine illis tenet curari has affectiones purgatione hieræ, & colocynthidis. Zacutus observat, posse curari solo succo nicotianæ. Sed pro unguentis parandis hæc proponit simplicia. Apes vivas, vel mortuas ustas, capill. vener. abrotanum, absinthium, semen apii, cortices nucum pinear. avellan. amygdal. castanear. stercus muris, & capræ, spumam nitri, capita muscar. usta, folia hederæ, radic. arundinis, lavendulæ,

lapathi acuti, euphorbii, pyrethri, zingiberis, pilos ursi ustos, & ursi axungiam.

Caput V.

De Plica Polonica, seu pilorum invifcatione.

DE Plica Polonica alibi egimus; sed tamen hujus etiam est loci, cùm sit inviscatio capillorum, turpisque illorum figura. Est morbus recenter Polonis expertus, propinquis endemius, nostris inexpertus, in quo patiuntur pili idiopathicè, ad quos fertur humor criticè transmissus à jecore. Compatiuntur pectoris, articulorum nervi, membranæ, caput & ejus externæ partes, præcipuè capilli. Est hæc affectio læsio orta à quadam quasi critica expulsione materiæ morbificæ, ex qua pendet morbus, qui est malignus, & venenosus, exustioni conjunctus, aliqualiter contagiosus, in cujus terminatione ad capillos, ipsi agglutinantur, & inviscantur, ungues curvantur, dolore, & contractione vexantur.

Provenit affectus proximè ex motu etitico: remotè à soli temperie, aëris crassitie, ingluvie, crasso alimento, vita sedentaria, præcipuè ex æstuariis, ex subito transitu à calido in frigidum aërem, occulta, venenataque qualitate, ac contagiosa. Apparent in hoc affectu varia ab incolis observata symptomata. Corpus sanum repentè fit debile, pallidum, lividum, exsangue. Post tres dies, aut quatuor convelluntur capilli, puncti sanguinem fundunt. Conspurcatur caput, gravissima comitantur symptomata in membranis, nervis, artubus, in capite supervenit furfur, sputicia, pediculi, fœtor.

Gravior est affectus, si humor non truditur in pilos; si enim impediatur, refluit ad oculus, & ad articulos: nec sufficit pro eventu pars in pilis recepta, nisi in alias revellatur pars alia; quod fit tutum, si paulatim.

Pro curatione vetustiores Empirici hanc affectionem ignorarunt: juniores similitudine ducti devenerunt ad usum mercurii, & diætam sudorificam. Alii proponunt hunc morbum sub fascino, & superstitiosis auxiliis tentant curationem, appendentes in liminibus januæ syllam: utuntur moly, rhasio, vel alio, corio hienæ, aut leporis, upupæ, cyclamine, betonica, & aliis pro hoc fine receptis.

Methodicis fuit etiam ignotus affectus hic, qui ab ipsis reponendus sub cacoëticis ulceribus, & synapismis simili modo curandus, reserando vias, & pilos auferendo, ut placuit Thessalo.

Spagyrici suis utuntur arcanis pro purganda causa antecedente. ♃. Folior. sennæ ℨ.iij. fiat infusio in sero per noctem, mane coque ad liquefactionem acidi tartari ℨ j. aloës sacchar. ℈.ß. misce. Vel

♃. tartari vitriolati, scammonii, ana ℥.j turbith albi, & gummi hermodactylot. albor. ana ℥.ß. olei caryophyllor. & cinnam. ana ℨ. ß. Fiat pulvis. Dosis à ℨ.ß. ad ℨ.j. Vel

♃. conservæ rosar. vitriol. ℔.iij. rhob berberis, de ribes, ana ℔. j. syrup. acetosi cum oxysaccharo agrestæ, ana ℔.ß. pulpæ citri conditi, conservæ cortic. citri, specier. dianth. spiritus vitriol. ℥. vj. nitri præpar. ℥.xij. Misce. Fiat electuarium.

Rationales Medici varias sumunt indicationes à causis antecedentibus, à conjunctis, à morbo. Sumpta indicatione à causis externis, fugiendæ quæ valent fovere morbum. Si sumatur à causa interna antecedenti, conveniunt derivatio, revulsio, evacuatio. Hæc petit fieri per magna remedia, modo quo diximus capite primo.

Pro indicatione humoris qui recipitur in parte, in principio leviter juvatur naturæ motus evocando ad pilos emollientibus, & laxantibus. ♃. Pinguedinis gallinæ, anatis, anseris, hirci ex renibus castrati, ana ℥. ß. olei laurini, lilior. albor. ana ℥. ij. F. linimentum, quo utendum post lotionem factam. Hoc decocto. ♃. chamæmeli, althææ, acanthi, meliloti malvæ, ana m. j. radic. bryoniæ, cucumer. agrestis, ana ℥. ij. Fiat decoctio in suff. q aquæ.

Apparente pilorum inviscatione, revellendum per magna auxilia. Superaddunt aliqui diætam sudorificam, & inunctiones mercurii: utuntur attempetantibus. Alii tineæ adaptant auxilia, de quibus infrà. Sennertus, & Fonseca plura superaddunt pro correctione symptomatum hujus morbi: observarunt plura Schenkius, Stadetus, Saxonia, Genath, Geurgius, inter quos Schenkius hujus morbi confusas nugas vulgi refert. Fonseca accuratè proponit curationem: Saxonia variis digressionibus dispersus non accingitur cognitioni veræ: Sennertus prosequitur observationes aliorum: Genath pluta utilia. Nos in morbo nondum viso acquiescimus aliis.

A

Caput VI.

De capillorum tinea.

Tinea est duplex. Alia in cute, de qua infra: alia, quæ adaptatur capillis, à paucis animadversa, quam Sennertus proprio depingit capite, quasi ab aliis ignorata sit.

Est affectus, in quo capilli, non integri, sed frustatim à vermiculis quibusdam erosi, & absumpti decidunt. Sunt ii parvissimi, B & ferè invisi, quales sunt qui in vetusta cera nascuntur, ut Sennertus vidit, reducens causam ad usum alimenti pro illis coaptati, & pro cuticulæ nutrimento delati ad illam, in qua à causa universali inducitur forma horum vermiculorum, ut contingit in cera, melle, & caseo similes generari: quod nos alibi latiùs tradidimus, agentes de omnium vermium generatione.

Pro curatione Empirici per similitudinem ad alios vermes, eorum renentur uti C remediis. Methodicis innotuit affectio. Inter Spagyricos Artmanus pro necandis vermibus hanc aquam commendat. ℞. seminis santonici ℥. viij. persicor. exsiccator. ℥. j. aloës hepaticæ ℥. ß. His mixtis, crasso modo contusis, & vasi vitreo injectis, affundatur aquarum ruthæ, folior. persicorum, & absinth. ana quart. j. & ß. per triduum in B.M. putrefiant, tribus vicibus destillentur, semperque aqua fæcibus iterum affundatur. Dosis in adultis ad ℥. ij. D inungit autem vermiculos cum oleo sulphuris, & lapide Medicinali ad vulnera. Utitur etiam pro vermibus extinguendis spiritu salis Amysinchet.

Rationales Medici, præmissis remediis magnis, immutatâ victus ratione, attentâ capitis munditie, utuntur decocto fœnugræci, scabiosæ, folior. myrthi, & salviæ in lexivio, pro lotione capitis: vel lexivio in quo coquatur urtica: vel abrotanum, vel allium concoquunt in aceto, addendo fel bubulum: vel illinunt capitis E pilos cum aceto, in quo coquantur genistæ ℥. j. myrrhæ ʒ. ij. vel in quo macerentur pulveres seminis urticæ.

Caput VII.

De Pilorum intricatione, fissura, & crispitudine.

Sub Plica Polonica egimus de pilorum figura depravata, ex certis morbi orta. Est alia ex aliis proveniens causis. Hæc est triplex, intricatio, fissura, & crispitudo, quarum pars affecta sunt pili.

Intricatio capillorum est mutua eorum conjunctorum implicatio, adeo arcta, ut nequeant secerni, aut extricari. Fissura est pilorum scissura, quâ inæqualitas quædam, & implicatio inducitur in illis. Crispitudo est pilorum contorsio, ex eorum asperitate, pororumve conformatione orta.

Causam hæreditariam intricationi tribuit Platerius, judicans oriri semper ob cutis conformationem plenam foraminibus, vel ob porositates omninò contortas, ob quas contorti fiunt pili, & complicati. Sed nimiæ siccitati tribui etiam potest hæc affectio, si glutinositas pro conservatione, & proprio pilorum tenore in pilis deficiat.

Extremis pilorum partibus accidit fissura. Si accidat secundùm omnes partes intricatio, fit crispitudo, comprimente pilos siccitate: ideo contingunt hæ affectiones in siccis naturis, neglecta munditie: & licèt sanitatem non auferant, deprimunt venustatem, & inducunt turpitudinem, præcipuè in fœminis, quibus ornatus pilorum proprius: non ita viris, de quibus inquit Mequitus:

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti,
Crine coli modico forma virilis amat.

Pro curatione Empirici pilos crispos laxare contendunt, & laxos crispos plerumque reddere. Consulunt adianthi cocti in vino cum semine p. ij. radunt caput, lavant cum decocto ex radice asphaceli in vino, vel terunt radices ebuli cum oleo, & caput illinunt, vel utuntur cinere cornu cervi, aut arietis, cum oleo, ut rasum caput illinatur. Vel

℞. Cornu arietis, quod sufficit: cum oleo terito. Vel ℞. succi betæ, succi myrthi, olei communis, ana q. suf. Vel ℞. spumæ salis, quæ bulliendo colligitur, myrrhæ tritæ, ana q. suf. Fiat unguentum. Vel ℞. chelidoniæ p. iij. pinguedinis suillæ tantundem, hellebori albi p. j. Misce.

Methodici sub morbis in adstrictione A constituunt hunc affectum, & laxantibus utuntur, inter quæ proponunt sanguinis missionem, purgationem, frictiones, cucurbitulas: superaddunt plura medicamenta simplicia, quorum quædam vocant benedicta, quia aliquid habent adstrictionis simul; quædam absolutè laxantia, quibus præcipuè utuntur pro pilorum figura depravata.

Rationales Medici utuntur victu humectante, & refrigerante. In parva intricatione sufficit munditiesm& pectinatio: in hæreditaria nulla sunt ex usu remedia. Confert amputatio pilorum. In fissura, præcedentibus remediis magnis, ut in aliis vitiis, fit amputatio pilorum. Aliqui extremitates pilorum inungunt cum felle: conantur alii in fissuris viscositate partes unire, sed inutili conatu. Alii utuntur auxiliis pilos generantibus. Constantinus inungit caput oleo violaceo: post hanc lotionem.

℞. Semin. lini ℥. iv. Fiat decoctio in ℔. iv. aquæ ad medietatem. Heurnius dicit, quod hoc malum est insolens Septentrionalibus. Forsan confundit illum cum Plica Polonica. Consulit victum frigidum & humidum, & linimentum ex oleo cucurbitæ, & amygdalino, & unguento rosaceo. C

Pro crispitudine Fumanellus hanc ponit decoctionem pro lotione. ℞. radic. altheæ, coque in aqua quantum volueris: adde seminis lini, fœnugræci, & psillii q. suf. & cola. Vel ℞. radic. filidis, & folior. betæ q. suf. coque in aqua ad consumptionem tertiæ partis: adde Gummi Arabici q. suf. post separationem ab igne. D

Vel ℞. farinæ fœnugræci, hyoscyami, lithargyrii partes æquales: pone in lexivio, apta pro lotione pilorum. Vel ℞. ex Platero, olei myrth. aneth. ana ℥. j. coque. Adde radic. asphodeli, vel ebuli, cineris castaneæ equinæ, nucum pineorum, ana ℥. ß. mellis q. suf. fiat unguentum, addendo rasuræ cornu arietis, gummi Arabici, ana ʒ. j. myrrhæ ʒ. ß.

Confert pro crispitudine orta ex sicca E intemperie, quæ sola curabilis est, persistere in usu victus humidi, frigidique, in balneis aquæ dulcis, in usu seri lactis, prisanæ, lactis; & inungendi pili limacum viscositate.

Marinellus per singulas septimanas utitur hac lotione. ℞. Agrimoniæ, corric. ulmi, verbenæ, aquæ pluvialis, ana q. suf. misce, coque ad tertiæ partis consumptionem.

Si intricatio & fissura fiant ex crispitudine, cedit illius remediis: si intricatio fiat ex fissura, ex hujus auxiliis curatur.

Minodaus consulit pectinationes, blandas irrigationes capitis, lotiones ex aqua tepida, ex decoctione camomillæ, flor. & summitat. lini, malvar. viol. fumariæ, borragin. altheæ: vel quod pilis rasis fiat inunctio ex oleo amygdal. cum modico aceto. Vel ℞ medullæ bovis recentis ℥. j. olei amygd. dulc. ʒ. j. ß. vini albi dulc. ʒ. j. misce. B

Caput VIII.

De hirsutie capillorum.

Setacea quædam rigiditas supervenit pilis, quæ non solùm accidit in viris, sed in fœminis etiam contingit, quam vidit Hippocrates in Phaëtusa Abderitana, uxore Pythei, & in Thaso in uxore Georgippi: estque capillorum vitium horridum, asperum aspectu ob pilorum multitudinem, crassitiem, & longitudinem. Provenit ex superflua, crassa, & terrestri pilorum excrementitia materia. Apparet visui, & tactui: persentitur ejus incommodum à patientibus hoc vitium, si à violenta fiat causa, ut in Phaëtusa minatur vitæ periculum.

Inter Empiricos Marcellus, ut pili non nascantur, hoc ponit linimentum ex pinguedine ranarum, & vespertilionum, cum gummi hederæ; vel quod ungantur pili cum opio, & succu hyoscyami commixtis cum aceto. Vel ℞. cerussæ ℥. j. aluminis rochæ ℥. ß. succi hyoscyami quod sufficiat pro unguento.

Ab aliis Empiricis proponitur lepus marinus, vel cruor testudinis marini, vel scolopendrium marinum, vel lacryma hederæ, vel cinis ranarum palustrium, cum mucilagine psyllii. Dioscorides ponit lac, lacrymas tithymali cum oleo, farinam hordei, & saponem.

Methodici sub morbis in laxitate hunc affectum ponunt: sistunt in astringentibus.

Spagyrici pauca offerunt auxilia. Amyfinchet hoc proponit unguentum. ℞. calcis vivæ ʒ. iv. auripigmenti ℥. j. ß. radic. ireos Florent. ℥ j. sulphur. citrini ℥. ß. lexivij stipitum fabar. fortis ℔. ij. misce, coque in olla nova ad justam consistentiam, quam cognosces, si penna oblinita facilè plumas dimittat.

Rationales Medici ob indicationem cau-

sæ antecedentis,sanguinem mittunt, & fæ- A
pius purgant. Pilos auferunt forcipibus, & novaculis, & prosequuntur curationem pilos detrahendo, & illorum ortum impediendo. Avellunt violenter extrahendo, & radices pilorum exterminando per medicamenta depilatoria, seu psylothra: hæc aut partis pilos denudant, aut in nudata parte pilis, renasci prohibent per tempus. Avelluntur pili auferendo radices per dropaces. Inter mitiora depilatoria sunt lacryma vitis albæ, bryonia, lac ficulneum, tithymalus, amurca, sal ustum, semen ur- B
ticæ, sanguis testudinis marinæ, tartarum ustum, decoctum sandaracæ, & calcis vivæ in lexivio sarmentorum, decoctio oryzæ, fabarum, cicerum.

Vel ℞. calcis vivæ ℥. j. sandaracæ ℥. ß. bulliant in aqua. Adde ℥. ß. gummi hederæ, galliæ moschat ʒ. ß. aloës ʒ ij. axungiæ suillæ q. suf. pro unguento.

Dropaces præcipuè pilos avellunt radices erodendo: per tempus eorum impediunt generationem adstringentia, etiam impediendo vapores revulsione, & cutem C
densando: suaque vi occulta impediunt etiam lac canis, sanguis testudinis marinæ, aut vespertilionis. Ex iis omnibus perdulcis psylothrum proponit.

℞. Gummi hederæ in aceto dissoluti ℥. j. auripigmenti, ovor. formicar. ana ℥. j. gummi Arab. ʒ. ij. misce cum succo hyoscyami, in quo bullierit ℥. ß. calcis vivæ cum axungia gallinæ. F. unguentum applicandum abrasis pilis. Fit potentius cum sanguine testudinis, cinere caulium, D
pulvere hirundinum ustarum.

Vel ℞. calcis vivæ, auripigmenti partes æquales: coque in aqua rosacea, cum pumice usta, & parte gummi Arabici, pro capitis lotione.

Bellonius, Renodeus, Platerius laudant minerale Rusca dictum, quod ustum psylothron est efficax, agendi potentiâ & securitate præstans: invenitur in Dominio Turcarum.

Fumanellus laudat tithymali decoctum cum aceto, & calce viva, & ovis formi- E
carum. Heurnius calcis vivæ ℥. j. auripigmenti ʒ. ij. miscet cum unguento rosaceo, vel æquales partes calcis vivæ,& auripigmenti includit in nodulis, & partem illinit.

Renodeus sic præscribit. ℞. asellor. domesticor. ʒ. ij. sandaracæ ℥. ß. calcis vivæ ℥. j. aceti veteris, lexivii ficulnei, ana ℔. ß. coque in olla ad consistentiam linimenti.

Vel ex Platerio ℞. calcis vivæ ℥. j. auripigmenti ʒ. j. ß. Adde albuminis ovi & lexivii tonsorum parum: excipiantur in sapone Gallico: illine, maneatque per quadrantem.

Vel ℞. Auripigmenti ʒ. j. gummi hederæ ʒ. v. Fiat pulvis: adde ovor. formicar. contusor. cochlear. j. incorporentur cum aceto: adde sanguinem vespertilionum, aut ranarum, & succum hyoscyami.

Pro applicatione abscindantur pili forficula, cute calefacta aquâ, vel lexivio calidis, atque humectatâ, ut pili possint abradi. Sed ne permaneant radices pilorum, sunt qui emplastris eradicare contendunt, sic.

℞. resinæ abietinæ, vel lariceæ cochlearia iv. mastich. instar avellanæ: dissolve, coque, continuè agitando, deinde fusa in aqua frigida malaxentur pro emplastro. Alii bractea auri ignitâ, per cutem subitò deductâ, perficiunt pilorum abrasionem. Crito autem psylothron hoc eligebat à Galeno receptum.

℞. Calcis vivæ sextar. j. cimoliæ, pumicis usti, ana sextar. j. auripigmenti partes iv. trita ac lævigata reponito pro usu. Præcedat lotio aquæ dulcis.

CAPUT IX.

De pilorum defectu in barba, & aliis partibus, ac turpitudine.

Sicut in capite sunt pili pro tegumento, in aliis sunt partibus ex usu, ut in superciliis: in aliis pro ornamento, ut in barba, in qua hirsuties esset turpitudo, sicut & defectus, qualis apparet in eunuchis, & aliis; in quibus vel non apparet, vel serius ac in aliis provenit, aut rariores sunt pili. Provenit multitudo ex materiæ multitudine: defectus ex materiæ defectu, aut cutis densitate. Sensibus apparet vitium: turpitudinem potius quàm morbum parit in eunuchis incurabilem, in aliis rarò, nisi ob ætatis defectum proveniat, à qua potest emendari, & proximè ad illam ab auxiliis juvari.

Empirici pro barbæ pilis generandis & calvitie, eisdem utuntur remediis: & præcipuè in barba & palpebris utuntur aliqui ranis, aut lacertis ustis, melle, allio cepis, corticibus avellanarum, cepa assata, stercore suillo usto.

Methodici utuntur laxantibus; hunc enim affectum ponunt inter morbos in adstrictione.

Spagi

Spagyrici utuntur oleo ovorum. A

Medici Rationales variis utuntur remediis: inter quæ ℞. abrotani, schœnanthi, ana m. j. bulliant in aheno in duplici vase ad horas tres: cola cum cinere abrotani. Fiat linimentum.

Stercus murium cum aceto laudatur, & sordities alveolorum apum, axungia ursi, & talpæ. Hyssopum admittit Dioscorides, & oleum, in quo decoctæ sint lacertæ.

Palpebrarum generandis pilis confert mucilago ex carne limacum contusa, additis aliquibus vespis, aut apibus: simul B & sanies effluens ex compunctis limacibus prodest.

Si in superciliis, & barba decidant pili, ℞. seminis hyoscyami ʒ ij stercoris muris ʒ j. pulver. folior. tricomanes, & seminis nigellæ, ana ʒ. ß. spicæ nardi ℈. ß.

Si timetur casus pilorum, ℞. olei myrthi, lentiscinive ℥. ij. ladani hypocistidis ʒ. ij. dissolve in vino.

Si lanugo barbæ loco superveniat, abradenda frequenter novaculâ, & sic properanda pilorum aetescentia. Vel ℞. olei C anethini, de spica, ana ℥. v. comat. abrotani m. ij schillæ ʒ. iij. vini ℥. iij. bulliant pro vini consumptione. Vel ℞. pulveris seminis nigellæ, ovorum olei q. suf.

Vel fiat barbæ assidua lotio cum decocto abrotani, capillor. vener. polytrichi aurei, roris marini, radicum arundinis: fiat decoctio pro lotione, & post illam inunctio cum ladani unguento.

Vel pro linimento ℞. ℥. ij. olei, in quo coxerit abrotanum, cineris apum ʒ. j. stercoris murium ℈. j. ladani ʒ. iij. mellis ℥. j. D pinguedinis ursi quod sufficiat pro linimento, ex Sennerto.

In superciliis frequentior supervenit turpitudo ob casum pilorum, ad quam ex pediculis unguenta parat Marinellus. ℞. Vitell. ovorum ad duritiem coctor. n. j. aloës parum: inunge. Vel ℞. argenti vivi extincti cum saliva, staphidisagriæ, ana ℥. ß. butyri q. suf. Vel misce argentum vivum cum carne pomi cocti.

Vel si fit casus pilorum ex aliis causis, ℞. E plumbi usti, pinguedinis anatis, ana q. suf. pro unguento.

Vel ut renascantur pili, ℞. seminis hyoscyami usti q. suf. cum aqua fiat unguentum.

Observarunt de barbæ pilorum casu, aliqua Horstius *lib. 2. observat.* & Montagnana *consil.* 198. & Schenkius de illius hirsutie.

Caput X.

De canitie, & pilorum tincturis.

Capillorum albus color dicitur capillorum canities: alia à nativitate acquiritur in aliquibus regionibus: aliam metu, & terrore sic provenire in aliquibus repentè, tradiderunt historiæ: aliam ab ætate supervenientem experiuntur senes; alia est, quæ à morbo supervenit, qui dicitur vitiligo. Harum hæc curationem exigit per auxilia Medica: reliquis magis favet Cosmetica ars, quâ pili tinguntur. Pro tinctura varii appetuntur colores, pro quibus adjiciemus remedia.

Quæ à nativitate fit canities, in regionibus fit frigidis, pituitosisque subjectis, à quibus pro materia pilifica major copia provenit ex pituita naturali superabundante in matre. Rarior est calvities, quæ ex metu, & terrore fit. Inventio hujus repentinæ tincturæ difficilior tribuitur causæ violentæ, ac repentino caloris retrocessui, ob animi passionem. Sed ad tingendum requiritur nigri tingentis coloris retrocessus, & novus pituitæ dealbantis accessus: quæ mutatio non levem præstat sui cognitionis viam: nec si naturalis est causa, apparet ratio quare in omni timore mortis imminentis hoc non contingat pluribus, præcipuè iis, qui supplicio mortem patiuntur: nec ulla nunc mihi se offert convincens ratio ad hoc, quod pura bilis, aut melancholia tingens seligatur ab attrahente vi corporis, & moveatur ad venas, & separata pituita ab expellente trudatur in pilos; præcipuè cùm tingens humor sit pars adintegrans pilos, à quo sine illorum corruptione non fiet segregatio, nisi à superiore virtute. Senectutis canities, quæ paulatina est, mutatâ paulatim materiâ, ex qua fiunt pili, cùm languente calore major aggregetur pituitæ, crudorumve humorum copia, nova substernitur materia albidior, ex qua albi paulatim fiant, ac generentur pili, qui de novo accrescunt.

In vitiligine, fiunt pili albi, & cani à morbo, qui est frigidus corporis habitus, à quo frigidi, & humidi fiunt humores, debilis illorum repositio, & ob redundantiam in capite pituitæ, materia pilifica superabundat, & pili ex illa procreati fiunt cani.

Cognoscitur visu canities: illius species apparent ex causatum occursu. Unde nativa,

tiva, orta ex timore, & ſenilis, nullis remediis curari poſſunt; bene tamen quæ ex morbuſis fit cauſis. Plures Coſmeticâ ſaltem utuntur arte pro vitanda canitie. Quæ à ſenectute provenit, potiùs ornamentum adducit, quàm turpitudinem. Ideò non ſine nota admittitur illius tinctura. De iis qui eâ utuntur, Quintus Serenus ait:

Qucs pudet ætatis longæ, quos ſancta ſenectus
Offendit, cupiunt proprios abſcondere canos,
Et nigrum crinem fuco ſimulare doloſo.

Hos ſub Lentino reprehendit Martialis ſic:

Mentiris juvenem, tinctis, Lentine, capillis:
Tam ſubitò corvus, qui modò cygnus eras.
Non omnes fallis, ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Pro curatione Empirici, aut inſiſtunt in auferenda cauſa morboſa, aut in tincturis. Prò cauſa morbuſa auferenda, præcipuè in malo habitu corporis, Bobius exhibet pulverem ſeminis ebuli ad ʒ. ij. vel elaterium ad grana iij. cum pilulis maſtichinis. Alii utuntur radicibus aſari ad ℥. j. infundendis in vino. Rulandus pro canitie laudat oleum Heraclinum. Marcellus Empiricus ad denigrandos pilos proponit ſtercus hirundinum, quod ſufficienter infunde in aceto: immitte in vas fictile, pone in fimo equino per xxx. dies, illine caput. Vel coque caput agni candidi, lava caput. Vel impone in vas æneum ova corvina in impari numero, diu agitentur, & inunge caput. (Numerus dicit ſuperſtitionem.) Vel redige in pulverem vermes terreſtres, miſce cum aceto pro inunctione. Evonimus proponit carnem talpæ redactam in pulverem cum ſulphure, & decocto chelidoniæ. Cardanus ex Epiphanio Empirico laudat aquam caparrorum. Pro aureo colore Evonimus ſponſam ſolis ponit in lacte mulieris nutrientis puerum maſculum, per decem dies.

Methodici intenti in ſuis morbis laxis, & adſtrictis, pro hoc affectu nihil præſtant, niſi pro vitiligine recurrant ad cauſam.

Ex Spagyricis Amyſinchet utitur tinctura proprietatis, rotulis imperialibus, elixyr ſulphuris, vini ſpiritu ex aqua cordiali calida.

Hartmanus utitur oleo cinnamomi, ad auferendam canitiem. Pro cauſa auferenda utitur panchimagogo Crollii, ſpecifico purgante Paracelſi, extracto eſulæ, & hellebori nigri, mercurio dulci, floribus butyri antimonii.

Medici Rationales utuntur pro morboſa canitie Therapeuticis, pro incurabili Coſmeticis. Si fit à vitiligine, phlegma vacuandum phlegmagogis, diaphoreticis, caputpurgiis: utendum calidis alimentis, evocandum ad cutem. Confert exercitium, crebra pectinatio cum pectine corneo, vel plumbeo, vel intincto oleo cedrino, pice liquida cum oleo mixta, oleo myrthino agitato in mortario plumbeo. Aut fiat talis inunctio.

♃. cum Perdulci, olei coſtini, & myrthini, agitati in mortario plumbeo, ana ℥. j. ß. picis liquidæ, ſucci juglandis recent. ladani, ana ℥ ß. pulver. lapidis nigri, gallar. plumbi uſti, fuliginis reſinæ, vel thuris, ana ʒ. ij. mucilag. gummi Arabici extracti in decoct. gallar. q. ſuf. Fiat unguentum pro capitis illinitione. Communia ſunt hæc pro mentienda canitie.

Sed Ars Coſmetica varias adinvenit tincturas pro variis pilorum coloribus. Pro nigris tingendis, Fumanellus ad denigrandos pilos hoc proponit lexivium. ♃. ſucci cortic. nucis juglandis ℔. iij. lithargyrii triti ℔. j. cum lexivio ſimul capillos lava. Alexius hoc proponit. ♃. lexivii communis q. ſuf. folior. betæ m. j. ſalviæ m. iij. myrrhæ, folior. laur. cortic. nucum viridium, ana q. ſuf. miſce, coque, & lava.

Vel cum Marinello, ♃. folior. ficus, folior. vitis nigræ, folior. mori, ana ℔. j. aquæ pluviæ q. ſuf. macerentur per diem, coquantur, fiat lotio.

Vel cum Porta, ♃. corticum ficus, gallar. elater. ruffi, cupreſſi, ana q. ſuf Miſce, fiat lexivium. Vel ♃. ex eodem, argenti ſpumæ, æris combuſti, ana partes æquales, lexivii fortiſſ. partes iv. coque.

Archigenes hoc parat unguentum. ♃. ſpumæ argenti, cimoliæ, aluminis liquidi, ana partes æquales: prælotis, & ſiccatis capillis, illine in noctem. Vel pro barba denigranda, ♃. ſuber aridum, & plumbum uſtum, cum betæ ſucco crudæ, mellis ſpiſſitudine illitæ: ſine uſque ad prandium, lava.

Vel cum Bayro, ♃. myrobal. nigror. emblicor. gallar. ana partes x. ladani partes xx. fol. myrrh. recent. partes xxx. pulveriſata, & criblata infunde in tribus partibus olei, per tres dies coque ad ſpiſſitudinem Rhaſis refert quod epota ʒ j. vitrioli, amicus per noctem unam habuit pilos nigros. Zacutus, quod eſt arbor apud Fernambucum, Gimbatum dicta, ex cujus amputatis ramis exſudat liquor nigrandis capillis aptus.

Fumanellus hoc proponit. ♃. Gummi A Arabici ℥. iv. myrobal. chebul. emblic. ana ℔. ß. omnia trita suavi igne destillentur, apponantur soli per duas horas, lava caput cum lexivio, & postea illine.

Henricus Abhors laudat succum radic. juglandis, immitte in testes, & hoc pluries repete. Fient pili nigri. Mercurialis hoc laudat ♃. myrobalanor. nigror. ℥. j. passul. nigr. ℥. ij. vini adstringentis ℔. iij. coque lento igne ad consumptionem duarum tertiarum: adde succi corticis nucum juglandium virid. ℔. ß. sumach, aca- B ciæ, ana ℥. j. caryophyl. ℥. j. ß. moschi ℈. j. coque in duplici vase per dimidium diem, illine capillos sub noctem, caput tege panno nigro, mane ablue pilos cum vino in quo sint decocti myrobalani nigri.

Sennertus hoc laudat. ♃. lexivii ℔. ß. coque in eo lithargyrii auri ℥. iv. decocto hoc spongiâ imbuatur, qua capilli madefiant per quartam horæ partem: post caput madidum linteo per horam tegatur, & postea lexivio non forti ablue capillos, C quod bis in septimana faciendum.

Forestus laudat saponem factum ex sebis consuetis, ovillo, caprino, hircino, pice liquida additâ, lexivio parato cum moscho & ambra grisea, intermisto atramento sutorio.

Platerius corrigit supercilia colore nigro ex fuligine ficta cum nucum oleo, & glutine Fernesino, quod prodest & aliis pilis: sic & lotio vini, in quo hirudo suffocata sit. Prodest & aqua elicita ex atramento sutorio, oleum in quo coxerit cortex nu- D cum, plumbum coctum in aceto.

Pilos ruffos efficiunt ex Platerio, lotio ex decocto radic. rubiæ, raphani, loti arboris ligni, rasuræ lupinor. absinth. in lexivio.

Alkana ex Arabis à Turcis delata laudatur pro pilis ruffis tingendis.

Bayrus hæc proponit. ♃. rubiæ tinctor. stœchados citrinæ, polytrichi, absinth. lupinor. ana q. suf. pone in lexivio in vase vitreo per novem dies, movendo singulo die bis, cum spongia lava pilos. E

Vel cum Rondeletio, ♃. lexivii sarmentor. q. suf. ad semel lavandos capillos, flor. tapsi barbati, & stœchados, radic. chelidon. ana p. j. coque pro lotione.

Gallenus illinit pilos cum aqua, nitro, & lupinis, Marinellus ♃. lupinorum citrinorum ʒ. v. myrrhæ ʒ. v. salis nitri ʒ. iij. tartari albi usti ʒ. iij. lexivii sarment. q. suf.

Ex Rondeletio ♃. lexivii ex cinere hederæ ex ligno decorticato, fiat lotio. Vel ex Fumanello, ♃. lexivii ex cineribus vitium q. suf. vel centaurii major. ʒ. iij. aluminis fæcis ℥. viij. aluminis rochæ, cumini Arabici, ana ℥. ij. saponis albi, lacrymæ tragacanthi, ana ʒ. iv. aquæ ℥. vj. coque ad medietatem: cola. Vel ex Trotula, ♃. stipites ex radice caulium, pulverizentur. Adde rasuram buxi: fiat lexivium.

Sennertus laudat lexivium, in quo flores genistæ, verbasci lutei, stœchados citrinæ, chamæmali, cortex citri, radic. cucum. & gentianæ infundantur. Vel fiat lotio cum aqua, in qua coquantur lupini. Forestus hoc proponit. ♃. olei tartari & persicorum, ana ℥. ij. misce, verberentur fortiter in sole quater in die: continuetur donec fiant bene flavi pili. Vel ut pili nigri fiant flavi, flores vini in balnei sordes mittito, & ea in spissitudinem ceræ redacta, sub somnum illinito.

Amatus hoc præstantius proponit. ♃. ex alkana Arabum pauco vino excepta, & in pulmenti formam redacta: capilli illinantur hoc pulmento, & stuppis sint cooperti per vigintiquatuor horas, & bene fasciati: posteà vino tepente lavetur caput, & eburneo pectine pili pectinentur.

Platerius pro flavis tingendis pilis abluit illos aquâ, in qua ferbuerit alumen, aut sal nitrum, aut tartarum; vel abluit lexivio, & madefacit illos cum aqua elicita ex agrimonia, serpentaria, aro, vel cum aceto & quarta parte nitri.

Vel fiat lexivium ex vitis sarmentis cum cortice media sambuci, radice chelidoniæ, liquiritiæ, floribus stœchados citrinæ, rasura buxi, cortice arantiorum, flore rinctorio, ac herbis capillaribus.

Pili ut fiant albi, ♃. stercoris hirundinum, fellis tauri, ana q. suf. fiat unguentum.

Vt pili fiant rubri, ♃. tartari usti triti, olei cucumeris sylvestris, ana q. suf. fiat linimentum.

Vel ♃. lupinor. tritor. ʒ. x. myrrhæ ʒ. ß. flor. salicis ʒ. iij. tartar. usti ʒ. iij. trita in lexivio colentur.

Vt pili fiant aurei, ♃. palear. hordei, cortic. gliceriæ, rasuræ buxi, fol. buxi, croci, cumini, ana q. suf. lexivii sarmentor. q. suf. coque, fiat lexivium, quo sæpe ablue capillos.

Fiunt pili crispi hac inunctione. ♃. cornu arietum q. suf. incidito, cum oleo terito, capillos inunge. Vel cum Marinello ♃. spumæ salis, quæ bulliendo colligitur, myrrhæ tritæ, ana q. suf. fiat unguentum.

De

De pilorum canitie varia observant Scriptores. Nancelius, quod in Albania statim à pueritia fiunt homines cani. Plinius, quod apud Pandoram incolæ vivunt per ducentos annos, & cùm à pueritia sint cani, in senectute capilli redduntur nigri. Schenkius, Moronus, & Marcellus Donatus plura observant de canitie. Suetonius de puero ministrante in Sacrificio, quod offerebat Galba, tenet quod subitò canus evasit. Cælius horæ spatio refert quendam canitiem evasisse: & idem refert de puero pendente ex rupe. Vives de juvene conjecto in carcerem, asserit una nocte evasisse canum. Had. Junius refert idem de quodam Hispano. Similes confirmant historias Scaliger, Cuspinianus, Lemnius, Sennertus. Fit forsan repentina canities in animi passionibus, luciditate per putredinem superaddita in capillis: ut enim tenet Thelesius Niquetus, ob contentam lucem fit alba nix, spumaque, & per putredinem igneis commotis partibus, potest supervenire albedo, ut contingit in luti superficie, & aquis stagnantibus ob elevatas partes lucidas in superficiem per putredinem.

Inter observatas tincturas pro canitie, audiendus Cardanus hanc proponens *lib.4. de sanit. tuenda.* ℞. mense Septembri virentis nucis proceræ radicem cruris crassitudine sub terra latentem, secabis per transversum, sublata parte inferiori illius, colloca vas vitreum, aut figulinum vitreatum submitte plenum oleo olivarum, ita ut vas radicis truncum, ex quo reliquum præcidisti, recipiat intus, immergaturque oleo vasis: os obline cera, ut conjungat radicem cum labiis vasis, ne terra intro penetret: & superimposito lineo panno, terrâ insuper cooperiatur, ut vas radicis præcisæ loco positum maneat sub terra sepultum, donec nux flores emittat. Tunc vas, sine eo quod terra in ipsum cadat, extrahatur, oleum erit nigrum, cum quo scrotum inunge, postquam homo cœperit sudare in balneo, & assiduè testes in ipsum immissos suveto. Fiat semel in anno.

Caput XI.

De porrigine, seu furfuribus capitis.

Porrigo proximè accedit ad pilorum vitia turpitudinem inducentia: cuticulæ enim præcipuè capitis est morbus; est enim, in quo tenues, & furfuraceæ squamulæ leni scalptu inter pilos surgunt, & à cute resolvuntur. Causa sunt vitinsi icores ex bilioso, & melancholico sanguine, salsave pituita provenientes, cuticulamque suâ acrimoniâ erodentes. Porrigo alia est mitior, proveniens ex vaporibus resudantibus extra cutem siccatis.

Altera est deterior, facta ex resolutione cuticulæ, ob siccam intemperiem, ortam ex serosis humoribus, in qua, & pruritus, & pilorum scissura solet supervenire. Prima verò porrigo sanis est communis, quæque sensibus apparet, & ejus distinctio ab accidentibus.

Empirici topicis tendunt ad curationem. Marcellus Empiricus laudat capitis lotionem ex lotio tauri: terit rorem marinum, & ejus exhibet succum in aqua, aut vino, vel consulit lexivium ex cinere fraxini, & post exsiccationem, saponem, & argenti spumam conterit, caput fricat: vel capiti loto, & exsiccato applicat terræ cynodiæ p. j. nitri Alexandr. p. j. sulphuris vivi p. j. contunde, criba, applica parti porriginosæ. Vel coque corium mali punici in aceto, applica porrigini. Vel surculi anethi pulverisati cum oleo, & parum galliæ applicentur, vel acetum cum stercore muris, vel cum succo hederæ, & cyclaminis, vel cum asini stercore, vel cum tauri felle, mixta cum nitro.

Evonimus consulit aquam ex salvia destillatam, sic. ℞. Salviæ ℔. j. ß. nucis myristicæ, zingiberis, caryophyllor. granor. paradisi, cinam. ana ʒ. ß. putrescant in vino, deinde fiat destillatio.

Rulandus jubet caput tundere quotidie, & lavare mane, & vesperi cum decoctione pisorum & lexivio mixtis: post detersionem inungit cum oleo sulphuris, vel laurino, vel amygdalis amaris.

Methodici nihil pro ornatu præstant, sed hunc affectum ponunt sub morbis in apertione pororum, in cujus curatione debent sistere in astringentibus.

Spagyrici aliqua proponunt auxilia. Amysinchet laudat hoc unguentum. ℞. pinguedinis lardi veteris ℔. j. tereb. albæ ℥. vj. lapidis medicamentosi, olei de tartaro, sulphur. vivi, & citrini, cerussæ lotæ, lithargyrii minii, ana ℥. j. hellebori utriusque, piper. longi, tuthiæ præpar. nihili albi, ana ℥. j. ß. mixtis affunde succor. depurator. limonum, radic. lapathi acuti, & scrophular. fumariæ, scabiosæ, corticum internor. hirudinum, sambuci, limonum, ana ℥. iv. coque ad succor. consumptio-

nem : adde styracis liquidæ , cinnabaris factitii , ana ℥ j. ß. olei laur. juniperi, ovorum, ana ℥. j. mercur. sublimat. ʒ. ij. fiat unguentum.

Medici Rationales levem porriginem, si fiat ex neglecta munditie , curant abrasione frequenti, pectinando , frictione assidua, aut lotione capitis : nec immorandum in hac impedienda evacuatione materiæ vaporosæ substantiæ, ut docet Celsus: præcipuè tentanda consumptio superfluæ humiditatis.

Si gravis est porrigo, pendens ex indebito usu alimentorum , vel ex aliqua causa procatharctica , hæc vitanda : si pendet ex vitio jecoris , hoc corrigendum : si fovetur ex vitiatis succis , tentanda eorum evacuatio sanguinis missione , aut purgatione, juxta indicationes causæ : si ex nimia jecoris siccitate & calore foventur humores , balneis jecur , sero , & ptisanâ attemperandum, alvus sit lævis, vitanda salsa alimenta , ficus , & quæ caput replent: sumpta indicatione à parte affecta , detergendum caput lotionibus , quæ detergendi, & discutiendi vim habeant. Prosunt quæ fiunt ex radice enulæ campanæ, bryoniæ , lapathi , ex foliis parietariæ, fumariæ, agrimoniæ. Possunt superaddi semina fœnugræci , & lini , fæces vini , & furfures.

Oribasius hanc ponit lotionem. ♃. furfurum ℥. viij. coque in ℔. j. ß. aquæ. Actuarius malvam decoquit in aqua marina: Aëtius fricat diu furfures , in aqua imponit , colat, coquit ad spissitudinem, addendo parum aceti. Constantinus Africanus farinam cicerum miscet cum succo betæ, vel malvæ ; vel fœnugræcum in aqua concoquit cum felle caprino. Dioscorides consulit aquam folior. sesamini : Quintus Serenus decoctionem radicis malvæ ; Heurnius decoctum fœnugræci, malvæ , violariæ, flor. melil. furfurum. Elideus proponit decoctionem flor. malvæ. Alii lexivium commune adaptant. Perdulcis post fotum applicat emplastrum ex farina orobi, lupinor. ciceris, betæ , brassicæ, abrotani. Fumanellus hoc parat. ♃. farinæ ciceris , & fœnugræci, furfuris myrthillorum, & sinapis , ana ʒ. v. olei communis quod sufficiat , aceti , & aquæ parum.

Galenus recipit spumæ nitri , atramenti sutorii, ana partes æquales , vini q. suf. & miscet. Vel ♃. fæces vini , pumicis, nitri, lupinorum , ana p.j. Vel ♃. terræ cimoliæ, fellis bubuli , aceti, ana q.suf. Forestus pro levi porrigine utitur decoctione salicis & betæ albæ. Pro fortiori, felle taurino, caprino, & aphronito, temperatis cum oleo irino. Vel ♃. malvæ, betæ, pro porrigine minante tineam, lapathi acuti, cum radice hederæ arboreæ , centaur. minor. ana m. j. caul. rubrar. m. ß. colocynth. ʒ. iij. agarici ʒ. j. folior. sennæ ℥. ß. hellebori nigri ʒ. ß. coque in aqua communi ad ℔. ij. ß. adde colaturæ salis communis p. j. lava caput.

Pro porrigine aliqua observarunt Forestus *lib. 6. num. 12. & 13.* Zacutus *lib. 1. observat.* observat incurabilem porriginem fuisse devictam lotione ex decoctione anguium per quadraginta dies. Marcellus Donatus *lib. 1. de hist. mirabili* , observat porriginem per totum corpus , per totam vitam durasse in Ludovico Volao.

Caput XII.

De Phthiriasi , seu pediculis.

Phthiriasis , est morbus pedicularis in toto corpore , sed quammaximè in capite sub pilis ortus , magnamque inducens turpitudinem : sunt enim pediculi animalia parvissima ex cuticula erumpentia : alii sunt vagi , qui ex cute foras erumpunt; alii stabiles, alii corrodentes. Variis designantur nominibus. Sunt aliqui qui generantur in capite pilis inhærentes , & sæpe illos corrodentes , qui dicuntur lendes. Pediculi vagi , aut fiunt ex lendibus , aut ex corruptis humoribus , seu vaporibus intercutaneis ; & fiunt albi , nigri , rubri, citrini , juxta humores , à quibus elevantur vapores , ex quibus fiunt. Alii pediculi dicuntur morpiones , seu pessolatæ, præcipuè geniti in pectine , & sub axillis. Sunt alii dicti cyrones , intra cutem & cuticulam latitantes. Omnium præcipua generatio est per viam putrefactionis putridorum humorum ad cutem. Horum diversitas apparet ex dictis , & sensu percipiuntur. Si levior est causa, potius molestiam , quàm periculum minantur : sin minùs , sæpè visi sunt homines dilaniare.

Pro curatione ex Empiricis Rulandus consulit oleum lateritium , vel quod fiat inunctio ter in die cum oleo Heraclino. Marcellus Empiricus proponit serum cum aceto.

Vel ♃. radic. hellebori ℥. j. staphisagriæ ℥ j. simul tritita coque in oleo. Vel ♃. nitri, & staphisagriæ æquales partes, aphronitri & sulphuris aliquam portionem : simul terito, & fricato. Vel ♃. olei communis ℥. iij. ceræ ʒ. j. staphisagriæ, argenti

argenti vivi extincti, ana ʒ. iij. Fiat unguentum. A

Methodici parum præstant pro hoc affectu, quem ponunt inter morbos laxos, & conantur sistere adstringentibus.

Inter Spagyricos Paracelsus ponit hoc vitium inter morbos ex nutrimentis mali succi: & *lib. experimentorum*, has pro illo proponit pilulas. ℞. essentiæ mercurialis ℥. ß. aloës hepaticæ, myrrhæ nutritæ, ana ℥. ß. croci ℈. ß. Fiant pilulæ, cum oleo staphysagriæ, post quas bibat æger haustum vini centaureæ, vel persicariæ. B

Amysinchet hoc proponit unguentum. ℞. olei lauri, templin. ana ℥. iv. succorum rutæ ʒ. vj. Misce, coque ad succor. consumptionem: adde argenti vivi extincti ℥ ß. semin. staphisagriæ, nitri imprægnati, aloës hepaticæ, ana ℥. ß. radic. hellebori albi, lapathi acuti, nicotianæ, ana ʒ. ij. camphoræ, olei spicæ, ana ʒ. j. cum cera fiat unguentum.

Hartmanus consulit purgationes cum pilulis cocbiis, vel cum specifico purgante Paracelsi: pòst utitur suffimentis ex candelis confectis cum cera, & cinnabaro: vel utendum cingulo Rulandi, quod paratur sic. ℞. nigredinem mercurii ex Rulandi præparatione, cùm spiritu vini, agitando quantum sufficiat: misce cum pulpa pomorum assatorum. Fiat unguentum. Recipe deinde linteum in fascias instar cinguli, & in extracto liquido croci aliquoties imbibe, & sicca: in duas tales lacinias uguentum istud in forma emplastri extende, tandem ab altera parte exteriori corium subtile adapta, & cingulum nudo corpori appone. C D

Rationales Medici Dogmatici; pro curandis pediculis, sumpta indicatione à causa, victus rationem præscribunt prohibentem illam: humores ex quibus fiunt pediculi, disponunt, sanguinem mittunt, & purgant juxta indicationes præsentes horum remediorum. Munditiem consulunt tonsurâ frequenti in partibus pilosis, & balneis, lotinnibus, detergentibus, discutientibus, amaris, nitrosis, inter quæ sunt lexivia ex cineribus centaureæ, & tanaceti, balnea, & fomenta ex decocto absinthii, marrubii, aristolochiæ, centaureæ, rutæ, mercurialis, seminis staphisagriæ, & lupinorum cum aceto. E

Sumpta indicatione à pediculis, variis utuntur topicis, juxta illorum naturam. Ad lendes præcipuè hoc prodest ex Perdulci. ℞. olei rutacei, amygdal. amar. axungiæ rancidæ, ana ℥ ij. seminis staphisagriæ, succi tanaceti, ana ℥. ß. aloës, myrrhæ, ana ʒ. ij. centaurii minoris, salis, sulphuris, ana ʒ. j. Fiat unguentum. Forestus pro omni pediculorum genere præstantissimum remedium tenet esse, quod habet mercurium, licèt hoc in pueris minus tutum.

Pro vagis pediculis nos pulverem nicotianæ inspersum capiti, curationi sufficcisse vidimus. Proderit lotio decoctionis ex foliis nicotianæ, vel succus earum: vel si sint in palpebris, ℞. acetum schilliticum, in quo parum aloës dissolvatur, quò palpebræ madefiant.

In capite inspergatur pulvis hic. ℞. seminis staphisagriæ ʒ. ij. salis ʒ. iij. aloës ʒ. j. cinnabaris ʒ. ij. Fiat pulvis.

Sed potentius pro illinitione hoc unguentum asseritur. ℞. argenti vivi ʒ. j. terebenthinæ ʒ. ij. axungiæ suillæ ʒ. vj. agitentur, & fiat unguentum.

Vel pro communi unguento, ℞. semen staphisagriæ, helleborum album, sal, argentum vivum, axungiam suillam, oleum laurinum, saponem, & acetum cum Platero.

Vel pro cyronibus prodest fumus ex semine hyoscyami projecto supra carbones ignitos: vel quod effodiantur à cuticula intra quam latent, & pars abluatur vino, cum alumine, aut nitro.

Solet pro pediculis apponi zona cum hoc unguento. ℞. olei ℥. iij. mercurii ℥. j. ceræ ℥. ß. Fiat unguentum. Theodorus Priscianus laudat usum cedriæ. Mercurialis hoc decoctum proponit. ℞. staphisagriæ p. j. nitri ʒ. ij. bulliant in ℔. iv. aquæ ad consumptionem medietatis: facta expressione, adde argenti vivi extincti ʒ. j. agitentur baculo per duas horas, abluatur cucufa, quæ exsiccata imponatur capiti. Galenus utebatur semine staphisagriæ, cum aceto acerrimo. Avicenna sinapi trito cum aceto, in quo extingatur argentum vivum. Heurnius commendat coculos Indiæ, vel piscatorios, mixtos cum succo nicotianæ, & adipe suillo. Amatus laudat hanc lotionem. ℞. lupinorum amaror. p. iij. seminis staphisagriæ p. ij. Fiat decoctum in aceto, & post lotionem inunge cum hoc unguento. ℞. Seminis staphisagriæ ʒ. ij. sandarac. p. j. nitri p. ß. cum aceto, & succo raphani: omnia pistata misce. Fallopius lavat caput cum aceto, sale & radice altheæ. Ottholphus utitur deceptione nasturtii, vel aluminis pulvere. Zacutus miscet lithargyrium cum medulla pomi assati, vel utitur aqua vitæ

vitæ, in qua macerentur staphisagria, baccæ lauri, & præcipitatum.

Plura observantur de pediculis. Hugo de Sancto Victore observat ex historiis, Deum per abjecta hæc animalia plures superbissimos discruciasse, inter quos sunt Antiochus, Herodes, Iulianus, Iuliani Apostatæ avunculus, Galerius, Maximinus, & Arnolphus Imperator: inter quos etiam annumerandi Acastus Peliæ filius, Alcmari Græcus Poëta, Pheterina Regina, Pherecides Philosophus Syrius, Calysthenes Olynthius, Speusippus Atheniensis Philosophus, Lucius Sylla Romanus Dictator, Acastus, Muræna Iurisconsultus, & alii.

Tulpius *lib* 3 *cap*. 40. in pube phthiriasin feram vidit subortam, & remedia proponit, quibus devicit illam. Amatus Lusitanus *cent*. 3. *curat*. 59. observat hanc affectionem posse esse communem toti corpori. Forestus *lib*. 8. *observat*. 14. varias ponit differentias pediculorum, & quod eisdem vincuntur remediis, & quod in milite ex struma rupta plures emanarunt pediculi: & gibbositate aperta in puella, idem contigit. Camerarius observat solere oriri quasdam pustulas exiguas, in quibus apertis apparent pediculi: *& lib*. 5. varias adducit observationes, in quibus pediculorum apparent differentiæ.

Caput XIII.

De crusta lactea, achoribus, & favis.

Crusta lactea, achores, & favi, sunt tubercula ulcerosa in capite supervenientia in parte capillata, in quibus apparent foramina, & saniosum quid continuò effluit. Provenit ex iis magna præcipuè capillorum turpitudo, & cuticulæ, & cutis, his quibus superveniunt. Crusta lactea tempore lactationis supervenit. Achores etiam in adulta ætate, nec sicut illa albicant. Hi Græcis favi dicuntur, licèt Galenus teneat in favo reperiri parvum tumorem: in achoribus tumorem perfundi plurimis foraminibus. Fiunt, ex Galeno, ii affectus ex serosis succis, tenuibus, acribus, commixtis crassis, ac salsuginosis. Sed achores fiunt magis ex pituita salsa, & nitrosa. Cognoscuntur visu, tactúve: humor verò prædominans, ex colore: crusta, quia est alba, & in pueris lactantibus: favus, quia habet majora foramina quàm achores; ii enim minimum locum obtinent. Ex Hippocrate *lib. de morbo sacro*, ulcera manantia in pueris liberant ab epilepsia, & aliis morbis. Si favi in adultis superveniant, aut achores diu persistant, ex Hippocrate *in prorrhet*. fiunt formidabiles, magnam inferunt turpitudinem, & in tineam, alopeciam, & maligna ulcera transeunt.

Pro curatione Empirici proponunt aliqua. Rulandus proponit sic. ℞. Absinth. flor. chamæmali, serpilli, matricariæ, ana m. ß. baccar. laur. radic. ireos, ana ℥. j. radic. asari ℥. j. ß. incidantur, & sacculo condita coquantur in lexivio ex ligno junçperino facto cinere, ex quo fiat, cum quo, luna decrescente, lava caput quotidie.

Vel ℞. aquam terræ sanctæ ejusdem Authoris: vel ℞. aquam decoctionis pisorum, & folior. quercus, lava caput, & post lotionem vespertinam, inunge cum oleo sulphuris. Scarificare convenit scapulas, ex eodem, unoquoque mense, & laveтur caput lexivio forti: avellantur capilli, & deinde ℞. aluminis crudi ℔. j. sulphur. vivi ℥. j. misce, fiat pulvis inspergendus.

Methodici ponunt hos morbos sub morbis in laxitate, in quibus curandis sistunt in usu medicamentorum adstringentium.

Ex Spagyricis Paracelsus ponit hos affectus sub morbis tartareis, contenditque illus curare suis specificis remediis tartarum evacuantibus. Alii consulunt oleum ovorum: alii oleum tartari: alii liquorem argenti vivi. Crollius laudat mercurium purificatum, à quo nigredo sit ablata, de quo ℞. ℔ ß. misce in patopside terrea vitreata cum mercurio sublimato, & pune in alembico angusti oris, suffuso aceto destillato ad eminentiam quatuor digitorum, movendo quotidie, ex quo extrahes pulverem album, quo pars affecta pulverisetur.

Hartmanus favum, achores, & ulcera capitis manantia in pueris, consulit non semper curanda: in adultis laudat urinam aprugnam cum vessica sua exceptam, addito cerebro aprugno, quæ diligenter minuta deserviunt pro illinitione: vel prodest balsamum sulphuris, quo ulcera omnia curantur.

Dogmatici, sive Rationales Medici, in recenter natis, quibus ii affectus sunt criticæ expulsiones coinquinamenti recepti in utero, sinunt naturæ opus, conarique tenentur curationem quod rectificetur lac. In adultis tentant curationem juxta varias indicationes. Attentâ indicatione causæ, victus præscribendus boni succi, attemperans causa antece

antecedens evacuanda sanguinis missione aut purgatione, juxta indicationes horum remediorum: & sumpta indicatione ab eadem causa, prout fluit, succi revellendi, aut derivandi clysteribus, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, scarificationibus, fontanellis. Si indicatio sumatur à parte affecta, seu ab ipso affectu, utendum topicis mundificantibus, abstergentibus, carnem generantibus, cicatrizantibus.

Sennertus consulit lotionem ex decocto malvæ, hordei, vel radicis oxylapathi, folior. chelidoniæ, absinthii, seminis fœnugræci, cicerum, fabarum: vel decoctum radicis althææ, factum in lotio infantis. Post lotionem fiat inunctio ex oleo rosaceo, & amygdalar. cum lithargyrio. Fiat unguentum. Vel ℞. pulver. rosar. rubrar. radic. chinæ, fimi columbini, viridis æris, sulphuris, ana ʒ. ij. olei juniperi, cheirini, ana q. suf. Misce in mortario. Si tamen cranium lædatur, crusta emolliatur decocto malvæ, & violarum in butyro, ulcera exficcentur lexivio ex cineribus vitis, fragi, fraxini, addito butyro. Horatianus hoc laudat oleum. Tere in mortario plumbeo oleum rosarum, donec nigrescat. Deinde in alio mortario alterius metalli tere cum lithargyrio oleum, & tuthiam. Heurnius in recente affectu utitur lexivio ex cineribus salicis, fraxini, vel brassicæ in aqua fabrorum; addendo capita rosarum, vel folia quercus, vel pimpinellæ, flores meliloti, stœchados, agaricum, radices enulæ, vel lilii, aut bryoniæ. Fiat lotio. Vel si inveteratum est malum, ℞. sextam partem argenti vivi cum plumbo igne fuso, fiat ex plumbo pulvis, coque cum unguento rosaceo, vel pinguedine ex carne liquata. Si gravior fiat affectus, confert potus ex herba Divi Jacobi, absinthii, ireos, fumariæ, betæ, marrubii vel nicotianæ.

Gordonius, Guido, Vigo utuntur hoc linimento. ℞. utriusque hellebori, sulphuris vivi, calcitidis, auripigmenti, lithargyrii, calcis vitrioli, gallarum, fuligines cicerum gravelatorum, ana ℥ j. hydrargyrii extincti, viridis æris, ana ℥. ij. Fiat pulvis, seorsim habeto succum hortragin. scabiosæ, fumariæ, oxylapathi, aceti, ana ℥. iij. fæcis olei antiqui ℔. j. Bulliant ad consumptionem succorum, effunde pulverem, & adde picis liquat. ℥. j. Fiat unguentum.

Apollonius hoc consulit linimentum. ℞. cerussæ ℥. vj. spumæ argenti ʒ. ß. sulphur. ʒ. vj. olei rosacei, & aceti, ana quantum sufficiat. Fiat unguentum. Fumanellus hoc proponit. ℞. succi betæ, chelidoniæ, ana ℥. ij. axungiæ porcinæ ℥. ij. hellebori albi ℥. j. Fiat unguentum. Bayrus hoc profert. ℞. myrrhæ, radicis iridis, hellebori nigri, ovorum, ana quantum sufficiat, rrita misce in formam unguenti. Joubertus proponit unguentum Agrippæ, Marciatonis, & Aragonis, cum duodecima parte argenti vivi. Mercurialis approbat hoc decoctum. ℞. aquæ chalybeatæ ℔. x. cineris è ligno ficus ℔. ß. Fiat lexivium, in quo bulliant folia lapathi acuti, radices betæ, ana p. ij. Post decoctionem cola, lava caput, & post exficcationem utendum hoc linimento. ℞. fæcis vini ustæ ʒ. ij. calcis aceto maceratæ ℥ iij. concharum ustarum ℥ ß. olei veteris q. suf. pro linimento. Vel pro adultis ℞. lithargyrii nutriti cum oleo rosaceo, & aceto ℥. j. cerussæ ℥. ß. aloës succotrinæ, myrrhæ, fuliginis oris furni, tuthiæ, ana ʒ ß. olei rosacei & aceti quantum sufficiat. Mercatus pro infantium favis hoc admittit linimentum. Montagnana hoc adducit. ℞. vitellorum ovorum ad duritiem coctor. numerò xvj. myrrhæ ʒ. j. radicis aronis, seu serpentariæ minor. ʒ. ß. hellebori nigri ℥. iij. Frange digitis vitella ovorum, in ferrea sartagine pone, misce cum pulveribus, coque absque flamma, exprime oleum quoties volueris, donec spumam reddat: tunc abjice fæces, & oleum serva in vase stricti oris. Prosunt fortiora hæc auxilia pro inveterato malo, & robustioribus ægris.

De achoribus aliqua observarunt authores. Galenus *lib. 3. de alimentorum facultatibus*, notat de ulceribus in capite ortis, provenire ex lacte improbo, & confirmat exemplo infantis illis affecti.

Zacutus *lib. 1. Praxis admirandæ*, confirmat variis observationibus, hujusmodi affectiones non statim reprimendas.

Galenus *lib. 1. de medicament. facultat. cap. 8.* achores patientem observat curasse lavando caput cum aceto.

Amatus *centuria 5. curat. 80.* proponit duas observationes. Alteram pueri ex crusta lactea malè curata ad cæcitatem redacti: alteram alterius ab ipso curati, crustis lacte irroratis, & versus sinciput positis, continuoque immutatis foliis caulis. Similiter prodesse affirmat folia hederæ, & lotiones ex decoctione malvarum, & furfurum.

Forestus *lib. 8.* plures observationes adducit

ducit pro iis affectibus, & pro rinea: & *lib.* 18. tenet expertum fuisse, prodesse in illis decoctum ligni guaiaci, sicut præscribitur pro Gallicis.

CAPUT XIV.

De Tinea.

Majorem tinea inducit pilorum turpitudinem, licèt illam non distinguant ab achoribus Paschalius, Forestus, & alii adhærentes Græcorum doctrinæ. B Arabes *Asaphatum* vocant hunc affectum. Differt ab achoribus, licèt sæpe subsequatur ab illis. Tinea enim est quædam scabies capitis, squamis arida, & odore tetra, quid tabidi succi emitiens. Pars affecta est cuticula simul, & cutis, præcipuè calvariæ. Provenit tanquam à prima causa, ab humore salso, acri, ad atrum vergente, qui plerumque ex materno sanguine ducit originem. Sæpe fit ex humoribus achores moventibus, sæpiùs C verò ex contagio provenit. Ex causæ diversitate aliquas acquirit differentias. Alia enim est viscosior, in qua vivacior apparet caro, crustâ deductâ, & quasi ficuum grana se ostentant. Alia est furfuracea, quæ mittit quasi squamulas similes furfuribus, dum scalpitur. Alia est recens, alia vetustior: alia benigna, alia maligna, & ferè incurabilis.

Visu percipitur tinea. Apparent in illa quædam crustacea ulcera, arida, viridia, crocea, seu cinericia, à quibus si quid D sanici exeat, exiguum, & fœtidum est: si infantibus superveniat, morosam exigit curationem: nam recens ætas nequit tolerare vehementiora auxilia, quibus indiget. Cedit citiùs, quæ apparet humida, & quæ biliosior: ferè nunquam, quæ nigra, ac maligna est. Fit sæpe tineæ in lepram transitus, & in phthiriasin.

Empirici varia pro hoc affectu proponunt remedia. Alii utuntur pilulis appropriatis. Alii laudant setaceum in cervice. Alii superimponunt flores benzoini E masticatas. Alii utuntur suffumigio ex cinnabaro, vel stercoris columbini, vel pedum anseris exsiccatorum. Alii igni apponunt ollam illitam cum pinguedine veteri suilla, donec adeps liquescat: colant pinguedinem in aliud vas, inungunt caput priùs rasum, & alio die inungunt caput cum pinguedine dulci, & sic alternatim usque ad morbi curationem: vel apponunt nasturtium contusum, & frixum cum axungia porcina capiti raso, quod crustam avellit spatio vigintiquatuor horarum.

Epiphanius Empiricus huc proponit unguentum. ♃. hellebori utriusque, sulphuris vivi, atramenti, auripigmenti, lithargyrii, vitrioli, aluminis, gallarum, ana ℥. ß. argenti vivi extincti, viridis æris, ana ʒ. ij. pulverizentur, & bulliant cum succo borraginis, scabiosæ, fumariæ, lapathi acuti, scrofulariæ, ana ʒ. iij. olei ℔. j. cum pice liquata, & cera fiat unguentum.

Alii superimponunt oleum vitrioli, vel unguentum Mercurii, vel cum oleo amygdalar. vel pinguedine gallinæ, & sale, & duabus partibus sulphuris faciunt linimentum.

Alii per decem dies purgant cum ℥. iv. syrupi polypodii. Et apponunt fæces ustas gallinæ, melle exceptas, vel oleum nicotianæ, vel vini decoctionem cum nicotiana.

Methodici hunc affectum ponunt sub morbis laxis, & curationem tentant usu adstringentium, & exsiccantium in fine: in principio utuntur discutientibus. Thessalus utitur synapismis, & diu utitur solutivis pharmacis. Utuntur alii synapi trito, vel ranunculi radice, vel foliis clematidis urentis, vel auripigmento, aut arsenico, ut abstergatur crusta. Postea utuntur fomento ex decocto altheæ, malvarum, fœnugræci.

Ex Spagyricis Paracelsus approbat liquorem resinæ ad ʒ. j. olei Mercurii & Saturni, ana ʒ. ij. Fiat commixtio. Alii utuntur magisterio Saturni: solvunt in aqua rosar. affundunt spiritum vitrioli, donec acquirat colorem spissi lactis: filtrant per chartam emporeticam, & magisterium albissimum manens in chartâ dulcoratur. Beguinus laudat oleum tartari sic factum.

♃. tartarum calcinatum ad albedinem, pone in cellam vinaceam, donec resolvatur in oleum, quod postea filtrandum. Vel tartarum post calcinationem in aqua communi dissolvatur, filtretur, coaguletur, cola, & in loco humido repone, donec resolvatur: pro usu dissolve in aqua appropriata, vel lexivio.

Crollius laudat oleum vitrioli cum aqua chelidoniæ, vel lilii convallium, vel lavendulæ: sed præcipuè commendat lapidem medicamentosum sic paratum. ♃. vitrioli ℔. ij. ex viridi, ex albo ℔. ß. aluminis ℔. ß. salis ℥. iij. absinthii, arthemisiæ, cichorii, persicariæ, plantag. ana ℥. ß. affunde modicum aceti rosat. coque lento igne carbonum, sæpe agitando: dum inspissati

spissari incipit, adde cerussæ veneræ ℔ ß. A boli Armeni ℥. iij. diligenter misce, donec in lapidis duritiem vi ignis concrescat, qui fracta olla, extrahatur. Hartmanus oleum sulphuris affirmat tineam tutissimè sanare, si cum penna, vel spongia quotidie bis applicetur.

Rationales Medici duplicem desumunt indicationem in hoc affectu: alteram à causa, alteram ab ipso morbo. Ratione causæ indicatur evacuatio, & attemperatio. Evacuatio perficitur sanguinis missione, aut purgatione, prout manent in- B dicatæ: indicantur revulsiones, & derivationes sanguinis missione, purgatione, clysteribus, scarificationibus, cucurbitis, frictionibus.

Ad attemperandum expedit victus boni succi, in qualitatibus contrariis causæ foventi morbum, & abstinentia à cibis salsis, acribus, cepis, brassica, & similibus. Laudat Avenzoar panem benè fermentatum. Avicenna damnat dulcia alimenta. Halyabas consulit cibum humidum.

Pro indicatione ab ulceribus, si hæc su- C matur à crustis, exterminatio, abstersio, & carnis generatio indicantur: hæ in infantibus suavioribus auxiliis perunt fieri: in adultis fortioribus. Pro teneriori ætate Sennertus consulit folia caulium, vel betæ, illita pinguedine suilla. Vel ♃. succi fumariæ, caulium, oxylapathi, hellenii, ana ℥. j. ß. axungiæ porcinæ, olei ruthæ, ana q. suf. cum cera fiat unguentum.

Pro adultis conferunt fortiora. ♃. sulphuris ʒ.ij. synapis ʒ. ß. staphisagriæ, radicis bryoniæ, ana ʒ. j. aceti acerrimi ℥.j. te- D rebinth. ℥. ß. pinguedinis ursi q. suf. Fiat linimentum.

Heurnius hoc tanquam expertum proponit. ♃. pinguedinis, quæ coctione carnis fumo induratæ defluit, & eliquatur, cui misce pulverem zingiberis, & pro contumaciori malo parum argenti vivi, & potest consociari cerussa, vel lithargyrium, si ulcera madent, pro linimento.

Aëtius comburit allium cum caule & cinere, & cum oleo utitur: vel si madent E ulcera, pulvis silicum maceretur in aceto forti, deinde in clibano calcinetur, & inspergatur pulvis. Fonseca pro pustulis emollit cutem, pilos avellit, materiam contentam evacuat sanguisugis, scarificationibus: iterum emollit, & cutem roborat cum hoc linimento.

♃. Folior. sabinæ m.ij. lardi veteris saliti ℔ j.ß. olei laurini ℥. j. ß. salis ʒ.j. tere, macera per tres dies in ℔.j. aceti: adde ʒ.j. & ß. ceræ, bulliant ad consumptionem aceti.

Rhasis locum fovet santalis, furfure vel substantia carthami applicando priùs psyllotrum, vel decoctum cicerum, vel fabarum. Zacutus inveteratam tineam nullis auxiliis cedentem curari tenet oleo bombacino, facto ex semine plantæ, quæ dicitur Achanthum, à Dioscoride per expressionem facto, ex quo guttulæ distendantur pustulis.

Elideus hoc laudat linimentum ♃. myrrhæ, hellebori, ana ʒ. j. ß. lithargyrii ʒ. ij. olei laurini ℥. ij. misce. Vel ♃. saponis nigri, butyri, mellis, ana ℥. j. absinth. ruthæ, fœniculi, sempervivi, hederæ, salviæ, ana m. j. bulliant in oleo communi: colaturæ adde camphoræ ad quantitatem fabæ, ceræ novæ ℥. ß. viridis æris quadrantem pro inunctione, ad quam præcedat lotio cum lexivio.

Montanus approbat hujus lexivii lotionem. ♃. Aristolochiæ rotundæ, panis porcini, ana ℥. ß. gentianæ, rapontici, ana ʒ. iij. coque ad tertiæ partis consumptionem in sufficiente quantitate lexivii, lava caput, & post exsiccationem uti oportet hoc linimento. ♃. ireos ℥ ß. myrobalanor. olei amygdal. amar. ana ℥. j. caryophyllor. ℥. j. ß. in vase vitreo benè obturato bulliant in B.M. lento igne per horas vj. Vega, purgato corpore, loco affecto loto cum lexivio & exsiccato, utitur hoc linimento. ♃. olei myrrhæ ℥. iij. aceti acerrimi ℥. j. pulver. folior. myrthi ʒ. ij. sulphuris, lithargyrii, ana ʒ. ß. misce.

Forestus pro infantibus lavat caput cum decocto hordei excorticati, malvæ, fumariæ, borraginis, hederæ. Vel conferunt radices altheæ decoctæ cum lotio pueris vel in vehementiori affectu, ♃. cerussæ, lithargyrii, ana ʒ. vj. lexivii ex cinere vitis, seu urticarum, ʒ. iij olei rosat. & ceræ q. suf. quo utendum, capite priùs loto, cum vitellis ovorum. Vel ♃. in inveterata tinea, lapathi acuti cum radice bethæ viridis, enulæ campanæ, radic. chelidoniæ, furfuris, ana m. j centaureæ minor. p. j. folior. sennæ ℥. ß colocynthid. ʒ. iij. agarici ʒ. ij. Fiat decoctio in B.M. in aqua marina: post decoctionem adde parum vitrioli crudi, manè fiat lotio. Post illam erit ex usu hæc inunctio. ♃. butyri saliti, axungiæ porcinæ, ana ℥. j. sulphur. ℥. ß. argenti vivi ʒ j. vitrioli crudi ℈. j. concute in mortario cum pastillo argenteo. Fiat linimentum.

Fragosus loto capite per octo dies cum lotio, superimponit emplastrum ex sterco-

re columbino fervefacto in aceto acerrimo. A

Sennertus, Paschalius, & alii curationem proponunt usitatam apud nostros Barbitonsores, à vetulis approbatam, quæ sic perficitur. Accipiunt pannum cæruleum laneum pro capite cooperiendo aptum, in quo extendunt picem nigram, & pini resinam, & actu calidam imponunt capiti raso, in quo adhæret per dies novem. Postea violenter extrahatur, ut pilos avellat, ferroque extrahantur radices. Postea similem pannum superimponunt capiti, B quem post alios novem dies simili modo avellunt, & postea residuos pilos avellunt simili modo: post alios novem dies fiat similis avulsio pannorum, & pilorum.

Alii, ut Sennertus, utuntur pileolo pice navali imbuto, & roti capiti imposito, quo simul pili, & crustæ extrahuntur: vel tonsum caput melle illinunt, pulvere resinæ inspergunt, & applicant placentam, seu cataplasma ex farina triticea.

Saxonia observat, quendam curatâ tineâ, crebris capitis lotionibus incidisse in C capitis dolorem, febrem continuam, & mortem.

Tineam capitis esse affectum creditur. Forestus observavit in facie visam fuisse, & ex Benacio Medico, & aliis constat, apparuisse etiam in brachiis, & in tibiis.

Paræus, & Simon Blancus experti sunt tineam nullis auxiliis cedentem, curatam fuisse unguento Mercurii capiti applicato, femoribus, & cruribus. Bellonius jubet inungi tineam cum hydrargyrio. Rhasis ob- D servat tineam fuisse curatam hirudinibus applicatis ad partem affectam. Fonseca observat curari cum aqua sublimata, & Zacutus idem tenet.

Platerus observat transitum à tinea in calvitiem.

Caput XV.

De Psydraciis, Helcydriis, Sycosi, & Exanthematis. E

Hi affectus similem inducunt turpitudinem in capite, & capillis, ac tinea, à qua illos non distinguit Galenus *lib. de composit. medicament. secund. locos.* Prosequemur curationem juxta Juniores, ab illa, & inter seipsos distinguentes. Psydriaca ex Paulo, & Alexandro, sunt ulcuscula exigua cuti capitis supervenientia, u, ut tenet Julius Pollux, sunt igneæ efflorescentiæ sponte ulceratæ, apparentes in cute capitis, similes eis, quæ apparent in papulis mammillarum. Sycosis, & exanthemata, sunt ulcuscula, seu leves efflorescentiæ, papulæ, seu erosiones cuti capitis supervenientes. Similia sunt helcydria, quæ sunt efflorescentiæ in cute capitis productæ.

Pars affecta in omnibus est cuticula, & cutis simul. Causa pro illis sanguis, præcipuè pituitosus, ebulliens in capitis cute. Distinguuntur, quia in psydriacis apparent primò dura tubercula, quæ si compressa sunt, saniei quid effluit. Helcydria obsident cutem pustulis calidissimis, modo quo exanthemata per faciem, & caput se diffundunt. Supervenit psydriacus affectus plerumque in fervido sudore. Sunt ii affectus leviores tineâ: accidunt magis in pueris, quàm in adultis. Lactantes non facilè liberantur ab illis, impotentes ferre potentiora auxilia.

Pro curatione Empirici similia proferunt remedia pro iis affectibus, qualia in tinea. Lullius laudat aquam fragæ, sic factam.

Fraga maceratur in vase vitreo, in quo eam putrefacies: adde saccharum, & destilla. Evonimus, aquam salviæ commendat, sic paratam. ℞. salviæ, nucis myristicæ, zingiberis, caryophyllorum, granorum paradisi, cinnamomi, ana ℥. ß. putrefiant in vino more solito.

Methodici pauca auxilia proferunt, aut nulla.

Spagyrici præstant aliqua. Paracelsus consulit hoc unguentum. ℞. Mercurii mortificati ʒ.ij. cerussæ ℥. j. euphorbii ʒ. j. de proprio pulvere ℥. iij. Misce pro unguento. Vel ℞. aluminis rochæ ℔ j. vel essentiæ vini de chelidonia ʒ ß. mercurii Saturni Hermetico more præparati ℥. j. Misce.

Adrianus Amysinchet hoc consulit. ℞. pinguedinis lardi veteris ℔ j. terebenth. albæ ℥. vj. lapidis medicamentosi, olei tartari, ana ℥. j. ß. sulphur. vivi, & citrini, cerussæ lotæ, lithargyrii, minii, ana ℥. j. bellebori utriusque, piperis longi, tuthiæ præpar. nihili albi, fumariæ, scabiosæ, limonum, ana ℥. iv. coque ad consumptionem: fiat unguentum. Hoc potiùs pro tinea prodesset. Crollius laudat lapidem medicamentosum, & oleum vitrioli. Sed ii hos affectus non distinguunt à tinea.

Pauca ab Authoribus observantur pro iis affectibus; nam licèt à Galeno, Paulo, Celso, & antiquioribus prænotantur, Iuniores tamen parum in iis immorantur.

Dogma

Dogmatici in his morbis venæ sectionem omiserunt, forsan quia in pueris magis accidunt. Præcipuè vetustiores sunt qui illam omiserunt in pueris: Juniores sanguinem mittunt, humores attemperant, & præparant, postea selectivis pharmacis evacuant. Galenus approbat pilulas ex aloë, quas timent alii, ne inflammetur jecur. Utiliores sunt potiones purgantes magis temperatæ.

Pro indicatione affectus Galenus consulit melilotum, & fœnugræcum redacta in pulverem, & aceto macerata, capiti imposita. Vel amygdalas masticatas, & cum saliva applicatas. Ægineta hoc proponit.

♃ Lithargyrii, seu argenti spumæ, & cerussæ, ana ʒ. ß. aluminis, & succi rutæ, ana ʒ. ij. aceti, & olei myrthi, q. suf.

Vel ♃ follor. rutæ viridis tritorum ℥. ij. aluminis ℥. j. mellis quod suf. Fiat unguentum. Vel ♃. lithargyrii, & cerussæ, ana ℥. j. ß. sulphur. vivi ℥. j. excipe æquis partibus ceræ, & olei myrthi, quibus utendum, capite raso, & loto aquâ, in qua dissolvatur nitrum.

Mercurialis hoc laudat expertum. ♃. nitri aceto macerati, q. vol. frica caput. Alexander laudat argenti spumam, & florem æris. Celsus commendat exercitium, & abstinere à superfluis cibis, & acribus, ac mordacibus. Joubertus proponit cichorium decoctum, & adianthum cum rosaceo, vel malvam cum farina hordei, vel radicem lilii, & thus cum vino & aqua, & aceto. Prosunt folia cupressi, gallæ, hypocistidis, acacia, nuclei myrobalanorum, & dactylorum, sulphur, cerussa, lithargyrium.

Vega caput radit, abluit lexivio, & desiccatum inungit cum hoc linimento. ♃. Sulphuris, lithargyrii, ana ℥. ß. olei myrthi ℥. iij. aceti acerrimi ℥. j. pulveris myrrhæ ʒ. ij. misce.

Forestus ponit hoc linimentum. ♃. argenti spumæ, cerussæ, ana ʒ. iij. aluminis, folior. ruthæ viridis ℥. ij. Fiat inunctio cum oleo myrthi.

Caput XVI.

De Hydrocephalo.

Hydrocephalus affectus est superveniens parti capillatæ capitis, non solùm inter pilos ortus, turpitudinem inducens, sed plerisque periculum minatur: est enim morbus superveniens in partibus continentibus calvariæ, collectioque aquo- A si humoris in illis. Fit vel intra calvariam, vel extra illam. Pars affecta, in qua fit collectio, vel est inter cutem, & pericranium, vel inter pericranium & cerebri membranas, vel inter membranas, & cerebrum. Cognoscitur visu, & tactu. Pars affecta apparet, quia si inter cutem, & pericranium colligitur, tumor apparet evidens, mollis, pellucidus, doloris expers. Si inter cranium, & pericranium, parum differt ab antecedente: est tamen durior, magis sensibilis. Si fiat inter cranium, & membranas, dolor est B major, nec facilè sensui apparet mollities: frons projecta cernitur, lacrymæ apparent frequentes, sensus obtusi. Supervenit hic morbus infantibus frequentiùs quàm adultis. Fit sæpe per paulatinam congestionem sine causa externa: si superveniat lethargus, aut apoplexia, in propinquo est mors; si aqua continetur extra cranium, plerumque curatur: si intra, nunquam ferè.

Pro curatione Empirici jubent caput C mundificare à materia aquosa, synapin tritam ante diem in aceto maceratam, ad heminæ mensuram, consolunt ore tenendam, vel pastillos faciunt ex staphisgria, & miscent cum betæ semine. Vel ♃. staphydisagriæ ℈. iij. pyrethri ℈. ij. hyssopi ℈. iv. assiduè in ore comminue. Vel ♃. sapæ heminas iij. satureiæ fasciculum, hyssopi aliquantulum. Ferveat pro sextario ad gargarizandum.

Methodici sub morbis laxis hunc ponunt. Contendunt comprimere adstrin- D gentibus à Dogmaticis desumptis.

Spagyrici plura proponunt. Paracelsus pro evacuando aqueo humore, *lib. de cura Spagyrica*, varias proponit formulas, & hanc consulit potionem. ♃. croci Martis ex chalybe optimo verberati ℥. ß. liquoris orizontis ℊ. iij. aquæ betonicæ ʒ. iij. succi tithymali, vel esulæ min. ana ℥. j. gummi cerasorum ad pondus omnium. Fiat bolus, qui reverberari sinatur ignis tertio gradu per horas duas: dosis ℊ. iij. Tumorem hunc fuliginosum vocat, quem E curat maturando, mundificando, consolidando. Pro maturatione hoc ponit. ♃. olei lauri ℥. j. opopanacis colati ℥ ß. Fiat emplastrum, supra prunas opopanax coletur, deinde fiat massa.

Pro mundificatione. ♃. mellis, prunellæ, ana ℥. j. aristolochiæ rotundæ, aloës hepaticæ ana ʒ. j. Fiat in modum emplastri. Consolidatio sic fit. ♃. Vitelli ovorum n. iij. resinæ ʒ. iij. farinæ tritici, hordei, ana q suf. pro incorporatione.

Crollius pro aqueis humoribus eva- A cuandis hoc ponit specificum. ℞. radic. helleburi nigri debito tempore collecti, ℥. iij. colocynthidis ℥. iij. extrahatur essentia cum spiritu vini, iterum separetur vini spiritus, fiat ad mellis spissitudinem. Vel ℞. mercurii præcipitati ℈. ij. Fiant pilulæ. Hartmanus sic præscribit. ℞. limaces cum suis testis, pistentur, & reducantur in formam emplastri, quod capiti applicetur, & relinquatur, donec sponte cadat.

Dogmatici duplicem sumunt indica- B tionem: alteram à causa fovente, alteram à materia conjuncta: utraque petit sui evacuationem, licèt diverso modo tentetur in diversis ætatibus. In recenter natis nutricis attenditur cura: victus illi præscribendus exsiccans, simul & potus; ii enim nullam ferè possunt ferre evacuationem: & licèt Hippocrates doceat lacte purgare infantes, mitioribus tamen auxiliis utendum. Intenditur resolutio contentæ materiæ in tumore, pro qua C Sennertus consulit decoctionem malvarum, chamæmali, meliloti, & parietariæ. Postea utitur inunctione olei chamæmali, anethi, irini, rutæ, lauri: vel hoc cataplasmate. ℞. farinæ fabar. lupinor. orobi, radic. iridis, absinth. cum mellis q. suf. Fiat cataplasma.

In adulta ætate, ob causam antecedentem, utendum pharmacis solutivis, aquosos succos evacuantibus. Ob causam in tumore contentam, tentatur evacuatio vel per apertionem, vel per resolutio- D nem.

Amatus ad resolutionem hoc laudat. ℞. pulverum absinthii, chamæmali, meliloti, ana ʒ. ij. butyri recentis, olei chamæm. ana ℥. iv. ceræ parum: fiat unguentum. Vel ℞. mellis ℔. ß. salis ℥. ß. pulver. origani ʒ. iij. miscè.

Pro adultioribus magis insistendum in evacuatione causæ antecedentis, sive per purgationem ex agarico, diacatholicone, pulveribus mechoacam, ebulorum, vel zagualti panis, vel per pilulas purgantes E pituitosos, & serosos succos. Conferunt dieta sudorifica, balnea sulphurea, & fortiora resolventia.

Mercatus approbat aquam vitæ in pannis cannabinis exsiccatis, fomenta ex vini decocto cum chamæmal. semine anisorum, ligno aloës, pulegio, origano.

Vel ℞. cineris ex ligno ficulneo ℔. ij. aquæ fontis ℔. xx. fiat lexivium, in quo percolato adde coriandri, anisorum, ana p. ß. sulphuris triti parum: excipe stupis, & applica.

Vel confert hoc emplastrum. ℞. pulver. flor. chamæm. thymi, calaminthæ, origani, serpilli, gallarum, cupressi, cinnamomi, corticis citri, & macis, ana ʒ. ß. ceræ liquidæ ℥. iij. succi majoranæ ʒ. ij. Fiat emplastrum. Vel ex melle & pulveribus sulphuris, quæ plurimùm agitentur: vel de stercore caprino, vel bovino, vel emplastro de baccis lauri utendum.

Avicenna concoquit cochleas in decocto arthemisiæ, stœchados, calaminthæ, montanæ, vel cymini, vel ebulorum, & coctas eas contundit, calidasque applicat capiti raso.

Alsarius laudat oleum extractum ex amygdalis, & avellanis, ex fœniculo, & sesamino: vel ℞. mellis ℔. j. salis ℥. ß. origani m. ß. fiat ad formam emplastri.

Fabricius consulit aquam calcis vivæ calidam cum spongia, vel spiritum vini primæ destillationis, cum quarta parte aquæ scabiosæ: applica cum spongia.

Daza ante topicorum usum caput radit, lavat decoctione confortante, & resolvente. Fumanellus synapim applicat, vel fiant ulcuscula, quæ si non sufficiant, deveniendum ad manualem operationem. Galenus, Avicenna, Alsarius, plures consulunt apertiones. Iuniores unam admittunt, quâ extrahatur aqua contenta. Differunt in modo: securiorem docet Fabricius ab Aquapendente.

Paulus vult, quod si continetur aqua inter cutem, & pericranium, & tumor non sit magnus, cutis una linea transversim per caput scindatur. Si sit inter pericranium, & cranium, utendum duabus lineis per medium se mutuò secantibus: si magis sit caput tumidum, etiam tribus. Post evacuationem humoris inserit linimenta, & caput commodè ligare docet usque ad tertiam diem, & eo oleo perfundit partem.

Aëtius unica sectione parvum tumorem secat; in majori per duas, tres, aut plures, post quas solis utitur linimentis, ut pars uniatur. Fabricius timens has apertiones, per quas nimis refrigeratur caput, leviorem facit, & per canulam paulatinè ac securiùs materiam contentam evacuat.

Dum verò intra calvariam continetur tumor, rarò cedit. Apertio cranii horribilis est, & plena periculi, si spectetur suturæ distractio; & ut appareat tumor, serò applicatur remedium. Reliqua apposita

A appoſita non ſufficiunt. Utimur eis quæ propoſita ſunt. Superaddi ſolent deſiccantia naribus applicata : iis maximè confert dieta ſudorifica , quâ utimur in Gallicis; deſiccandi enim gaudet poteſtate. Prodeſſent forſan aquæ thermales, & nicotianæ fumus.

Plura de hydrocephalis obſervant Authores. Fabritius vidit hydrocephalum pueri cujuſdam , cujus rotunditas erat unius ulnæ , & quartæ partis alterius ; latitudo ab una parte in aliam excedebat B hanc magnitudinem, *in cent.* 1. *obſervat.* 10. & *in cent.* 3. *obſervat.* 19. vidit alium majorem, & ibi detegit artificium , quo cauſatus fuit à parentibus , & experimento aperit periculum apertionis in infantibus.

Tulpius *lib.* 10. *obſervat.* 24. vidit puerum quinque annorum hydrocephalo extinctum , ex quo quinque aquæ libræ ſunt extractæ. *In obſervat.* 25. obſervat, poſſe hydrocephalum occupare dimidiam capitis partem , altera parte illæſa. C Veſalius *lib.* 1. *cap.* 3. vidit hydrocephalum in cavitate cerebri , ex quo ſunt extractæ libræ novem aquæ. Ioannes Francus in propriis obſervationibus , refert à ſe curatum hydrocephalum æquantem magnitudinem capitis bovini ,pro quo curando ſolis reſolventibus fuit uſus. Foreſtus *lib.* 3. *obſervat.* obſervat curaſſe hydrocephalum ſine apertione, ſolo oleo hypericonis. Severinus memorabilem hydrochephali adducit obſervationem. Zacutus approbat D curationem adductam à nobis ex Aquapendente , *lib.* 3. *praxis admirabilis* , ubi proponit unguentum pro curatione efficax. Superaddit curationem hydrocephali, qui mulieris totam occupabat faciem , peractam ſcarificatione profunda ; & emplaſtro ibidem relato. Rhaſis vidit in puero hydrocephalum , ex quo ſuccubuit. Idem obſervat Albucaſis, & Ingraſſias *in Avicennam.* Ambroſius Paræus *lib.* 7. plures adducit obſervationes eorum, qui à ſe ipſo fuerunt curati.

SECTIO SECUNDA.

De turpitudine proveniente ex dentium vitiis.

SUnt dentes, oſſa omnium duriſſima, intus aliquantulum cava, nervis, venulis, arteriolisque prædita, per gomphoſin articulata , nervis, membranis ,& carne, ceu vinculis alligata, mandendis, præparandiſque cibis primò à natura inſtituta. Horum triplex fit generatio. Prima à victu in utero : ſecunda à lacte : tertia à ſolidis alimentis. Dentium multiplex eſt uſus. Primus, ut præparent cibos pro prima coctione in ventriculo. Secundus , ut juvent ad vocis articulationem. Tertius ad ornatum , cui ſi non deſerviant , variæ apparent turpitudines ex eorum vitiis, aut defectu. Sunt illorum vitia dolor, corroſio, mobilitas , defectus , coloris immutatio , & alia concomitantur eorum turpitudines vitia labiorum , gingivarum, & oris : de quibus omnibus agemus ſub hac ſectione.

CAPUT UNICUM.

De Dentium dolore.

DEntium dolor , ſeu odontalgia , eſt triſtis dentium ſenſus , ab ipſorum continui ſolutione procedens juxta partes ſentientes , quæ ſunt illorum ſubſtantia , membranula dentis cavitatem ſubcingens; & nervus ad radicem dentis implantatus. Cauſæ doloris ſunt , quæ valent ſolutionem continui facere in dentis ſubſtantia; alveolorum membranula , aut in nervulo exiſtente in dentis radice , quales ſunt humores frigidi , pituitoſi , calidi, ſeroſi , ſalſi, acres , mordaces, qui in quanto , & in quali ſolvere continuum poſſunt, vel fluxione diſtendere partes , dum tranſmittuntur ſive à capite , ſive ab infernis partibus. Confluens etiam flatus diſtenſione dolorem efficit : ſæpe etiam corroſio , & orti vermes ex putredine materiæ contentæ in dente. Sunt externæ aliæ cauſæ juvantes, ut confluant humores, ut aër auſtrinus, aut nimis frigidus, calidiſſimuſve , crapula , & victus procreans fluentes ſuccos.

Si dolor fit à calida intemperie , acerbior fit dolor cùm punctione , rubore faE ciei , inflammatione , cum ſignis redundantis ſanguinis , aut bilis , cum ſuppreſſis evacuationibus , proportionata ætate , & temperatura pro illis. Proſunt remedia frigida. In frigida cauſa contraria apparent. Permanentia illius indicat currupt ionem : ſi ſit vermis, fit dolor interpolatus, rediens per intervalla : ſi dolor fiat à flatuoſo ſpiritu , fit atrociſſimus , cum divulſionis ſenſu : ſi juvat gingivarum tumor , ille apparet ſenſibus. Diuturnior fit dolor à

causis frigidis : brevior à calidis. Si su-
perveniat rumor in maxillis, aut gingi-
vis, ob humoris transmutationem, ac-
quiescit dolor.

Curatio perficirur in omnibus Sectis
per varia auxilia. Ex Empiricis Marcellus
Empiricus plura proponit, quæ applicen-
tur, collutione, commanducarione, suf-
fitu, aut impositione medicamentorum.
Confert collurio cum radice herbæ quin-
quefolii, cocta in vino : vel herba ur-
ceolaris iococta in aqua cum baccis lauri,
aut alterci decoctio, semen, aut radix
cum suffiru : commendat mentastrum; py-
rerri radicem masticatam, alumen tritum
in linteolo, vel peucedarii succum, opopa-
nacem, thus, uvas passas, contusas & com-
mixtas cum cera ad modum emplastri : vel
auriscalpium lana molli involutum tinga-
tur oleo ferventi, applicetur denti, sæ-
piùs repetatur. Vel ℞. piperis, opii, olivæ
Æthiopicæ, lacrymæ mori, hederæ nigræ,
betæ quantum volueris : omoia trita incor-
porentur melle: vel papaveris succum cum
lacte mulieris infunde in dentem, vel ma-
sticetur gramen, vel vermes terreni de-
cocti in oleo, & triti, applicentur auri.
Superaddunt Empirici carmen, luná de-
crescente, die Martis proferendum : quod
quia superstitiosum, omitto : sicut tale est
asserere, quod sedatur dentium dolor, si
calceatus sub dio supra terram vivam
stans, caput ranæ apprehendens, & os
aperiens, spuat intra os ejus, & roget
illam, ut dentium dolores secum ferat, &
tunc vivam dimittat : quæ superstitio in-
digna est etiam ut fuerit ab aliquo pro-
lata.

Methodici dentium dolores ponunt sub
moibis in adstrictione : utuntur laxan-
tibus. Aurelianus in principio uritur re-
pellentibus, & adstrictas parres rela-
xantibus : commendat decoctum aca-
ciæ, hypocistidis, aut penthaphylli
ore tenendum : uritur ad extra fomentis,
& illinitionibus : applicat lanam cum
oleo fervente madefacto : in dente cor-
roso dolente apponit pyretrum, radicem
cucumeris agrestis coctam in vino, aut
aceto. Applicat dolenti denti granum
thuris triti linteis alligatum. Alii ad men-
tum, & musculos buccæ applicanr spon-
gias in decocto althex, fœnugræci, &
camæmali : in vehementi dolore mittunt
sangninem, adhibent cucurbitulas. Alii
frangunt denres, adhibitis acrioribus me-
dicamentis, radice chelidoniæ, aut tithy-
malo, seu pyretro, cum aceto acerrimo,

A gummi hederæ, exuvio serpentis. Alii
piæferunt per noctem intra manum con-
tinere radicem dentillariæ, seu herbæ
sancti Antonii.

Spagyrici variis utuntur auxiliis. Hart-
manus laudat radicem laparhi acuti ex-
siccaram, denti appositam, ante germi-
nationem collectam : vel radicem lap-
pæ, vel decoctum urticæ majoris, vel
allium cum pauxillo nucis moschatæ ra-
sæ, & croci in vino, & aceto coctis,
in loco dolenti retentis : vel decoctum
B Guaiaci cum vino.

Beguinus laudat oleum Heraclinum.
Paracelsus parat dentifritium ex cineribus
rorismarini. Vel ℞. tormentillæ, & sta-
phisagriæ, seminis planraginis, ana ʒ. ß.
radicis exterioris hyoscyami, succi papa-
veris, ana ℥. ß. reduc io decoctionem cum
aceto : fiat lavamentum calidum. Idem
præstat rumex acuta, quam vocant Me-
lioacam, in orbiculos tenues redacta, cum
aceto applicara.

C Amysinchet plura refert remedia, inter
quæ sunt tinctura ligni Guaiacini, tinctu-
ra odontalgica, pilulæ de calce viva, tro-
chisci de alumine, spiritus vini odontal-
gici, gargarismus de pirerro, & gargaris-
mus de hyoscyamo, balsamum odontal-
gicum : quorum omnium formulas præ-
scribit, vel quod imponatur exsiccato-
rium occipiti, sic paratum. ℞. Theriacæ
Venetæ ℈. ij. cantharidar. demptis alis, &
capitibus, pingued. leporis, ana ʒ. j. ß. ra-
dic. pyrethri, nucis moschat. ana ℈. j. mis-
D ce, & cum suff. quant. fermenti fiat vesi-
catorium.

Paracelsus consulit etiam, si dolor sit à
frigore, persicariam, quam madefacit
in aqua, & denies tangit, & sepelit her-
bam in loco humido, quia si non sepelia-
tur, tenet quod non aufert dolorem : vel
herbam coquit cum corticibus hyoscya-
mi in aceto rosaceo, & reliquias ejus se-
pelit in arena, ut dum putrescat, sedetur
dolor. Vel collue os cum aqua vitæ.

Rationales Medici sumunt indicatio-
E nem à causa, & à dolore, seu humore
in dente illum causante. Causa aut ex-
terna est, & hæc vitanda ; aut est inter-
na, & hæc aut timetur, aut est præsens.
Si timetur, ut solita supervenire, præca-
venda vitando causas externas, averten-
dæ frequentes lavationes, aut insolationes
sublimatis, præcipuè in fœmiois. Con-
fert bona victus ratio, & assidua purgatio,
quam consulit Galenus bis in aono, &
quod bis in mense sumantur duæ pilulæ,

vel

vel pro biliosis humoribus, ex tribus Fernelii.

Superveniente dolore, revellendum, derivandum, evacuandum sanguinis missione, purgatione, sanguisugis, cucurbitulis, scarificationibus, frictionibus crurum, & pedum lotionibus, clysteribus, & deveniendum ad topica calida pro succis frigidis, ad frigida pro calidis: sumuntur ad intra, apponuntur ad extra. Vesicatoria retrò aures apponuntur: solent & intra aures apponi alia, & acetum pro fluxione calida, vel oleum amygdalarum amararum pro frigida, aut vapor aceti, in quo coxerint pulegium, aut origanum. Temporibus applicantur adstringentia, tacamahaca, carana, gypsum, farina volatilis, thuris pulvis, ladani, aut hypocistidis, cum ovi albumine, emplastrum gummi elemi, de mastiche, vel radix contusa consolidæ majoris, vel emplastrum contra rupturam, vel etiam factum ex pulvere aluminis & gallarum, cum pice.

Allii bulbus, aut succus cum theriaca in aurem immissus confert in frigida doloris causa.

Si vehementissimus sit dolor, extrahatur pro collutione lac ex semine papaveris albi, in aqua rosacea: vel apponatur denti philonium Romanum, vel opii ℥. ij. cum æquali portione croci in bombace applicentur: vel fiat collutio cum aceto, & opio, vel cum aceto, in quo decoquatur radix mandragoræ: vel fiat pilula ex opio, & theriaca. Dentem canis mortui prodesse à proprietate tenent aliqui ustum in fornace, cum posca mixtum; vel senecta serpentis in aceto cocta, aut in vino: oleum buxi præ reliquis præfertur à Fonseca, si gutta intromittatur in dentem. Rivetius docet modum, quo fit, inciso ligno buxi in multas particulas, deinde destillatur per descensum in duobus vasis, altero infra terram, altero suprà posito, & circa hoc ponitur ignis ex carbonibus validior, & oleum exstillat in vas inferius: quem faciendi modum desumpsit ab ipso Fonseca. Hippocrates utebatur castoreo, & pipere decoctis in vino, aut aceto, pro collutione. Galenus consulit emplastrum molare, vel pyretrum conjicit in acetum per tres dies, extrahit, terit pyretrum, & imponit denti dolenti. Fonseca eandem vim tribuit radicibus cucumeris sylvestris, coctis in aceto, aut infusis.

Ortholphus hoc utitur gargarismate: ℞. radic. pyretri, acori, ackek-ngi, ligni tamarisci, ana ʒ. ij. flor. balaustior. rosar. corticum, psidiæ, ana ʒ. j. Herbar. pilosellæ, plantag. ana m. ß. contusa coquantur cum ℔. j. & ß. vini. Dissolve in colatura philonii Romani ʒ. ij. Vel ex Fallopio, ℞. opii ʒ. ß. salis ℥. v. Misce pro unguento, cum gossypio imponendo denti. Rondeletius sistit fluxionem cum adstringentibus ad extra. Post pilularum exhibitionem, & pro collutione, ℞. folior. salicis m. j. radic. Pentaphylli ℥. j. gallar. ℥. ß. Coque in vino stiptico.

Gradi utitur succo portulacæ & coriandrorum, cum aceto, vel cera alba mixtà cum sale.

Aëtius dolorem dentium à calida causa curat nive commixta cum melle rosaceo: Avicenna cum aqua infrigidata cum nive. Rasis ortum dolorem dentis ex causa frigida curat applicatis remediis calidis, quibus inflammetur mandibula. Varus sedat dolores dentium in infantibus cum cerebro leporis, fricando gingivas: quod desumpsit ex Galeno. Avicenna utitur illo post decoctionem mixto cum oleo liliaceo. Alii commixtum laudant cum melle, & butyro. Paulus utitur adipe gallinaceo: alii oleo amygdalarum dulcium illinunt gingivas.

Post aliquas evacuationes, parti dolenti ad extra fiant inunctiones in adultis cum oleis anodinis: vel apponatur cataplasma ex medulla pomorum redolentium cum oleo rosaceo omphacino, & lacte, addendo opii ℥. ij. croci parum. Vel ℞. sempervivis succi, & Solani, ana ℥. ij. lactis ℥. viij. olei omphacini ℥. j. ß. opii ℥. iij. Fiat cataplasma. Prodesse possunt aqua rosarum, & albumina ovorum, commixta, & agitata.

Si urget dolor, & nullis cedit remediis; dens præcipuè cortosus evellatur, præsertim translactâ fluxione, vitando violentissimum impetum, ne concitata sanguinis fluxione, pereat æger.

Per medicamenta conantur aliqui dentem evellere, applicando, si est cortosum, oleum vitrioli, vel sulphuris. Vel ex Galeno, ℞. pyretrum, in acetum conjice per tres dies, tere; & applica denti: vel applica radices cucumeris sylvestris infusas in aceto. Vel ℞. adipem ranæ arboreæ, lac ficus, succum radicis chelidoniæ: formetur capsula pro dente cum cera, & eruca trita. Prodest radix mori decocta: vel dens lavetur amurca, quæ cum aqua agrestæ tamdiu bullierit, donec

nec fiat sicut mel: vel imponatur denti pulvis radicis mori siccatæ, vel lac tithymali, vel coque in aqua ranas arboreas, collige adipem supernatantem, dentem inunge. Vel radix hyoscyami nigri, denti apponatur, vel ammoniacum cum succo hyoscyami apponatur denti dolenti, vel helleboraster applicetur confricatus denti soli.

Aliqua observarunt pro hoc affectu Authores. Forestus *lib.* 14. Zacutus *tom.* 1. *lib.* 1. antiquorum refert historias. Platerius *lib.* 2. complicatum vidit illum cum uteri suffocatione. Lotich. in suis observationibus vidit alium complicatum cum catarrho. De exorto hoc dolore ex frigida materia agit Lermison *consilio* 24. Ronseus observat *epistola* 25. prodesse usum sylvestris vitis pro dentium dolore. De illo cum febre observationem attulit Bellonius *tom.* 1. *consil.* Sæpe oriri à causa calida, observat Schenkius: plures adducit observationes, varia protulit remedia: plura etiam Amatus retulit *cent.* 5. In impedita dentitione infantium, qualiter sit juvanda, observat ibidem Schenkius: & de mortuis ex dentis eruptione, de quo & Tulpius *lib.* 1. Germani *in anno* 1. *Ephemeridar.* observant sex in puero dentes. Dentem aureum immunem à dolore observavit Pater Eusebius, & antiquiores admittunt fuisse natum in puero Seleucio.



INDEX



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Quæ hoc Operum Medicinalium Tomo quinto continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam; litera verò a, b, c, d, &, inter utramque columnam majusculas interjectas designant.

A

Achores.

Aquæ

Area.

Armarium unguentum.

Astra.

Cucurbitu

Entis

Febres

Fermentatio.

Fluxus.

Hydroce

O

Q


Qualitas.

R

Recidiva.

Somnus

Vesicantia



FINIS.